







12862



25
20

Ch. Lum.

Dr. Danno de Do a Calderama Medico
maestro pp. Professor

Ano 1751
Ano 1751
MM

FRIDERICI
HOFFMANNI
MEDICINÆ
RATIONALIS
SYSTEMATICÆ

TOMUS QUARTUS,

QUO SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA
& huic superstructa solida Therapia cum medendi methodo,
cautelis Clinicis, & morborum enarrationibus adjuncta
Epicrisi exhibentur.

PARS PRIMA

DOCTRINAM DE OMNIS GENERIS FEBRIBUS
*tam intermittentibus, quam continuis & acutis inflammatoriis
perspicua & demonstrativa methodo tradens.*



VENETIIS, MDCCXLV.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

JUVENI EGREGIO
FRIDERICO HOFFMANNO

CANDIDATO ARTIS MEDICÆ DOCTISSIMO

*Sirenno & solerti rerum Physicarum Mathematicarum
& Medicarum cultori,*

FILIO SUO DILECTISSIMO,

NEC NON

OMNIBUS DISCIPLINÆ SUÆ ALUMNIS

DOCTIS ET SEDULIS

Utilissimum hunc Librum dicat & plurimum
commendat

AUCTOR.

PRÆFATIO.

TAndem prodit in lucem promissus diu & expectatus quartus Medicinæ rationalis systematicæ tomus, qui morborum pathologicam & practicam specialem disquisitionem, cum cautelis & observationibus clinicis, nec non morborum curationumque historiis complectitur, & quidem prima ipsius pars, de omnis generis febribus. Multa quidem scripsi, & plura edidi, ex quo per triginta & septem fere annos Professoris munere hac in Academia functus sum; sed a primo statim tempore firmum cepi propositum, maturæ tandem ætati reservare Medicinæ systema, non quod nutanti hypothesium sustentaculo, sed veritatibus inter se connexis & methodo demonstrativa propositis, niteretur, ad artem nostram, multis, in pathologici præsertim & medendi methodo, laborantem imperfectionibus, perficiendam & certam ipsius rationem adstruendam. Ante decem igitur annos evulgavi primum hujus operis systematici tommum, qui philosophiam corporis humani viri & sani, & doctrinam sanitatem tuendi vitamque conservandi tractat, ac haud ita pridem auctior & emendatior recusus est. Successit dein secundus tomus, quo philosophiam corporis humani ægotantis tradidi, & varii generis causas, quibus functiones in corpore variè læduntur, congruo ordine, accurate & copiose exposui, ut Medicus rerum insalubrium, quæ morbis ingenerandis velificantur, cognitionem haberet exquisitam. Novissime in tertio tomo id egi, ut viam sternerem, ad rectè ac penitus percipiendam, & pathologiam, & therapiam. Hinc docui, quo pacto morborum historiam colligendam, morbi dignoscendi, & perite de iis judicandum, genuinam medendi methodum, ex naturæ legibus, arti imitandis & exsequendis, monstravi, & redactis in generales quatuor classes remediis cunctis, longo usu probata selegi, eorumque physico-mechanicum in corpus operandi & dextre applicandi modum, candidè exposui. Restitit itaque adhuc quartus tomus, specialissimam morborum ætiologiam & therapiam, pro tot individuorum & causarum morbificarum varietate, exhibiturus, cujus nunc primam partem, febrium doctrinam habentem, eruditorum & saniorum Medicorum judicio publice expono, in non pœnitendum, uti spero, usum eorum, qui in aris operibus versantur. Neque vero me pœnitet, editionem practici hujus operis diu distulisse, & ad hoc usque tempus, quo longa & sufficienti experientia instructus, certa ubique cum ratione id elaborare possum. Ego enim non sine animi indignatione & ægritudine vidi, quam temere ludant de hominum corio medentium imperiti, & quot quantaque damna inconsulta medicina inferant. Tædet etiam prorsus multorum, immo plurimorum practico- rum librorum, qui immaturo adhuc judicio, & insufficiente, aut plane nulla experientia, ex aliis compilati conscribuntur, erroribus decumanis reserti, qui sic cum magno ægotantium detrimento in vulgus emanant. Ad condendum vero practicum systema, quod firmis & demonstrativis principiis nitatur, ante omnia amplissimo observationum practicarum apparatu opus esse, quisque judicio pollens intelliget facile. Vera enim pathologia, quæ generationem morborum ex concurrentibus variis causis, genuinum est therapie certæ, in curandis & arcendis morbo- sis afflictionibus occupatæ, fundamentum ac basis. Sanare quoque nihil aliud est, quam causas morborum proximas eorumque effectus tollere, & præservare a morbis idem, ac primas morborum origines earumque antecedentes causas, avertere, vel per congrua remedia removere. Ideo neces-

P R Æ F A T I O.

sarium quam maxime est, ut causæ nocentes morbificæ, quæ innumerabiles, & mirum natura ac operatione differunt, sufficienter & penitus cognoscantur, ut deinceps, remedium, causis morborum ceteris contraria opponendorum, quæ innumera pariter sunt & natura ac efficacia, pro corporis dispositione, admodum diversa, vires & facultates indagentur, & intime perspiciantur. Ad obtinendam autem hanc cognitionem, via datur alia nulla, quam per numerosa observata clinica, cum cura notata in tot individuis, ratione ætatis, sexus, nativitatæ, hereditaria dispositionis, consuetudinis, victus & vitæ generis, sensibilitatis, valetudinis perpeßæ, differentibus, & quod maximum in morbis non tantum simplicibus & solitariis, verum etiam, qui frequentissimi, complicatis. In ipsa curatione id utique certum, nec ullum morbum curari posse eadem methòdo in genere, sed quemvis, propter differentem causarum & individuorum indolem, curandi rationem postulare diversam, individualement scilicet & specialissimam. Quæ quum firmum requirat iudicium, quo observatis & expensis curatæ circumstantiis singulis, quid de morbo sentiendum, quomodo curatio instituenda, quibus auxiliis utendum, & quo ordine ac dosi hæc adhibenda, omnino necessarium est, ut ex numero pluribus observationibus addiscatur hæc & colligatur. Interim solæ observationes, etiam cautissime conscriptæ, neutiquam sufficiunt, ad evitandos tam in iudicando, quam usu remedium errorés, sed clave opus est, quæ rerum in historiis obviarum facti causas evolvere, detegere, aperire, clare demonstrare, tandemque ex observatis particularibus plurimis, axiomata universalia, magna ad pathologiæ & therapie incrementa utilitatis, elicere possimus. Jam hæc clavis nihil aliud est, quam illa rerum medicarum scientia, quæ deprompta est ex principiis in sensum & conceptum cadentibus, anatomicis nempe & physico-mechanicis, ita ut illorum ope ea, quæ ad corporis humani ejusque partium intimam structuram & ex hac dependentes singularum functiones pertinent, & horum beneficio, indoles & facultates rerum corporearum, quæ non pro arbitrio, sed ex necessitate a summo creatore indita immutabili, in corpus agunt, ac unice vitam, sanitatem, mortem & morbos, horumque & præsevationem, & curationem, dispensant; cognoscantur. Præ omnibus tamen opus est deducta ex his principiis pathologia vera, quæ si quis destituitur, nihil solidi, nihil recti, de medicamentorum viribus, an in hoc vel illo morbo & individuo, salubria sint, vel insalubria, judicare valet. Quam manca autem & hiulca sit, quamque infirmis fundamentis nitatur, & veterum, & recentiorum plurimorum pathologia, nemo qui penitus eandem sine præiudicio expendit, inficias ire poterit, sed dicere illud & palam scribere, tam odiosum est, quam veritatem eloqui. Ita tamen omnino est. Et ne gravius aut ex affectu forsitan scriptum videatur, exemplo sint definitiones, uirivis obviæ. Veras has & reales, genuinum ac firmum esse principium, ex quo conclusiones & demonstrationes de essentia, causis & differentiis definiti formandæ, accuratiores Philosophi profutentur & asserunt omnes. Quæ autem in medica disciplina passim circumferuntur, de arte imprimis medica, de vita, sanitate, morbis, morte, de febre, inflammatione, morbo spasmodico hypochondriaco definitiones, ita sunt comparatæ, ut vix ulla sit, in quæ non multum desiderari queat. Quin, quum in physiologicis cerebri & systematis nervosi functio & usus pensari haberetur, & a plurimis tantum non ignoretur; ultro innotescit, morbos ex horum vitio etiam ignorari, & mutilam præterea admodum esse, non modo morborum, sed & symptomatum ætiologiam. De therapie porro, nostro tempore receptæ, imperfectione testimonio est indubio illa propudiosa inter Medicos vicens dissensio de remedium viribus & usu. Lacerantur hæc passim maxi-

P R Æ F A T I O.

me virtutis auxilia, venesectio, fonticuli, vesicatoria, purgantia, emetica, martialia, adstringentia, in primis china cortex, camphorata, volatilia, opiata & mercurialia, quæ nonnulli in totum, nonnulli sub certa tantum conditione rejiciunt, alii vicissim mire laudant ac concelebrant. Luculentius hanc in therapeutica ignorantiam prodit ingens illa remediumum supellex atque sarrago, simplicium & compositorum, Galenicorum & Chymicorum, quam tamen plurimi necessariam judicant ad oppugnandos tam multos & varios morbos. Alii contra universalia tantum crepant, & paucissima numero in usum vocanda esse, contendunt. Ab utraque vero parte diætica & quasi domestica, illa maximarum in chronicis morbis virium præsidia, quibus Veteres, Chymie & Pharmacie ignari, gravissimos morbos debellarunt, aqua nimirum, vel pura fontana, vel mineralis, lac, serum lactis, ptisane, decocta & infusa specierum vegetabilium, balnea, frictiones, abstinencia quoque & inedia, vel plane ignorantur, vel minimum negliguntur, neque ex merito æstimantur. Sed sic obvios ne vos atque defectus Medicinæ, uti hodie fere est, tetigisse sufficiat, & iterum inculcasse, quæ satis inculcari possunt nunquam. Jam quo pacto lapsus hi vitandi, & quam ego ob id hoc in opere servaverim tractationis rationem, ostendam. Sane quum vita & sanitas res sit adeo pretiosa & inestimabilis, princeps & præcipua omnino esto cura, ne quippiam admittatur, quod eandem ullo modo labe factare, multo minus destruere, queat. Eo potius summo enitendum est studio, ut morbi & præmatura mors arceantur. In hoc enim præcipuum medentis positum est officium, tum quod magis in ipsius potestate situm, tum quod ex centum vix unus eam attingit ætatem, ut ex scientia rerum salubrium & insalubrium, præsentem morbum depellere tuto & certo norit. Ut itaque officio suo recte satisfaciat artifex, per remedia, quæ ipsius manus & instrumenta, nihil plane agere debet ex opinione, quæ secundum Hippocratem de decent. orn. in crimen verti debet eam adhibentibus, sed simplex sectanda veritas, cujus genuinus character, si ex indubiis & inconcussa veritatis principiis apta connexionem ita potest deduci & demonstrari, ut animum convincat, nec dubitatio amplius supersit. Urst hanc demonstrationem serio jam primus artis conditor, Hippocrates, passim. Sic enim graphice scribit epist. XXVII. ad Athen. oportet non solum dicere, sed etiam demonstrare, quod verum est in Medicina. Idem lib. de art. pag. 9. vult, ut morborum tam manifestorum, quam obscurorum, certæ & insalubiles medelæ sint. Et lib. de loc. in hom. pag. 398. constans, ait, & firma est tota Medicina & doctrinæ optime in ea compolita, minime fortuito casu egerent videntur. Atque etiam ego existimo, medicam disciplinam ad demonstrationes consciendas omnium esse aptissimam. Magnus enim est numerus causarum naturalium, non naturalium & præternaturalium, quæ concurrere debent ad proximam causam, a qua functiones læduntur immediate & morbus fit. Quo vero major rerum vel causarum series & ordo, eo pulciores, pleniores & perfectiores conficiuntur demonstrationes. Jam, uti supra dictum, secundum optimos demonstrandi magistros, definitiones reales sunt illud principium & fundamentum, ex quo conclusiones firma argumentatione deducendæ, & in quod veritates singulæ tandem resolvuntur. Quare in adornanda hac morborum per investigatione, hanc mihi præfixi methodum, ut primo loco veram morbi definitionem collocarem, per quam ipse morbus ejusque causa cognosci, & ab aliis ratione suæ essentiaë dignosci possit. Dein subjunxi statim generalem morbi historiam, complectam cum omnibus necessariis circumstantiis, depromptam partim ex propria, partim aliorum peritissimorum Medicorum experientia, eumque in finem magno cum fructu usus sum ex antiquissimis Hippocratis & Aretæi, neque minus Celsi, Cœlii Aureliani & Tralliani scriptis, qui accuratius recentioribus morborum consi-

P R Æ F A T I O.

conſignarunt hiſtorias, e quibus ob id eximiora loca paſſim inferui. Enarrata hiſtoria, in proximam & adequatam cujuſvis morbi cauſam, quę ſymptomatum genitrix, inquiſivi, & ſimplici ſimul ac ſacili methodo cum hac connexi cauſas antecedentes remotas, item naturales & præternaturales, oſtendendo apte & intelligenter, qua ratione hæc ad primam in effectum traducendam conſpicerent. Tum expoſui ſigna, e quibus de morbi eventu iudicandum perire, ac, ut ſedes morbi & mortis cauſa innotefceret, addidi demum, quę in cadaveribus deſunctorum reperiantur. Sic tradita morbi theoria, acceſſi ſtatim ad medicationem & curatorias indicationes, quę perperam plerumque ſeorſim tractantur. Curatio enim & medendi methodus opponi debent cauſis, ideoque etiam proxime cum iis connecti, quo eo melius in oculos incurrant & animo inſigantur. Priſca hæc fuit Hippocratis ſententia, quam lib. de flat. pag. 400. ſic prodidit: ſi quis cauſas corporis affecti probe cognovit, potens eſt valde ea afferre, quę corpori commodent, nimirum contraria, morborum natura perſpecta. Eſt enim ſecundum naturam Medicina, ideſt, Medicina in naturalem ſtatum debet reducere egrotum. Sed in medicatione merito tenendum: nec Medicum, nec medicamenta, ſed ipſam naturam, per quam nihil aliud intelligo, quam corporis machinam potentius motricibus in ſolidis & fluidis, nec non ex variis ſecretoriis & excretoriis artiſicioſiſſime conſtructam, ſolam ſepe morbum ſanare, cauſasque ipſius debito tempore & ordine per congrua emunctoria eliminare. Hanc itaque methodum, hunc ordinem naturę & leges, Medicus ceu peritus ipſius miniſter cum cura obſervare & imitari, ac ſi deficit, in moribus eandem juvare, vel ſi excedit, ad moderamen & æquilibrium reducere debet. Quod, quo pacto recte ſit faciendum, leges quaſdam, naturę legibus conformes omnino, tradidi & uberius expoſui in Med. ration. ſyſtem. tom. III. Sect. 2. cap. 1. & 2. quę tamen in ratione fundatę, quam multiplici experientia ſunt comprobatę. Haſ, qui in medicatione omni obſervabit curate, peccabit nunquam; qui autem deliquit, certiſſime contra harum præceptum impegit. Quare omnibus & ſingulis, qui artis exercitio manum admoveere volunt, aut jam in eo verſantur, ſedulo legenda, perpendenda & probe tenenda commendo etiam atque etiam, quę in citato tomo tertio, maximeque Sect. 2. cap. 1. 2. 3. & 4. ſeqq. attuli. Inde enim ampliſſimum fructum ad reſolvendas morborum hiſtorias & danda ſalutaria conſilia percipient, & intelligant, ſpecialia hoc in opere præctica præcepta, niſi univerſalibus illis omnia. Habeant præterea diſciplinę meę alumni ſibi commendator caſus, quo cuiusvis capiti ſubjunxi, cum addita epicriſi. Hęc enim, ubi recte actum, perſpicient applicationem præceptorum, ubi ſecus factum eſſe, candide ſine ullius injuria dixi, aliorum damno ſapere & cautioreſ fieri diſcent. Videbunt etiam ex hiſtoriis deprompta ſalutaria monita, ampliſſimi in ſimilibus caſibus uſus. Omnia autem erunt incitamento, ut diligentes ſint in annotandis curate morborum hiſtoriis, e quibus, ope theorię ſolidę, ad uſum accommode, ipſi eruere poterunt canones atque cautelas ad incrementa & pathologię & therapię longe utiliſſimas. Nolo tamen, ut mea tantum ſeſtentur, ſed ut ex aliis etiam decerpant, quę vera & ad uſum ſcripta, eademque cum prudentia ſibi imitanda proponant. Quem in finem habeo ut commendem Hippocratem, Aretæum, Trallianum, & Cellaum, ex veteribus, ex recentioribus Gallis, Balonium & feliciffimum Practicum Riverium: ex Italis optimum Hippocratis ſcholiaſtem Mercurialem, necnon Lanciſium & Baglivum; ex Angliſ Williſium, Sydenhamum & Morthonem, ex Belgis Sylviuſ & Boerhaaven, ex Germanis Sennertum, Hildanum ac Ettmullerum, non neglectis eorum laboribus, qui noviffime in noſtra æque ac aliis Germaniæ Academiis, veris principiis & ſufficienti experientia inſtructi, ſcripſerunt. Hęc tam in genere, quam de

P R Æ F A T I O.

de scribendi ratione & usu hujus libri monuisse sufficiat. Optassem quidem, ut practicum opus universum, uti animo concepti, luci publicæ simul exponere potuissem, sed late nimis patuit campus, quam ut uno semestri, in tanta agrotorum, & domi, & foris, consilium & opem exquirentium, in tanta negotiorum & causarum, ex magistratu quem gero academico, multitudine, & sub valetudine adversa, qua sub initium anni longius quam per mensem fui detentus, eundem potuerim emetiri. Selegi igitur potissimam de febribus doctrinam, eandemque in prima hac parte mihi sumsi explanandam. Dabo tamen operam, ut quam primum fieri poterit, reliquorum adhuc morborum, eodem modo instituta tractatio, & si DEUS vitam viresque concesserit, vertente forsitan anno, lucem aspiciat. Interim ut hic noster labor in medentium & agrotantium fructum cedat amplissimum, voveo, Scribebam Hale Magdeb. Idibus Maji, anni CL^o L^o CCXXIX.

C O N S P E C T U S

P A R T I S P R I M Æ . S E C T I O I .

De febribus intermittentibus tam simplicibus , quam compositis & anomalis Catarrhalibus, item Exanthematicis & Malignis, nec non Erysipelacea.

P R O L E G O M E N A .

De Febrium natura in genere.

Caput I.	De febre tertiana.	pag. 4
II.	De febre quartana.	27
III.	De febre quotidiana.	45
IV.	De febribus intermittentibus epidemicis anomalis mali moris.	56
V.	De febre semitertiana.	60
VI.	De febre catarrhali benigna.	65
VII.	De febre variolosa.	74
VIII.	De febre morbillosa.	97
IX.	De febre purpurata rubra & alba miliari.	107
X.	De febribus epidemicis exanthematicis catarrhalibus sive petechizantibus.	120
XI.	De febribus petechialibus veris.	137
XII.	De febre pestilentiali.	151
XIII.	De febre erysipelacea.	161

S E C T I O I I .

De febribus acutis inflammatoriis , item lentis putridis hecticis, nec non symptomaticis.

Caput I.	De febribus inflammatoriis in genere , speciatim de febre acuta sanguinea, Græcis synocha.	172
II.	De febre ardente, nec non cholericæ.	182
III.	De febre stomachica inflammatoria.	198
IV.	De angina.	208
V.	De febre phrenetica, sive phrenitide.	217
VI.	De febribus pneumonicis sive pleuritide & peripneumonia.	227
VII.	De febre hepatica, sive hepatitis.	239
VIII.	De febre nephritica.	246
IX.	De inflammatione vesicæ.	255
X.	De inflammatione & febre uterina.	261
XI.	De inflammatione oculorum, cum & sine febre.	278
XII.	De febre intestinorum inflammatoria ex mesenterio.	286
XIII.	De febribus lentis & hecticis.	295
XIV.	De febribus symptomaticis.	315



S E C T I O I.
D E
F E B R I B U S
I N T E R M I T T E N T I B U S

Tam Simplicibus quam Anomalis atque Compositis,
item Catarrhalibus, Exanthematicis &
Malignis, nec non Erysipelacea.

P R O L E G O M E N A

D E

F E B R I U M N A T U R A
I N G E N E R E.

S. I.

*Febris
frequē
& gra-
vis mor-
bus.*



Nullus morbus recte me-
retur appellari universa-
lis, certe est ipsa febris.
Hac enim universum
nervosarum partiū genus
vehementer exagitat, omniumque in
corpore partium functiones gravi-
ter pervertit, ut nec solidorum,
cordis & arteriarum motus, æqua-
bilis sit atque legitimus, nec san-
guinis, reliquorumque humorum
progressus liber & naturalis, nec
saluberrimæ secretiones & excretio-

Tom. IV.

nes recte succedant, neque etiam ip-
se animus sibi omnino constet, sed
quandoque febrili impetu turbatus,
deliret plane. Deinceps omnibus o-
mnino hominibus ex æquo incum-
bit hic morbus, cujuscunque sint
ætatis, sexus, & temperamenti,
quocumque sub cœlo vivant, &
quocumque etiam victu & vitæ re-
gimine utantur. Quin epidemice
haud raro grassatur multosque si-
mul magna corripit atrocita ac me-
dentibus multum facessit negotii.
Neque tantum per se sanitatem
subvertit & morbus est primarius,
sed sæpe etiam aliis passionibus, u-
ti cachexiæ, scorbuti, phthisi, lui
venereæ, hydropi, accedit ceu sym-
ptoma, easdemque acerbiores red-
dit & periculosiores. Ut adeo, cal-
culo exactius subducto, decima mor-
talium pars, morbo vix alio tolla-
tur e medio, quam febrili.

S. II.

Licet autem febris humano generi

A

tam

*Sæpe
tamen
saluta-
ris.*

Sectio I. Prolegomena de februm natura in genere..

tam infestus & pernicialis sit morbus; hanc tamen peculiarem obtinet facultatem, ut motu intestino & progressivo, quo absolvitur, auctiori, causam suam destruat, ac seipsum sanare possit, immo aliis gravibus & longis morbis superveniens eisdem vincat, atque expugnat. Ipse Hippocrates & Celsus febrem habuerunt medicinam & morborum praesidium, quo magni etiam morbi curantur, paralyses, epilepsia, convulsivi motus, affectus spasmodici, sic dicti hypochondriaci, quin consultum duxerunt, suppressa citius febre, novam accendere. Et testantur etiam observationes, quod valetudinarii, post febrem, firmam & longam sanitatem fuerint adepti, quin, quod temperamentum & mores fuerint immutati, qua de re latius videri potest dissertatio nostra de februm salubritate.

§. III.

*Febris
descri-
ptio.*

Quum igitur febris tantam potentiam, tam ad mortem, quam sanitatem habeat; in proclivi est judicare: ipsius veram & intimam, quoad indolem, generationem atque effectus cognitionem, utilem esse Medico, & scitu necessariam. Jam, secundum logicas regulas, vera rei cujusdam definitio, naturam, differentiam & causas ipsius comprehendens, verum & optimum est demonstrandi principium, ex quo reliqua phaenomena apte deducenda. Hinc omnino etiam de vera, adaequata & reali febris definitione debemus esse solliciti. Sed pudet & taedet dicere, tam multas tamque varias veterum aequae ac recentiorum proflare febris definitiones; & tamen vix ullam, ullius, aut nonnisi exigui esse momenti, ad genuinam ipsius indolem veramque causas exponendas. Mihi itaque ad veritatem accommodata sic definienda videtur febris: quod sit spasmodici universi systematis nervosi & vasculosi affectio, juncta cum omnium in corpore functionum laesione orta a causa nervosas partes ad intensiorem

contractionem irritante, ita quidem, ut accedente ipsa, fluida vitalia primum ad interiora, cor & majora vasa ab externo ambitu agantur, & postea, aucta cordis & arteriarum systole, celeriter cum actu per strictiora vasa iterum extrorsum pellantur, donec spasmus laxato excretionibus succedant, & febris desinat.

§. IV.

Affero igitur formalem febris rationem, sive, ut ita loquar, fundamentalem causam, consistere in spasmodica universi generis nervosi & fibrosi affectione, quae maxime ex spinali medulla procedit, & successive ab exterioribus ad interiores partes vergit. Docui id pluribus, & momentosis rationibus in *dissertatione, de vera motuum febrilium indole ac sede*. Idem vero etiam luculenter arguunt omnia, quae in febre praesto sunt phaenomena, atque phaenomena, dolor scilicet dorsi, praesertim circa lumbos, horror, rigor, frigus, praesertim extremorum, tremor, unguum livor, vasorum in manibus & pedibus detumescencia, cutis contracta & arida, oscitatio, pandiculatio, pallidus & lividus faciei color, tremens, & palpitans cordis motus, praecordiorum anxietas, spiratio agra, inquietudo, corporis jaectatio, sensus ebullientis circa praecordia sanguinis, pulsus contractus, parvus ac debilis, nausea & inclinatio ad vomitum, alvi & perspirationis suppressio, cum urina tenui & aquosa.

§. V.

Hinc prona jam fuit consequentia, quod omnia, quae totum nervosarum & vasculosarum partium systema ad spasmos irritare & sollicitare possunt, ad ingenerandam febrem sint aptissima. Horum classem ducunt vehementes animi commotiones, terror, in primis & ira, materia venenata & subtilis caustica, vel intus genita, vel per contagium suscepta, intercepta perspiratio, sudores critici cohibiti, exanthemata retropulsa, materia pu-

*Causa
forma-
lis.*

*Causa
materiale
vari.*

mēta ulcerosa, passim in partibus
 obhærescens, alimenta nimis acia,
 corruptæ & biliosæ primis in viis hæ-
 rentes cruditates, nimis vigiliæ, do-
 lor vehemens ac nervosarum partium
 tensio, in inflammationibus, tumo-
 ribus, & abscessibus, læsiones nervo-
 sarum partium ab acuto instrumento,
 ab acri & corrosivo pharmaco, bal-
 nea frigida & vicissim nimis calida,
 aut adstringentia. Sed pro differente
 harum causarum indole, & vario, quo
 nervosum genus infestant, modo, dif-
 ferunt etiam prognata inde febres, ut
 nonnullæ sint benigniores, nonnul-
 læ maligniores, aliæ intermitten-
 tes, aliæ continuæ, simplices,
 vel compositæ, regulares, vel a-
 nomalæ, exanthematicæ, putri-
 dæ, hæcticæ, vel lentæ, ut porro
 quædam facilius, vel difficilius sana-
 tionem admittant, quædam cito de-
 currant, quædam longius extrahantur,
 quædam etiam hominem perimant.
 De qua febrium origine earumque
 causis & differentiis, pluribus egi
 in *dissertatione de generatione febrium*.

§. VI.

Febvis
duplici
motu
abol-
uitur.

Neque vero omnis celerior cordis & arteriarum systole, expulsa frequentiori cognoscenda, nec auctus cum calore intensiori sanguinis circuitus febris est. Sæpe enim talis a vehementi corporis exercitatione, vel sanguinis per calida & spirituosa commotione, accidit. Sed ille tantum intensior fluidorum circuitus, & illa auctior cordis & arteriarum systole, febris dicenda, quæ a causis internis inducitur, & sequitur horrorem, rigorem, & frigus partium externarum. Duplex enim in febre sociatus motus, unus qui a peripheria ad centrum, sive a partibus externis ad internas, cor & pulmones vergit; alter qui hunc sequitur contrarius, a centro ad corporis peripheriam. Illi junctus pulsus parvus, contractus, debilis, cum præcordiorum anxietate & spirandi angustia; huic auctior arteriarum motus, pulsus magnus & æstus, ex-

tremaſ etiam corporis partes occu-
pans. Duplicem hunc febrem abſol-
vere motum pridem jam notavit pri-
mus artis noſtræ parens *Hippocrates*,
eundemque diſertis verbis ſuſe deſcrip-
ſit *l. de flat.* hunc in ſenſum : in febre
per horrorem ſanguinem ab extremis
corporis partibus, quæ ex ſanguis &
propter frigus palpitant, decedere &
concurrere ad locos maxime calidos,
& ob ſanguinis ibi collecti abundan-
tiam ſuſcitari calorem, ad externa-
dem tranſeuntem.

§. VII.

Duplex hic motus diversæ plane in-
dolus atque virtutis est. Primus ille, a
peripheria ad centrum, minus saluta-
ris, sed *per se* morbosus, quin
interdum mortifer. Qui enim mo-
riuntur ex febre, sive continua sit,
sive intermittens, acuta, sive chro-
nica, pereunt sub spasmo, frigore,
horrore, & rigore partium externa-
rum convulsionibus, quia cor, pul-
mones, & cerebrum, sanguine intus
congesto nimium obruta, eundem ob
debilitatem amplius repellere neque-
unt. Alter vero ab interioribus &
centro, ad circumferentiam & mini-
ma vascula motus, salutaris est & vita-
lis, immo medicinalis & conservato-
rius. Sub hoc enim & per hunc, ipsa
materia, spasmus febrilem ciens, suc-
cessu temporis corrigitur, discutitur, e-
jicitur, & ipsa febris solvitur.

§. VIII.

Nimirum quum causa motus febrilis sit spasmus universalis, nunquam penitus cessat ille, nisi hic fuerit solutus. Hunc autem solum esse indicatur, si perspiratio fit liberior, mador, vel sudor in cute apparet, pulsus antea durus, imperuolus & celer, mollior fit, moderatus ac tardior, si urina sedimentum ponit, & vires successive redeunt. Hæc junctim apparentia, morbi solutionem nunciant, & crisis nomine veniunt, quia ex iis medicus iudicium de morbo ferre potest. Hoc etiam sensu exponenda est veterum definitio febris, quod sit lu-

*Febris
solutio.*

Ata cum morbo. Quod si scilicet spasmus, succos ad interiora urgens, validior est cordis & arteriarum motu ad externa repellente, morbus vincit, & mors incidit. Si autem motus per spasmum retrogradus superatur a vitali cordis & arteriarum systole extrorsum sanguinem trudente, morbus abigitur & sanitas redit. Quæ quidem naturæ post luctam hanc victoria, certis, septenario potissimum numero computatis diebus, accidit, qui ob id vocantur critici, quibusque medico de morbi eventu judicandum.

§. IX.

Per naturam
autem
presta-
da.

Ineffabilis igitur divina providentia merito celebranda, quæ corporis nostri machinam animalem, tam sapienter potentiis & facultatibus instruxit motricibus, ut ipse morbus, qui nunquam non cum læsione functionum partium & vitæ sanitatisque periculo accidit, ad expugnandam ipsam suam causam sui que curationem sæpissime vergat, & vergere possit. Atque adeo, quum ipsa natura sit optima morborum, etiam ipsius febris, medicatrix, perniciosum omnino est molimen, febriles in salutem tendentes motus, imprudenter medicina suspendere, suppressere, aut plane tollere velle. Secundandum potius naturæ saluberrimum opus, quod per auctiorem progressum humorum motum, ad correctionem & resolutionem materiæ morbificæ ipsiusque tandem excretionem dirigitur. Id quod optime perficitur diluentibus, humectantibus, temperantibus, aperientibus, roborantibus, & nitrosis, nec non iis, quæ, tempore præsertim intermissionis, congruas excretiones promovent.

§. X.

Conclu-
sio.

Hæc est nostra sobria & rationalis februm theoria, causis manifestis, intellectui obviis, & ex necessitate agentibus, physico-mechanicis, nitens. Ex qua omnia, quæ circa febrilium motuum negotium occurrunt, phænomena, symptomata, & effectus,

ordine concinno, & apta connexionē deduci possunt & explicari. Quod quo pacto sit faciendum, & qua ratione etiam ex hac theoria methodus medendi congrua elicienda causisque opponenda remedia, uberius patebit ex iis, quæ in speciali quarumvis februm tractatione jam dicemus.

CAPUT PRIMUM.

De Febre Tertiana.

Theses Pathologicae.

§. I.

Nulla febris est, quæ tam exacte motus febrilis in genere, qui & vasa, & nervos partes infestat, & Hippocrati Græcisque rigoris nomine quasi per excellentiam venit, naturam ac genium manifestat, & quæ tam frequenter affligit, nec ulli ætati, temperamento, vel sexui parcat, quam quæ alternis diebus cum rigore & horrore invadit, subsequente celeri, qui ex frequentia cognoscitur, pulsu, nec non anxio & ardenti calore, ac tertiana dicitur.

Tertiana
na quæ
dica-
tur?

§. II.

Hæc, præsertim si regularis & legitima, his incedit symptomatibus. Caput primum dolet, artus languent, lumborum percipitur dolor circa primam dorsalem vertebam, qui per dorsum longitudinem versus epigastrium ascendit, cum dolorifico tensionis in hypochondriis sensu alvi que strictura, accedit partium externarum, præsertim narium & aurium, refrigeratio, pandiculatio, oscitatio, & horror, membra sæpius graviter concutiens, pulsu simul parvo, contracto & debili, interdum quoque agro sitiente. Sequitur dein nausea, cum inani ad vomendum conatu, vel etiam ipsa vomitio materiæ biliosæ & pituitosæ, quandoque viridis, juncta sæpius tussi molesta cum pituitæ rejectione, ex stomachi cruditatibus acido viscidis oriunda. Tum universum corpus fervor,

Ipsius
detur-
sus &
sympto-
mata.

vor, sive anxius, ardens & siccus calor occupat, facies antea collapsa & pallida, cutis contracta & rigida, vasaque in manibus ac pedibus inanita resurgunt, rubescere ac tumescere incipiunt, arteriarum quoque pulsus major, plenior & citatior micat, inquietudo intensior, spiritusque difficilior fit, & ægri oculis vix clausis aliena multa loquuntur. Decrescunt postea sensim hæc symptomata, æstus mitescit, cutis laxatur, & madescit, urina emittitur flammæ coloris, qualis compareret in destillatione spiritus nitri, vel aquæ fortis, sine sedimento tamen; arteriæ simul mollius tangentis manum feriunt & sudore prorumpente paroxysmus discedit; qui tamen pro differentia naturarum & causæ morbificæ quoad durationem varius, ita quidem, ut in quibusdam ad decem vel undecim, in quibusdam ad viginti horas protrahatur. Subsequenti intercalari die corpus quidem adhuc languet, frigidiusculum est, facileque inhorrescit, pulsus tamen sub febris impetu citatus & vehemens, tardius jam & debilis undulat, & urina quoque crassior mingitur, ac sedimentum ponit, vel minimum nubesculam, quæ dispositio ad sedimentum exhibet.

§. III.

Causa
formis.

Sic decurrens paroxysmus febrilis, ipsa symptomatum ratione teste, quam optime ad motus nervosarum partium universi fere corporis spasmodico-convulsivos referri meretur; quo etiam fit, ut omnia ea, quæ nervosas partes ad motus anomalos irritant, uti quidem faciunt animi affectus, fortiora cathartica, nec non cum cibus vel aere susceptæ materiæ acres, causticæ & venenatæ, item omnia adstringentia, frigida, & quæ nervis inimica sunt, quin clysteres acres, quos purgantia validiora ingrediuntur, tum ad generationem, tum recidivam, vel minimum exacerbationem febris, plurimum omnino conferant.

Tom. IV.

§. IV.

Causam horum motuum febrilium in tertiana veteres quidem bilem intemperatam, ab aliis humoribus separatam, & extra venas in imo ventre nidulantem, esse censuerunt: est vero potius materia, quæ illos excitat, & fovet, excrementitia salino-sulphureæ & activæ indolis, quæ nostro quidem judicio, sedem potissimum habet prima in regione, partim in biliariis hepatis ductibus, partim in flexura duodeni. Scilicet hoc in cavo humores biliosi, salivales, præsertim pancreaticus, jam tum vitiiati, mutua cum cruditatibus ex prava digestionem confermentatione ipsaq; diuturniori mota & stagnatione, ejusmodi virulentam gignunt materiam, quæ huic successive per vasa lactea ad sanguinem & cum hoc ad nervosas capitis, medullæ spinalis, ventriculi, intestinorum & nerveas aliorum ductuum secretoriorum & excretoriorum tunicas, sufficienti quantitate delata, universalem ejusmodi spasmus ciet, sub quo sanguis ad interiora & vasa majora primum urgetur, postea vero aucto systaltico cordis & arteriarum motu, totius massæ sanguineæ & humorum progressus intenditur, obstructions in minimis nervosarum partium canaliculis expediuntur, & remittente spasmō, relaxatisque excretoriis, febrilis, quæ insedit, materia per cutis spiracula, perspiratione, aut sudore opportune ejicitur, insultusque cessat, donec par rursus hujus excrementitiæ materiæ quantitas ex primis viis ad sanguinem tunicasque nervosas de novo fuerit translata, novumque inducat paroxysmum.

§. V.

Expedita autem hujus materiei ipsiusque tertianæ genesis est in corpore exquisitioris sensus, cholericæ constitutionis, ad spasmos animique motus proclivi, in ætate plus consistente, quam infantili & senili, regnante ætate nimis fervida & flantibus ex austro & euro ventis; præsertim si portio

Causa
antecedentis.

A 3 tri.

frigida fuerit ingurgitata, vel corpus tempore vespertino, aut nocturno, auræ frigidiori & humidiori, aut plane insectorum minimorum copia circa compluvia & stagna refertæ, diutius expositum; multo magis quando venter cruditatibus oppletus, vel cibi gravis materiæ, aut adstringentis facultatis, & maxime omnium cum nausea assumti.

§. VI.

Et pro-
catay-
sticæ,

Neque minus frequenti experientia confirmatum habemus, corpora spongiosiora tempore vernali, post largiorem sanguinis missionem, facile in febres tertianas nothas, vel catarrhales incidere, eo facilius, quando, præsertim grassantibus jam febribus, pluvioso & humido cælo committuntur & stomachus cibo minus solubili infarcitur. Novimus quoque a purpura frigore externo repulsa, scabie linimentorum mercurialium, & sulphureorum ope intempestive siccata, ab improvido acidularum & aquarum mineralium, neglecto simul regimine, & assumtis rudioribus alimentis, potu, nec non a percalido Carolinae, quæ adstringentis virtutis sunt, thermarum, vel aliorum balnearum, in corpore præsertim plethorico, impuro, & cruditatibus referto, balneo febrem tertianam, interdum continuam, interdum duplicem & anomalam, accessisse.

§. VII.

Dividi-
tur in
legiti-
mam &
nothā.

Ex his incunabulis prognata tertiana, non semper una eademque facie incedit, sed discrepat; ideoque merito a medicis in varias dispescitur species. Est quippe vel legitima, vel notha. Illa potissimum adoriri solet homines biliosæ constitutionis, & sensu exquisitiori pollentes, in primis sub præcalida aeris æstivi intemperie, acerbioribus etiam stipatur symptomatibus, horrore scilicet, calore, capitis dolore, siti, vomitu, & anxietate, urina secedente intensius flammea, breviori tamen temporis spatio solvitur, atque discedit. Hippocrates quidem

exquisitam hanc duodecim horis deservere & septimo paroxysmo finire, passim asserit, sed tam exactæ periodi febres in septentrionalibus nostris humidioribus, & frigidioribus regionibus non observantur, & recte hinc perhibet *Mercurialis prælect. Bonon. pag. 190. rarissime tertiana exquisita Hippocratis invenitur, neque ego vix vidi, & jam quadraginta anni sunt, quod praxim exercui; id quod ego ipse etiam asseverare possum.* In notha autem, sive spuria, mitiora quidem præsto sunt pathemata, calor non tam ardens, vomitus non ita frequens, urina non adeo flammei coloris, sed diutius extrahitur, & vacuo etiam die virium languor, artuum lassitudo cum inappetentia relinquitur. Ad hæc, segnioris magis naturæ homines, sequiorem sexum & qui spongiosioris sunt habitus, autumnali maxime tempore, infestat.

§. VIII.

Regularis dein est, vel irregularis, *Regulam & irregulam.* sive anomala & confusa. Illa typum servat æqualem, tam ratione temporis invasionis, quam solutionis, longitudinis ac brevitatibus paroxysmi, & suctis ceterum incedit symptomatibus. In hac vicissim tempus accessionis inordinatum, mox ante, mox post meridiem, jam circa vespem, quin mediam noctem, ipse paroxysmus, modo brevior, modo longior, urina, remissionis, vel intermissionis tempore, nihil dimittit, sudor vel nimis parvus, vel nimis largus, vacuo etiā die adest, & passionibus complicatur insolite, pro naturarum diversitate diversæ, ut vel alvi fluxus, vel narium hæmorrhagiæ, vel enormes stomachi etiam subversiones, aut graves capitis dolores, mentis alienationes, anxietates cardialgicæ summa, artuum dolores ventrisque tormina præsto sint. Et tales irregulares febres, quæ typum non servant, sunt plerumque epidemica, ex præternaturali & insolita æstatis vel autumnal constitutione provenientes, ut plurimum continuæ, qua-

quales etiam elapso 1727. anno per universam fere Germaniam, post intensam atmosphæræ per multos menses siccitatem & caliditatem, populi res habuerunt circuitus.

§. IX.

*Simpli-
sem &
dupli-
cem.*

Nonnumquam porro simplex, nonnumquam duplex observatur. Simples paroxysmi alternis diebus recurrunt, duplex autem quotidie accedit, interdum quoque bis, uno die vacuo. Distinguenda tamen duplex a quotidiana, quæ accessionis tempora quotidie servat æqualia, quum in illa paroxysmi recursus alternis diebus respondeat.

§. X.

*Conti-
nuam.*

Continua quoque occurrit tertiana, his dignoscenda signis: adoritur cum horrore, anxietate, vomitu, æstu & ingenti languore, nec sequenti die symptomata hæc prorsus intermittunt, sed tantum remittunt, pulsuumque manet adhuc frequentia, cum æstu & languente debilitate; paroxysmi autem die, præcedente levi externorum refrigeratione, omnia iterum exasperantur, & ingravescent. Et talis febris, si epidemia, durat quandoque per duas vel tres hebdomades, antequam in legitimam intermittentem concedat; fit autem crebrius, ut tertiana primum per aliquot dies sit continua, & postea in intermittentem bono transeat omine, malo contra, ex intermittente in continuam.

§. XI.

*Epidemi-
am &
ende-
miam.*

Plerumque tam simplices & regulares, quam duplices & anomalæ, sunt epidemicæ, & ex insolita temporum tempestatumque, æstate inprimis, constitutione proficiunt. Endemiæ, quæ audiunt, familiares & quasi propriæ sunt certis quibusdam locis, depressioris scilicet situs, uliginosis, piscinis paludibusque cinctis, culicum & insectorum proventu infestis, ita prorsus, ut incolæ rarius annum a febre immunes transigant, & advenæ crebrius eadem, exerceantur ac difficulter ex toto liberentur.

§. XII.

Omnia hæc febris tertianæ genera mitius primum accedunt, repetentibus autem paroxysmis vehementia invalescunt, manifesto indicio, inordinatis istis, solidorum & fluidorum sub impetu motibus, magis adhuc inquinari, magisque intemperatos reddi corporis succos, qui imminuto intermissionis diebus perspirationis & excretionum successu, pejorem adhuc successive indolem contrahunt.

§. XIII.

Singuli paroxysmi, laxata jam cutis compage, madore, vel sudore solvuntur, urina die intercalari crassior mingitur, & nubeculam exhibet, vel plane sedimentum ponit, quod eo copiosius, quo plus corpus sanguine & succis abundat. Si vero sub declinatione sudor non prodit, urina etiam tenuis & aquosa die vacuo secedit, alvique siccitas impensior, uti hypochondriacis maxime solemne adest; valde affectum esse spasms a materia rebeli febrili nervosarum partium systema arguunt.

§. XIV.

Tertio ut plurimum vel quarto paroxysmo, ulcuscula circa labia produnt, & lotium cum ardore quodam redditur, tumque symptomata notabiliter mitescunt. Optime autem & securissime hæc febris a natura vel sola, vel arte adjuta, ex toto solvitur, erumpente bilioso copioso alvi fluxu & auctiori excretionis cuticularis, die a febre immuni, successu, quod ex magnitudine & vigore pulsus viriumque incremento cognoscitur. Qui tamen epidemicis & anomalis laborant, soluta licet febre, difficiliter convalescunt, & vires recuperant; ideoque digesta exactiori indigent.

§. XV.

Nulla ex febrium genere, calore & auctiori sub paroxysmo motu interno, tam celeriter corpus succulentum exsiccat, & obesum emaciat, tantamque biliosorum recrementorum, quæ per vomitum, alvum, & urinam secedunt,

*Terti-
ana
mitius
accedit.*

*Paro-
xysmus
quomo-
do sol-
vatur.*

*Febris
solutio
spontanea.*

*Consumit
corpus
& gignit
Jordes.*

dunt, copiam ingignit, ac tertiana, intensiori, ac diuturniori æstu stipata. Et hæc fuit procul dubio ratio, quod veteres febrem hanc a bile intemperata exsuperante derivarint, licet hæc redundantia potius effectus quam causa sit.

§. XVI.

Quæcū-
tumque
morborum,

Longiores & contumaciores sunt autumnales, & hyemales tertianæ, tam maxime, quando viscera male constituta, prima regio spasmodicis & flatibus referta, alvus strictior, æger vorax, multumque, præsertim ante accessionem, ingerit, nec non ubi conveniens regimen in paroxysmo & post eum, supprimendo sudorem, negligitur, vel etiam medicatio perperam instituitur, uti plerumque evenit in plebejis, & qui manuum ministerio victum parant, confirmante hæc ipso Hippocrate Sect. I. aph. IX. Breviores contra minusque ancipites sunt, si æstate incidunt, prima regio & viscera ad sanitatem disposita, & regimen dieteticum æque ac diaphoreticum tempore vacuo rite observatur.

§. XVII.

Male
tractata
alios
adducit
morbos.

Licet omnis intermittens non adeo periculosa sit, vix tamen ulla circumspeditione diætæ ratione & tam provida methodo excipienda, quam tertiana & quartana. Quod, si non servatur, in truculentos & immedicabiles morbos adducit ægrotantes, febrem nempe lentam, hæcticam, subitum pedum tumorem & hydropem, contracturas & acerbos dolores artuum, malum flatulentum & hypochondriacum, variique generis morbos spasmodico-convulsivos, infantes in lethalem plane epilepsiam, qui omnes morbi facile succrescunt post præposterum ac nimium adstringentium, ante sufficientem materiæ excrementitiæ correctionem, & evacuationem, usum. Hinc apprime ad veritatem Trallianus lib. 12. cap. 6. tradit: tertiana, inquit, facilis quidem curatur, quum autem a medicis illis, qui non recta ratione & via utuntur, male

tractatur, non modo difficilis curatur, sed & insanabilis interdum redditur.

§. XVIII.

Ex facili quoque tertiana per medici & laborantis errorem in aliam febris speciem transit, simplex scilicet in duplicem, quandoque triplicem, immo in quotidianam & lentam, vel plane continuam, aut cholicam.

In alias
quoque
febris
species.

§. XIX.

Crebrius demum & facilius quam ullus alius morbus redit tertiana & quartana, inprimis præpostera medicatione suppressa. Simul ac enim coctus a febre haud ita pridem liberatum aeri paullo frigidiori & humidiori vètoque asperiori ex septentrione spiranti exponitur, vel stomachus copiosus, aut insalubri cibo plus justo aggravatur, vel quidam animi motus, ira potissimum aut terror, incidunt, vel etiam purgans paullo acrius propinatur; protinus spasmi febriles, dolor in capite, cum refrigeratione partium ipsius externarum, aurium, & narium, oscitatio, pandiculatio, dolor circa primam lumbarem vertebra, languor artuum, hypochondriorum cum anxietate & alvi strictura tensio, horripilatio & refrigeratio, cum subsequente æstu, accedunt, quamvis sub prima repetentis morbi accessione, non secus ac in principio omnis febris intermittens, mitiora sint hæc, & sequentibus paroxysmis exacerbentur.

Facile
repetit.

M E T H O D U S
Præservatoria.

§. I.

Quum itaque febres tertianæ plerumque epidemicæ sint, & populariter grassentur, earumque causa antecedens febrem ingignens, potissimum in aeris vitio, vel diuturna intemperie, nec non in cohibita excretionem per cutim & cruditatum prima in regione sentina, contineatur; facile patet, tempore, quo circumeunt, intemperatum, impurum, & vappidum aerem esse ingiendum, vitando maxime

Arcon-
sur per
verum
n. n. an-
sum.

xime

xime omnium vespertinam humidioram auram, neque cibo copioso aut gravi stomachum onerandum, neque potura largiorem, multo minus spirituosum, vel acedentem ingerendum, neque etiam animi affectibus indulgendum.

S. II.

Per remedia.

Inter remedia, quæ a febrium insultu defendunt, æstate nimis fervida ex usu sunt pulveres leniter nitrosi, absorbentes & diaphoretici, decocta etiam temperata & diluentia, ex radice cichorii, scorzonera, rasura cornu cervi, hordeo mundo, ad potum ordinarium proficua, nec non acidula Selterana, vel Wildungenses, quæ simul alvinam excretionem liberam reddunt. Expediit porro quoque, mane infuso theiformi, ex herba sanguinem depurante, ut scordio, veronica, post somnum excretionem per cutis poros elicere, ac promovere. Neque enim facile febris alvo soluta, & perspiratione libera accedit, ut potius, quandocumque illa præter morem adstringitur, corpusque languens & frigidiusculum est, febrem præstolari, haud fallaci judicandum sit augurio.

INDICATIONES

Curatoria.

S. I.

Que in dicentur in sermo.

In curatione vero omnis medentis intentio ad causarum proximarum remotionem dirigenda. Atque adeo, quum potissimum tenuis, acris, mobilis, & biliosus humor, nervosarum partium & tunicarum vasorum systema universum, ad universalem spasmus & stricturam exstimulans in causa sit; recte utique colligitur generales medendi intentiones his contineri momenti: 1) ut subtilis illa & caustica acrimonia temperetur, & emendetur; 2) ut correctæ & præparata materia peccans, quæ a perspiratione intercepta in corpore & genita fuit & relictæ, per cutis inprimis spiracula leniter diffletur, & evacuetur; 3)

ut vehementia spasmorum, qui præsertim sub frigore & horrore se va concitant symptomata, mitigetur; 4) ut cruditates acido-viscido-biliose, in duodeno potissimum stabulantes, quæ nidum & hospitium præbent materie febrili, tempestive invertantur, & expurgentur; 5) ut vigor motuum post paroxysmum corpori reddatur, & excretionum successus servetur, ne, uti quidem post omnem vehementem morbi impetum & partium nervosomuscularum spasmus solenne, atonia, & motuum languor succrescat, nec inde sanguinis & humorum progressus una cum secretionibus & excretionibus elanguescant, & hac ratione de novo materia febrilis generetur, foveatur, & accumuletur; & denique 6) ut, quum hæc febris ex facili redeat, cessante jam hac ipsa, novæ materie ad inducendam recidivam aptæ generatio, studio impediatur, & præcaveatur summo.

S. II.

Ad obtinendum itaque primæ indicationis scopum, acrimoniam nempe biliosam, quæ ob intensiorem æstum succos successive collutulat omnes, contemperandam, nihil efficacius nitro, vulgari tantum rite depurato, quippe quod sulphur volatile, a quo motus intestinalis cietur, figendo, æstum extinguit, & longe præstantioris effectus est acidis, quæ calorem quidem reprimunt, sed humores simul inspissant, quum illud eisdem fluxiles potius servet ac tenues. Egregie quoque acrimoniam sulphuream biliosam obtundunt diluentia, & humectantia, potui destinanda, cujus generis sunt ptisanæ ex hordeo, radice scorzonera, rasura cornu cervi, succo & corticibus citri, ex aqua pura debito modo decoctis, item decoctum avenaceum, vulgo der Haber-Tranck serum lactis dulce, aquæ Selterana, vel etiam cerevisiæ tenues, bene coctæ ac diureticæ. Et hæc quidem in paroxysmo potissimum ex usu sunt.

Humores biliosi temperandi.

§. III. Ex

§. III.

*Per ipso-
ros eva-
uandi.* Ex præscripto secundæ indicationis id agendum medenti, quo humores tenues, excrementitios, biliosos, præparatos nunc & correctos, laxata post paroxysmum porosa & cribrata cute, blande educat. Perficitur hoc apprimè diaphoreticis lenioribus, cerussa scilicet antimonii, antimonio diaphoretico, cornu cervi usto, & philosophice præparato, nec non infuso theiformi, quod scordium, vel carduum benedictum & cortices citri habet, item essentia scordii, vel cardui benedicti, probe quidem saturata, non tamen adeo spirituosam, cum liquore nostro anodyno minerali permixta.

§. IV.

*Spasmi
in paro-
xysmo
mitigā-
di.* Tertia indicatio vehementiæ spasmodum ipso in paroxysmo mitigandæ dicata est. In qua quidem explenda præstans utique jam laudatus usus nitroforum refrigerantium, lenium diaphoreticorum, & diluèrium blandumque madorem elicientium. In primis egregia hoc nomine virtus liquoris nostri anodyni mineralis, vel qui ipsi surrogari potest, spiritus nitri dulcis bene præparatus, quippe qui blando suo & naturæ amico anodyno sulphure effrenes fluidi nervei & solidarum nervosarum & musculosarum partium motus compescit, eo felicius, quando is vel cum pulveribus fixis, vel essentis diaphoreticis maritatur & cum aquis, quæ pariter sedativæ virtutis, florum scilicet sambuci, tilix, primulæ veris, liliorum convallium, chamomillæ vulgaris, rosarum, acaciæ, ulmarix, item ceraforum nigrorum, propinatur.

§. V.

*Sordes
primæ
regionis
acidæ
obtinē-
dendæ.* Quumque prima corporis regio sordibus maxime excrementitiis & biliosis scatens mineram & fomitem materię febrili præbeat, eo, ut quarta præcipit indicatio, quam maxime anitendum, ut confluentes huc ex universo corpore imtemperati & vitiosi succi attemperentur, & eliminentur. Hinc ubi acidæ cruditates exuberant,

sola absorbentia, tam terrea alcalina quam salina, utramque absolvunt paginam; & inter hæc spectata potissimum & securæ virtutis lapides & chelæ cancrorum, nec non testæ ovorum, quæ ut teneriora & facile solubilia, merito anteferenda marinis, rudioribus & ægrius liquecentibus cumque acido in adstrictivam planè facultatem transeuntibus.

§. VI.

Quando biliosa porro præsto est a- *Bilio-
sa &
viscida
corri-
gendæ.* credo, nitro, uti meminimus, nihil superius; si vero lenti ac tenaces, visceridi succi intus consistunt, salium neutrorum laudata virtus, tartari quippe vitriolati, salis digestivi Sylvii, ex capite mortuo spiritus salis ammoniaci, ex æquali parte salis tartari & salis ammoniaci, confecti, salis quoque ipsius ammoniaci depurati. Qui certe, maxime in robustioribus & victui crasso, duro, marino assuetis, Suecis, Batavis, Westphalis, quibus ut plurimum diuturnæ esse solent febres, commendari merentur; opus autem est, ut cum sufficienti aqueo vehiculo diluta exhibeantur. Hæc quippe, si repetita, vel majori dosi præbentur, præter effectum incidentem, alvum quoque movent, & sordes efficaciter evehunt, eoque nomine nostro jam tempore haud mediocrem salubritatis laudem adeptæ salia, ex aquis medicatis parata, Sedlicense scilicet, Egranum, & ad horum imitationem confectum sic dictum Ebshamenfè sal, quæ ad unciam dimidiam & plus in aquæ mensura liquata, viscidas & excrementitias primarum viarum sordes detergendo & exturbando, spectati adversus intermittentes & qui ex ventriculo oriuntur morbos sunt usus. Idem præstat detecta a nobis aqua Sedlicensis amara, ad mensuram dimidiam, diebus intercalaribus ter vel quater hausta, ut vel hac sola tertianas sæpe curatas viderim. Quandoque tamen tenerior ventriculi constitutio & spasmodum in ipso cum acidis ponticis suc-

*Et eva-
cuanda
per in-
feriora.*

fuçcis frequentia, uti solenne in infantibus, senibus, & passione hypochondriaca & cardialgica affectis, salium, præsertim copiose datorum, usum interdicit; eaque propter mannam tantum ad unam vel duas uncias, cum, vel etiam sine rhabarbaro, adiecta una vel dimidia terræ foliatæ drachma & aliquot olei de cedro guttis, potius offerre expedit.

§. VII.

Superiora.

Ubi demum ipsum duodenum copioso, bilioso, & vitioso humore oppletum, vel plane biliarii ductus lentis & pravis, succis facti sunt, ut per superiora emeticorum ope evacuatio instituat, ere est; hunc in finem teneioribus exhibenda radix ipecuanha nodosa, robustioribus autem hæc, tartaro emetico ad granum unum vel duo admixto, ipse quoque tartarus emeticus solus, vel, qui melius adhuc, julepus noster emeticus, ex aqua corticum citri spirituosa, julepo rosarum & tartaro emetico soluto confectus dandus. Quod si vero non tantum superiora, verum etiam inferiora intestina a recrementis liberare, in ingluvie maxime deditis, necessarium; utrumque commodè obtineri potest infuso mannato, quod unciam unam vel unam cum dimidia mannæ, terræ foliatæ tartari drachmam & tartari emetici unum vel duo grana habet.

§. VIII.

Debiles partes roboranda.

Correctis sic & evacuatis noxiis per varia excernicula humoribus, ad quintæ indicationis normam eo dirigenda medicatio, quo universum solidarum partium, maximeque ventriculi & intestinorum systema, ob diuturnos spasmos & paroxysmos a robore dejectum firmetur iterum. Versatur in hoc rite perficiendo præcipuum curationis intermitterium momentum, ita prorsus, ut usurpatis quantumvis diu alterantibus, aperientibus, amaris & evacuantibus, paroxysmus tamen nihilo secius persistat, accommodis contra roborantibus debito modo usurpatis, remittat, ac cesset. Scilicet

reddito nervosis, vasculosis, & musculosis partibus robore, non tam pronæ ac promptæ sunt ad concipiendas humorum stagnationes, spasmodum insulstantium causas, sed liberior potius sanguinis omnisque generis succorum fit circuitus, pulsus auctior & respiratio cum secretionibus & excretionibus vegetior, ut non modo paroxysmiistantur, sed & nova febrilis spasmi minera dispellatur, quæ alias, languente vacuo die perspiratione pulsusque tardo, succrescit.

§. IX.

Ex omnibus vero, quæ huc usque innotuerunt specificis antifebrilibus, adstrictiva vi agentibus, corticibus nempe & radicibus adstringentibus, nec non ex marte vel alumine confectis, quin etiam paullo calidioribus, nullum quod magis accommodatum, temperatum, omnibus ætatibus, temperamentis, & sexui idoneum ac vel mille auspiciis experimentis comprobatum, quin tota, ut ajunt, substantia medicatum pluribusque indicationibus satisfaciens, quam cortex ille Peruvianus, Ching Chinæ nomine notus, quippe qui, si convenienti tempore, modo, ac regimine usurpatur, ut excretiones naturales non sufflammet, sed potius promoveat, propter terreum lene adstringens elementum & balsamicam amaritiam, omnibus aliis palmam præripit, & aliquot dosibus tantum, vel ad miraculum, febriles compefcit paroxysmos. Longe tamen efficacior est in pulvere & substantia, quam in decocto, infuso, essentia, aut extracto, ipsoque sic ceteris paribus tempore vacuo exhibito, pulsus fit vividior, calor cum perspiratione auctior, alvus, præsertim in cholericis, fluidior, manifesto fausta operationis indicio. Mihi quidē infrequenti usu est electuarium, cujus ope innumeros febrientes persanavi, hac ratione concinnatum: Recipe rob sambuci unciam dimidam, corticis chinæ drachmas sex, pulveris florum chamomillæ vulgaris drachmas duas,

Optime per corticem chinæ.

duas, extracti centaurei minoris, pulveris caryophyllorum ana drachmam semis, syrupi acetositis citri unciam unā semis. M. f. electuarius. D. Admiscere etiam quandoque ad facilitandum perspirationis successum soleo antimonii diaphoretici, theriacæ veteris, vel etiam salis ammoniaci drachmam dimidiam, & finito paroxysmo, singulis binis horis, ejusmodi electuarius ad drachmę dimidię pondus exhibere. Iis autem, qui tenerioris naturæ & stomachi, cortex in formam liquidam redactus, propinandus, hunc in modum: Recipe corticis chinæ unciam unam, corticis chaecarillæ, cinnamomi acuti, salis tartari singulorum drachmam unam, aquę florum chamomillæ vulgaris libram unam, vini tantundem; digerantur leni calore, colat. adde syrupi corticum aurantiorum unciam semis. M. D. S. Potio antifebrilis, binis quibulvis horis ad unciam unā vel duas sumenda.

S. X.

*Recidi-
vapre-
caven-
da.*

Ad præciseindendas, qui sextæ indicationis scopos, admodum frequentes intermittentium & maxime quidem tertianæ recidivas, certior vix datur ratio, quam qua omnia, quæ ad generationem febris faciunt, evitatur, ac monita superius in præservatione inculcata curate observantur. Et quum exhausto per febrem corpore, appetitus hac discedente impensior esse soleat, ventriculus autem & natura adhuc imbecillior, sæpius certe evenit, ut novus cruditatum primis in viis fiat proventus, & febris vel lentæ, vel superatæ recidivæ ortum præbeat. Hinc consultum omnino ducimus, ut qui mox a febre convaluerunt, leviolem cœnam & facilis digestionis cibos assumant, ac præterea ad fulciendum ventriculi robur, adducendas primæ ex regione sordes, nec non detergendas, si quæ supersunt, morbi reliquias, efficacibus utantur præsiidiis. Nos quæ hunc in finem commendemus habemus potissimum moderatum, sed eo crebriorem usum pi-

lularum nostrarum balsamicarum confortantium, deglutiendo alternis diebus mane, vel vespere, novem, vel undecim earundem. Totum quippe corpus inde robur nanciscitur, status summa cum euphoria discutiuntur, & alvus clementer movetur, aucta subinde sub pulsu vegetiori ipsa perspiratione. Deinde egregii etiam usus elixirum stomachum roborans, de quo ante prandium 30. vel 40. guttę sumenda, eamque in rem elixir nostrum balsamicum, in notis ad Poterium descriptum, elixir stomachale Michaelis, in adjuncto clavi Schræderianæ thesauro pharmaceutico inveniendum, vel nostra methodo præparata essentia stomachica, aut etiam essentia gentianæ rubræ, salivolatili oleoso nupta, item elixir viscerale nostrum apprimè proficiunt.

Methodus medendi specialis.

S. I.

Quando saburra vitiosorum humorum in stomacho ac duodeno efficacem postulat depletionem, quod ex prægressa ingluvie, præcordiorum anxietate, nausea, ructibus, & oris amaritie conjicendum, mox in principio, finito primo vel secundo paroxysmo, die vacuo offerendum emeticum, quale supra commendavimus. Vel, si firmior ventriculus & non modo per superius, sed & inferius os vitiosa sentina exturbanda, talem etiam præscripsimus formulam: Recipe salis Sedlicensis, vel Ebshamensis unciam dimidiam, tartari emetici grana duo, vel tria. M. F. pulvis, dissolvendus in lib. dimidia aquæ purę tepidæ & duabus a finito paroxysmo horis sumendus, facilitando postea evacuationem successivo largiori potu jusculi avenacei tenuioris, pinguedine liberalius imbuti. Recuperatis autem post evacuationem quodammodo viribus, sine mora electuarii superius descripti antifebrilis aliquot doses sumendas suasi, quo sæpissime factum est, ut in prima quasi

Per vomitoria

Verum electuario.

quasi herba jugulata febris cesserit, & subjuncto exquisito in regimine & victu moderamine, nunquam repetierit.

§. II.

Per salina.

Contra ea, si quæ fuerunt, quæ excretionem anotericam interdixerunt, multi tamen serosi & crudi succi intus delituerunt ac sufficientem evacuationem exegerunt, salibus detersivis alvum aperientibus medicationem sum aggressus hunc conficiendo pulverem: Recipe salis Sedlicensis unciam dimidiā, salis ammoniaci, vel digestivi Sy-vii, lapidum cancrorum ana drachmas duas, nitri purificati drachmam unā. M.F. pulvis, de quo binis quibusvis horis drachma dimidia in uncia aquæ puræ, vel chamomillæ vulgaris, aut ptisanæ, ingerenda, superbibendo semper vasculum infusi thee. Quo postquam aliquoties diebus interjectis egregie, blande tamen, & per epicrisin, alvus totusque intestinorum canalis expurgatus, febris tamen nec depulsa, nec quoad vehementiam imminuta, vel corticem chinæ salibus æquali pondere admiscui, vel solum electuarius nostrum interponere jussi, & sic etiam brevi tempore tertianas expugnavi, epidemice etiam grassantes & autumnales.

§. III.

perclysterei & lenissimæ.

Quod si vero æger affectioni hypochondriacæ obnoxius, inflati stomachi, alvi obstructioris, exquisitoris sensus, impatiens, & ad animi motus proclivis, nec emeticis, nec purgantibus salibus, præsertim liberaliori manu, utendum est, sed commodissimam tum locant operam clysteres, ex temperatis carminativis & emollientibus conflati, item pilulæ nostræ balsamicæ, refractori dosi, ad novem vel undecim, tempore intermissionis deglutitæ, præmittendo aliquot horis, vel postponendo pulveris digestivi, ex cancrorum lapidibus, terra foliata tartari, tartaro vitriolato, & nitro depurato, usum.

§. IV.

Quid faciendum in paroxysmo.

In accessione febris ipsoque paro-

xyismo, & maximæ quidem rigore, nihil plane a Medico tentandum. Abstinentum tum etiam a potione, præsertim frigida, licet sitis ipso sub frigore præsto sit. Increfcente vero sensim æstu, eoque ad vigorem deducto, potum utique, & quidem sufficientem, præbere decet, non tamen magnis haustibus, sed crebrius interpolatis, studendo simul, ut palato non sit ingratus. Propinanda hinc quæ supra commendavimus decocta & infusa, & quæ maxime accommoda ptisana, seu decoctum hordei, cum scorzonera, adjecto limonum, vel rubidæ sirupo, nec non spiritu nitri dulci, & oleo de cedro. Ad æstum quoque & sitim extinguendam ex usu est pulvis temperans, ex duabus lapidum cancrorum & una nitri parte, repetito cum ptisana exhibitus.

§. V.

Erumpens remittente æstu & soluto paroxysmo maior, vel etiam sudor, tam lecti & hypocausti temperie, quam internis quoque adminiculis blande proritandus, eumque in finem, præter jam memorata, egregii usus infusum theiforme ex radice scorzonæ, herba scordii, & corticibus citri. Postquam vero febris penitus deservit, corpus ab omni tam interna, quam externa refrigeratione defendendum, & curandum potius, ut in jugi servetur perspiratione, quod impetratur accommoda exercitatione, & crebriori potuum calidorum usu.

Cautelæ & observationes Clinicae.

§. I.

In perita medicamentorum adversustertianam, simplex sit, sive duplex, aut continua, administratione, ante omnia observandum a Medico, initium paroxysmi ejusque finis, judicando illud ex refrigeratione partium extremarum, pandiculatione, oscitatione, horrore, & pulsu in celeritatem & contractum mutato, & solutio-

Initii & finis paroxysmi ratio habenda.

tionem ex pulsu molliori, remissione æstus, madore, vel sudore. Etenim nunquam in accessione, vel mox ante ipsam, sanguinem mittere, vomitorium, purgans, corticem chinæ, aut aliud roborans, & adstringens exhibere licet; deferente vero impetu, sudor, ubi expedit, commode promovendus, & tempore denique a febre prorsus vacuo, diaphoretica, evacuantia, vel etiam pro renata specifica præbere optimum & accommodatissimum.

§. II.

*Quid si ut contra-
tina
accidit?* Quum tertiana in principio, præsertim in calidioribus, sæpe febrem continuam & ardentem mentiat, non nisi temperantia, diluentia, & modice leniter salina, digestiva, nitrosa conveniunt, omittendo tum emetica, vel acriora calida sudorifera, donec in tertianæ typum concesserit.

§. III.

*contu-
max
in quo-
tidiana
transit?* Si contumax est, ut autumno, vel in quotidianam transit, antifebrilis illa potio, quam primus Crollius & ex hoc Riverius commendat, ex aqua scilicet destillata, ut cardui benedicti, sale absynthii & spiritu vitrioli confecta, bis vel ter quotidie data, egregium affert levamen, eo certius, quando pillularum nostrarum balsamicarum usus interponitur. Monendum tamen, hanc servandam esse enchiresin, ut spiritus vitrioli non immediate cum sale absynthii commisceatur, sed miscela in aqua adornetur. Ego quoque sali absynthii oleum tartari per deliquium surrogare soleo, vidēdo, ut in connubio punctum saturationis exacte tangam. Et talis potio similem, immo superiorem aquis mineralibus, acidulis dictis, aperientem virtutem possidet.

§. IV.

*vel ni-
mis bi-
liosa a-
genum.* Eadem potio in tertiana nimis biliosa, vel in cholerica ex iracundia enata, admodum proficua vitanda vicissim amara, sudorifera, alexipharmaca, acriora, aromatica, multo magis salia volatilia, & usurpanda potius temperatissima salina nitrosa, & præcipitantia.

§. V.

¶ Chinæ cortex optimum certe antifebrile, ejusque virtutem etiam in grassantibus epidemice febribus præstabilem deprehendi atque securam; semper tamen securior insensibilioris, calidioris, & vegetioris naturæ subjectis, nec non ubi urina sedimentum ponit ac per cutis poros excretio succedit, quam in segnioribus, melancholicis, phlegmaticis, vel mensium suppressione laborantibus, ac ubi excretionum defectus & urina cruda. Hinc recte ipso assumto, motus corporis, quantum fieri potest, imperandus & potus non frigidus, sed calefactus exhibendus.

§. VI.

Quandoque ante correctionem & sufficientem materiæ morbiferæ evacuationem, paroxysmos per specifica & corticem chinæ compescere oportet; ut postea longe meliori effectu mineræ febris & corrigendæ & eliminandæ congruis prædiis aliquamdiu insisti possit.

§. VII.

Quando æstus & pathemata gravius urgent, viresque exauriunt, corticem chinæ, nitro nuptum, in forma elevari, intermissionis tempore, cum bonis ægrorum rebus datum fuisse, multis confirmatum habeo exemplis; ita prorsus, ut mox symptomatum mitigatio & virium incrementum successerint. Tenendum tamen, hoc facto, materiæ febrili & temperandæ & expurgandæ, medicationem adhuc esse accommodandam.

§. VIII.

Purgantia acriora, uti, ob spasmodum quod cient incrementum, nunquam in tertiana propinanda; ita eo minus, quando paroxysmi a cortice chinæ, vel aliis remediis cessant, eo quod facile febrem revocant. Sed quādo alvus subsistit, clysteribus, vel pilulis nostris balsamicis, interposito salium usu, officii admonenda.

§. IX.

Emetica, si indicatio adest, statim in.

Chinæ
quando
secura.

interdū
statim
offeren-
da.

nitro
jungen-
da.

Purgan-
tia no-
civa.

Emeti-
ca cito
danda.

in principio, quo citius, eo melius, offerenda, nec gratis expectandum, donec materia fuerit concocta, sed proxima via exturbanda, priusquam noxam latius diffundat. Quod si enim febris corpus jam aliquamdiu detinuit, æstus ille solennis nimius ventriculorum ad inflammationem concipiendam disponit, ab emetico postea facile procurandam. Interim quando paroxysmus, sæpius, licet mitius, recurrit, & febris vel ex neglecto regimine diætetico, vel perperam instituta medicatione, ad aliquot menses extracta, utilissime sæpius dedi vomitorium. Id dumtaxat servandum, minorem tum, ac in principio, sufficere dosin, eademque magnam biliosorum humorum colluviem ex duodeno exturbari, tam salubri effectu, ut licet febris non penitus cesset, ex facili tamen postea specificis antifebrilibus, & maxime quidem chinæ cortice, subjuncto debito in vita & victu moderamine, abigi possit, ac perlanari.

§. X.

Vena
sectio
quando
condu-
cat.

Sanguinis missio in tertiana summa cum cautione instituenda. Nimirum quando febris primum accedens continuæ speciem refert, ingens æstus cum delirio urget, æstas regnat, æger ætate vigens sanguine abundat, biliosus, ad iram pronus, & diætæ vinosæ assuetus, utiliter utique vena pertunditur. Præmittenda tamen primarum viarum repurgatio, & eligendum tempus a febre immune. Sorbillandum etiam paucis ante, vel post sectionem horis, infusum theiforme, in primis ex floribus chamomillæ vulgaris, singularis plane adversus febres virtutis, partim quo sanguis tenuior redditus eo liberius circumferatur, partim quo motus spastici, quibus tota febrium natura continetur, quodammodo placentur.

¶ no-
s. at.

Contra eo quâdo prima regio crudita tum sentina sordescit, corpus non sanguine abundat, nec reliqua præsto sunt phanomena, sanguinem mittere nocivum, eo quod excretionibus salutaribus, maxime ea, quæ fit per cutis poros, in-

de sufflaminantur, ipsaque febris, experientia teste, obfirmatur magis, & chronica fit.

§. XI.

Ab opiatis & anodynis, quorum in numero etiam sunt pilulæ Wildegan- si & de cynoglossa, in intermittentibus prorsus abstinere consultum, quippe quæ infido effectu paroxysmum quidem mitigant, vel interdum suspendunt, sed vires simul deficiunt, totumque febris decursum cum salutari crisi turbant, ut morbi causa majores acquirat vires, & paroxysmus longe gravior postmodum accedat.

§. XII.

Aluminosa, & vitriolacea etiam febrium paroxysmos fiunt, sed si quis forsitan in plebeis iis uti velit, opus est, ut post eorum usum sudor decocto, vel infuso theiformi calide sumto eliciatur, vel corpus motu exerceatur, quo alias nocens facultas earundem quodammodo averti possit. Post præposteriorum enim tam horum, quam aliorum eminentius adstringentium usum, plura subsequuta fuisse incommoda annotavi, maxime in iis, qui excretionibus sanguineis assueti, ita ut hæ inde penitus fuerint suppressæ.

§. XIII.

Cortex chaccarillæ accommodatissimum etiam in intermittentibus est remedium, ob principium quo instructus est balsamicum & sulphureum anodynum terreumque, adstringens. Sed quia sanguinem exæluare & calorem accendere solet, in biliosis & ad motum impetus pronis subjectis minus, & nonnisi in refracta dosi, ex usu est, in segnioribus vero, in phlegmaticis, & mulieribus magis, & tunc commodissime cum cortice chinæ miscetur.

§. XIV.

Absorbentium spectatus quidem in febribus effectus, nihilominus tam moderate, quam cum delectu, sunt usurpanda. Copiosius quippe ingesta, solventibus in ventriculo succis minus obediunt, sed integra relictæ, eundem

Sedat-
va no-
cent.

Adstrin-
gentia
inferu-
ra.

Chac-
carilla
quibus
condu-
cat.

Absor-
bentia
cum de-
lectu &
modera-
te usur-
panda.

onerant, quin in lentam plane pastam coeundo, anxietates & nauseam cient. Rudiora vero illa, ex marinis maxime depromta, ægrius non modoliquantur, sed & adstrictivam plane postea sortiuntur virtutem.

§. XV.

Topica
in ce-
phalal-
gia ob-
sunt.

Sæpius evenit, ut in paroxysmo præsertim accedente, a sanguine ad caput, potissimum in plethoricis, congesto, exquisita oriatur cephalalgia, cum sensuum & phantasie turbatione, cui non promiscue topicis occurrendum. Vidi enim epithemata illa domestica, ex absinthio, ruta, cumino, baccis juniperi, sale communi & pane trito, ob vaporem, quo caput replent, plus nocuisse, quam profuisse. Multo minus vero cephalica & nervina, ut balsamum nostrum vitæ, quod alias in doloribus capitis egregius usus, porrigenda sunt.

§. XVI.

Potus
calidus
circum-
specte
dandus.

In paroxysmo potus calidus, ut herbæ theæ, fabarum coffeæ, non confert, quia humores acres, biliosos, plus justo in sanguinem agit & æstum, nec non anxietates mirifice auget; sed potius concedenda potio temperate calida. Recte enim Hippocrates lib. III. de morbis præcipit: tertianis potus calidus non confert, sed frigidus. Extra paroxysmum autem calidæ ejusmodi potiones commode inveniunt locum, præsertim quando excretio alvinalibera est.

§. XVII.

Depulsa
febre
quid fa-
ciendū.

Quando febris per specifica depulsa, non omittenda penitus sunt sanitatis præsidia, sed vitanda sedulo corporis refrigeratio, in appetitu moderamen servandum & aliquamdiu tam pilularum balsamicarum, quam elixirii stomachici usui insistendum, uti jam superius in sexta pluribus monuimus indicatione.

§. XVIII.

Oedema-
tosi suc-
cedunt.

Quod si vero contigerit, ut ob ingestum largius frigidum potum, veldatæ præpostere adstringentia, tumores succedant oedematosi, nequitiam in

usum vocanda aciora purgantia, martialia, aut salia volatilia, sed omnis medicatio salibus absterfivis, pilulis balsamicis & temperato lignorum decocto conficienda. Ubi etiam anasarca corpus obsidet, emeticum cum extracto panchymagogo Crollii, vel helilebori nigri, iusta dosi oblatum, miram aquarum copiam evehendo, insigniter juvat.

§. XIX.

Senes plethoricos & venæ sectioni assuetos, a refrigeratione in atrocem colicum dolorem, subsequente tertiana continua epidemice grassante, incidisse, crebrius observavi, quibus sanguinis missio admodum fuit proficua, chinæ cortex autem, mature nimis datus, perniciosus, ita prorsus, ut quotidiana hæctica similis funesta inde fuerit enata.

§. XX.

Pueris octavum vel decimum ætatis annum agentibus, febre tertiana correptis, exoptato cum successu dedi potiunculam emeticam, & post hanc clysteres ex antifebrilibus, centaury minori & cortice chinæ, applicare jussi, febre ex toto quiescente, nec unquam repetente.

§. XXI.

Feminae ex mensium suppressione cachectica febrientes, magna circumspeditione tractandæ, rejectis penitus omnibus validioribus evacuantibus, æque ac roborantibus, emmenagogis quoque, quæ quidem temperata, sed febre nonnisi discedente, locum inveniunt. Clysteres vero ex leniter laxantibus, amaris & carminativis, nec non infusa blande alvum subducentia, quæ simul amara, corticem chinæ & limaturam martis habent, opem fecerunt præstabilem.

§. XXII.

Puerperæ intermittentibus affectæ febribus, gravissime inde luunt, & sæva pathemata hysterica incurrunt, nisi lochiorum curate habeatur ratio, tãto magis, quando hæc cum febre per absorbentia marina, vel præcipitan-

vel ana-
sarca.

Quomo-
do tra-
hendi
senes.

Pueri.

femina
cachec-
tica.

Puer-
pera.

tia marina, vel præcipitantia rudioris texturæ, conchas, corallia, cum, vel sine acido, nimis cito supprimuntur. Tum potius insigni virtute splendent, pilulæ nostræ balsamicæ tonicæ, quæ morbis ex uteri vitio apprimè medentur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Tertia-
na in
biliosis
perpe-
tuam sa-
libus ex-
cepta.*

Incidit vir quinquaginta annorum, cholericus & in iram admodum proclivis, æstivo tempore in tertianam, quæ per aliquot hebdomadam decursum perstitit, ægerque variis interea animi pathematibus, angore, cura, sollicitudine, quin ira affectus, in paroxysmis subinde conatus ad vomendum persensit. Vocatus in consilium medicus, non alia exhibuit medicamenta, quam salia, arcanum quippe duplicatum, sal ammoniacum, sal tartari, nitrum & id genus plura, & hæc quidem liberali admodum manu & repetitis dosibus. Sed tantum abfuit, ut his, quantumvis diu usurpatis, febris fracta fuerit vehementia, ut potius symptomata magis increverint, angustia præcordiorum cardialgicæ intensiores, facies admodum contracta, pallida & livida, extremorum etiam die vacuo refrigeratio, cum perpetuo ad tussim siccam stimulo, vomendi conatu, quin singultu, accesserint & simulac quicquam esculentum fuerit, sive potulentum, in ventriculum delatum, illico pejus habuerit æger. Nostræ hinc commissus medicationi, omnia salina seposuit, a vino quoque, licet ejus potui antea assuetus, abstinuit, & crebrius juscula hausit ex pullo gallinaceo, cremore hordei & vitello ovorum, nec non decoctum florum chamomillæ vulgaris. Exterius ante paroxysmum epigastrii regioni imposita est vesica speciebus emollientibus repleta, & alvo injectus clyster ex lacte & manna, adjecto stimuli loco nitro

Tom. IV.

& sale. Mitigatis autem hinc symptomatibus, electuarium ex cortice chinæ, julepo rosarum, theriaca & nitro, intercalari die aliquoties modica dosi dedimus, tam salubri effectu, ut febris penitus discederet, nec unquam rediret.

Epicrisis.

Notatu utique dignum est, salium, præstantis aliàs in intermittentibus virtutis, usum tam male hoc in ægro cessisse, & inflammationem quasi in ventriculo adduxisse erosionem, ut hinc omnia illa, quæ affixerunt, insolita pathemata pullularint. Ratio tamen peculiaris hujus effectus in proclivi est; scilicet cholericæ constitutionis erat corpus, æger ad iram pronus, & sub ipsa febre animi affectibus agitabatur. Jam vero nihil tam promptè & celeriter ventriculum cum tenuibus intestinis spasmo afficit, dispositionem ad inflammationem ibi ingignit, & bilem acrem ipsiusque effusionem causatur, quam ira, in subjecto præsertim plethorico. Dein notum etiam est, salia, cujusunque fuerint generis, nervosæ ventriculi & intestinorum tunicas mirum in modum irritare, magisque ad spasmos sollicitare. Atque adeo, his tam exquisitè sentientibus & spastica jam strictura affectis partibus, non potuerunt non malum augere, & sinistram plane effectum edere hæc salina remedia, tanto magis copiose & iterato oblata. Contra ea optimum certe fuit consilium, affectas has partes mulcere temperantibus, spasmos complacare, & febriles demum motus, diu jam corpori inhærentes, sistere atque compescere.

OBSERVATIO II.

*Febris
in ple-
thorico
gravi-
bus*

Vir quidam generosus, ruri degens, vegetus natura, robustus, sanguine succisque plenus, sexaginta & sex annis habens, postquam nocturno aeri sese incautius commiserat, & sudorem improvida refrigeratione repulerat, tertiana corripiebatur exquisita. Vo-

sanata.

B

ca-

cabar accedēte tertio paroxysmo ego, ægrumque sub frigore deprehendebam omni fere sensu privatum, delirantem, trementibus ob anxietatem summam manibus pedibusque, cum corporis irrequieta jactitatione, facie inflata & bruni coloris, ac pulsu contracto, duro ac celeri. Metuebam hinc gravem capitis morbum & ex adstantibus querebam: an non vena fuerit secta? sed regerebant: ob impensam naturalem quandam aversionem, nunquam ægrotum ut sanguinem mitteret induci potuisse, neque ipsum, quantumvis plethoricum, unquam spontaneum sanguinis ex narium, vel ani venis expertum esse fluxum. Ter interea tam graviter feblicitans pituitam maxime lentam, instar gelatinæ, saturato bilis colore tinctam, alvo dejiciebat, & postquam frigus per tres horas duraverat, succedebat æstus sex horarum, remittentibusque sensim pathematibus, erumpebat demum mador, ægro intercalari die bene se habente. Sitis autem sub frigore & horrore erat intensior, quam sub calore, & urina in paroxysmo rufa sine sedimento secedebat, quod tamen intermissionis die deponebat. Quum igitur æger omnem penitus sanguinis missionem respueret, ut exastuationem & congestionem sanguinis ad caput omni modo præscinderem, operam dedi, eaque propter loco cerevisiæ, quæ crassior erat & lupulata nimis, ptisanam potui præbendam suasi, & in paroxysmo potionem temperantem, ex aquæ florum acaciæ, sambuci, tiliæ, cardui benedicti ana unciis quatuor, pulveris nostri polychrestii bezoardici dicti drachmis duabus, temperantis nitrosi drachma, succi citri cochlearibus binis & sacchari uncia dimidia, cujus etiam per intervalla crebrius aliquot pro dosi cepit cochlearia. Declinante impetu, ad madorem eliciendum, infusum ex scordio & corticibus citri forbillavit, & extra paroxysmum pulverem ex lapidibus cancrorum, terra

foliata tartari & nitro, cum sufficienti quantitate ptisanæ, subinde assumpsit. His aliquandiu usurpatis, symptomata post nonum paroxysmum multum mitescebant & urina multum crassæ dimittebat materiæ. Quæcum ægrum duabus mannæ uncis & salis polychrestii drachmæ dimidio, in jure carnis dissolutis, purgasset prius, ad sistendum paroxysmum electuarium antifebrile, consueta methodo & idoneo regimine exhibui. Quo semel adhuc admodum leni insultu subsequente, febris penitus demum corpus deseruit, usurpatis postea aliquoties alternis diebus pilulis nostris balsamicis, cum pulvere salino aperitivo. Et ita perfecte cum sanitate sine recidiva in gratiam rediit æger, & in hunc usque diem ad septuagesimum septimum annum sanus vixit.

Epicrisis.

I. Sub gravibus & insolitis capitis in hoc ægro pathematibus, ab affecto graviter præter naturam nervorum systemate oriundis, singulari omnino naturæ beneficio evenit, ut minimum bis, vel ter, lentos biliosos succos copiose excerneret, & credibile merito, alvo simul adstricta, ancipitem subsequuturum fuisse capitis morbum.

II. Si febrientes plethorici, nec tamen venæ sectionem admittunt, optimum consilium, æstum temperantibus leniterque alvum subducentibus uti.

III. In corpore plethorico, denegata sanguinis missione & urina eruda prodeunte, febris nunquam cito per specifica jugulanda; sed tutius est decem minimum operiri paroxysmos, qui quasi remedium adversus succorum abundantiam, donec sponte mitescant symptomata, & urina cocta mingatur, ac tum demum, præmissis adhuc alvum moventibus, ad febrem transire de pulsandam.

OBSERVATIO III.

Quadragenarius quidam, sanguis neo-

Tertia simplex præposita medicatio ne in duplici convers.

neo-melancholicus, a longo jam tempore inordinata usus diæta, ætate, quæ jam cum febres grassabantur, ira gravius incitatus & corpus auræ vespertinæ frigidiori liberius committens, incidit in artuum lassitudinem, cum somno inquieto, dolore dorsi, capitis & hypochondriorum tensione, succedente horrore, & post hunc calore. Tertia die idem redit insultus, & licet frigus non adeo esset intensum, æstus tamen, & reliqua pathemata longe erant acerbiora, anxietas intensissima, & mentis plane quædam alienatio. Secatur a medico vena, offertur emeticum, unum tantum vomitum, ciens, & post quartum paroxysmum febris cortice chinæ sistitur. Prodit hinc post aliquot dies in publicum æger, & in horto fluvio adjacente bene cœnatur quidem & potat, sed recidit in febrilem, longe vehementiorem paroxysmum, stipatum summa præcordiorum angustia & æstu, nec non vomitione, ita ut non modo potum, sed & ipsa medicamenta rejiceret. Porriguntur hinc elapsis quatuordecim diebus bis pilulæ ex cortice chinæ & floribus salibus ammoniaci martiatis, tam infelici effectu, ut tertiana simplex in duplicem degeneraret, & vires ægri mirifice attereret. Notabatur præterea circa ventriculi regionem tumor, ingesta omnia vomitu reddebantur, anxietas erat vix toleranda, pulsus etiam extra paroxysmi tempus celer, urina non semper eadem, interdum crassa cum sedimento, interdum flava tenuis, non nunquam plane rufescens, & clystere injecto, alvus copiosa mucida, fœtida & biliosa dimittebat.

Epicrisis cum curatione.

Est hæc febris tertiana duplex, cum metu inflammationis ventriculi, quam imminuentem maximæ anxietates, perpetuæ stomachi subversiones, alvi constipatio, pulsus continuo celer, & tumor ventriculi haud dubie præfagiunt. Nec levis notæ error in medicatione commissus fuit, quod non

modo emeticum in febre tanto æstu, & angore stipata oblatum, sed & ante sufficientem materiæ febrilis correctionem & primarum viarum expurgationem, paroxysmus præmature primum cortice chinæ depulsus, & repetens postea, pilulis ex floribus salis ammoniaci, eminentius adstringente virtute præditis, oppugnatus. Ut igitur inducta hinc noxa præseindere ipsaque febris persanaretur, hoc modo medicationem aggressus sum. In infuso theiformi ex scordii manipulo, florum chamomillæ vulgaris, summitatum millefolii ana pugillis quatuor, seminis fœniculi uncia dimidia, exhibui liquorem anodynum cum elixirio stomachali. Deinde ad potum ordinarium commendavi decoctum rasuræ cornu cervi cum radice scorzonæræ, cum quo quandoque propinatus hic pulvis: Recipe pulveris Marchion, drachma; lapidum cancrorum, nitri depurati ana drachma dimidia, pulvis castorei grana X. M. F. Pulvis D. S. *Pulver auf etliche mahl*, pulvis ad aliquot vices. Postea sal absynthii cum succo citri oblatum. Exterius vero cataplasma, quod habebat florum sambuci, chamomillæ vulgaris, Romanæ, salviæ, hormini, anethi singulorum pugillos sex, herbæ menthæ crispæ manipulum, nucis moschatæ, caryophyllorum, cardamomi, seminis fœniculi ana unciam semis, redactis omnibus cum fermento panis, spiritu vini & aceto rosaceo in formam cataplasmatidis, calide ventriculi regioni appositi. Quo facto per universum corpus sudor obortus & anxietas cum vomitu cessavit; ac mitiori quoque sensim facto febris impetu; tandem electuario ex cortice chinæ, floribus chamomillæ & syrupo acetositaris citri, morbus feliciter persanatus.

OBSERVATIO IV.

Senex generosus, septuagesimum & quartum ætatis annum agens, sanus alias adhuc & vegetus, intermiserat consuetam vere sanguinis missionem,

Tertia non continua in senes

B. 2. & post.

& post impensam totius corporis refrigerationem, atroci primum abdominis dolore infestabatur, cum extremorum frigore & tremore, ad viginti fere horas persistente. Succedebat postea æstus, cum sensuum perturbatione, pulsu vehementi, delirio, viriumque prostratione. Tandem quidem superveniente leni madore, hæc inducias dabant, sed elapsis aliquot horis levis denuo eveniebat partium extremarum refrigeratio, iisdem quam antea symptomatibus stipata, ut non amplius obscurum esset, laborare ægrum febre, tum temporis epidemica, tertiana continua. Accitus hinc medicus, cui solennis, statim etiam in principio intermittentium, electuarii, cujus basis cortex chinæ, usus, & idem hoc suum remedium suadet, sed absumpta licet successive dimidia hujus libra, plus increvere, quam remittere symptomata, subsequuta enormis virium prostratio, continens capitis dolor, sitis, summa præcordiorum anxietas somnique defectus, pulsu semper magno, pleno, citato interdum plane intermittente. Nono morbi die advocabar ego, ægrumque offendebar imbecillimum, graviter de sinistro electuarii, biduo jam omisso, effectu conquerentem; ideoque sanguinis missionem, quæ in principio, meo & aliorum medicorum judicio, summopere fuisset necessaria, instituere nolui, & nil nisi analeptica & temperantia, cum leniter diaphoreticis suasi. Aderat quidem quotidie symptomatum ad sex vel septem horas remissio, sed totalis virium prostratio pessima ominabatur, ideoque capitalem fore morbum prædixi, ægro etiam elapsis aliquot diebus, ipso sub paroxysmo, obeunte.

Epicrisis.

Quamvis specifica antifebrilia, quorum potissimum cortex chinæ, necnon reliqua, quæ mera adstrictione agunt, martialia scilicet, cortex fraxini & Hartmanno familiaria aluminosa, in moderandis, vel plane sedan-

dis febrilibus motibus, non contentenda prudenter usurpata polleant efficacia; nihilo minus tamen ego nunquam non gravissimam inde notavi noxam, in corporibus plethoricis, spasticis, obnoxiis vehementioribus stricturis, hypochondriacis & hysteriis, & ubi nondum humorum acrimonia emendata, nec æstus mitigatus. Tanto vero magis cum cautione danda sunt senibus, quanto major in his ut plurimum humorum spissitudo & crassities, alvi obstipatio, immo haud raro sanguinis redundantia.

OBSERVATIO V.

Annus currebat 1719. quum Charlottiburgi, (quod amœnum prope Berolinum secessui regio dicatum oppidum, sed ob paludum & stagnorum circumjacentium copiam, febrium, quotannis ibi grassantium proveniunt, infestum,) & plures ex aulicorum ministrorum numero propter ciborum ingluviem, vespertinum improvide admissum frigus & aerem noxiis effluviis refertum, tertianæ implicarentur, consuetis symptomatibus stipatæ. Ex his plures, qui me utebantur medicatione, hac ratione ad sanitatem reduxi. Superato scilicet tertio paroxysmo, intermittente disputationem emetico laxantem porrexi, ex manna & tartaro emetico, in aqua veronicæ, vel florum acaciæ solutis, qua ingens vitiosorum humorum coluvies per inferiora & superiora exturbata. Hoc facto, tribus, vel quatuor, ante subsequens paroxysmi accessionem, horis, ad lenem provocandum sudorem, exhibui potionem ex tribus aquæ cardui benedicti uncis & dimidia uncia aquæ theriacalis, cum drachma salis tartari & triginta spiritus vitrioli guttis. Tum extra paroxysmum corticem chinæ & flores chamomillæ vulgaris, vel in forma electuarii, vel potionis, binis quibusvis horis, præbui, quibus per aliquot dies usurpatis, febris discessit, injuncta

*Tertiana cito
& tuto
sanata.*

post-

postmodum, ad arcendam novæ materiæ febrilis generationem, parciore vi&us ratione, cum elixiri nostri stomachici usu.

Epicrisis.

Multiplici edoctus sum experientia, specifica intermittentium præsidia, horumque principem, corticem Peruvianum, feliciter cum successu dari, vel statim in principio febris, per purgatis prius probe primis viis, vel declinante post aliquot paroxysmos jam sua sponte febris impetu, non tam facile nocere, ac si natura per plures paroxysmos imbecilliori reddita, demum usurpatur. Tum enim magis noxa timenda & majori opus est prudentia, eo quod per crebriores paroxysmos, motu tam intestino, quam tonico auctiori, tota sanguinis & humorum massa in excrementitias sordes fatiscit, quæ nisi prius sufficienter expurgatæ fuerint, per adstrictivam specificorum facultatem intus retentæ, peioris notæ recidivas, vel novos alios morbos, ingignunt.

OBSERVATIO VI.

Tertia. Ex præcalida, diuturna, insueta
n. e. epi- plane aeris tempestatumque constitu-
demica. tione, elapso 1727. anno, plures februm species universam fere Germaniam infestarunt, & laborantes nimio, fere continuo æstu, virium prostratione, anxietate, capitis dolore & nonnumquam plane delirio, mirifice affligerunt, ita quidem, ut frequentissima ex illis essent tertianæ continuæ, symptomatibus non penitus intermittentibus, sed tantum remittentibus, donec lapsu temporis, successively vel in quotidianas, vel tertianas legitimas, vel etiam quartanas, transirent. In harum persanatione ego quidem felici cum successu hac usus sum methodo. Sub febre, tribus singulis horis, duo circiter cochlearia præbui potionis ex aqua florum sambuci, tilia, cerasorum nigrorum ana unciiis duabus, pulveris præcipitantis

Tom. IV.

& bezoardici ana drachma una, succi citri & julepi rosarum ana uncia dimidia. Remissionis tempore oblatum laxans ex mannæ uncia cum dimidia, vel duabus, nitri puri & salis polychrestii ana granis 15. in jure carnis vel aqua destillata solutis. Fœminis autem spasmodicis affectibus obnoxiiis, clysteres injicere jussi, leniter discutientes & demulcentes. Perpurcata his prima regione, ad electuarii usum accessi, hac tamen cum differentia, ut ad temperandum æstum, nitrum adjicerem. Fracta hic postero mox die febris atrocitas, ut per aliquot adhuc dies hujus remedii usui insisterent, & alvum clysteribus apertam servarent, febre autem penitus evanescente, exactum in vita & victu tenerent moderamen, & subinde pilulas nostras balsamicas confortantes deglutirent, injunxi. Et sic brevi tempore, divino auxilio, ægri convalescerunt, quum alii, iisdem febribus laborantes, adhibitis variis remediis, venæ sectione, emeticis, salibus amaris, & essentiis alexipharmaticis, diu fuerint afflicti, viribus adeo consumptis, ut longo tempore omnique arte eisdem vix potuerint recuperare.

Epicrisis.

Febres, quæ accedentes gravibus stipantur symptomatibus, intenso æstu, siti, virium & appetitus dejectione, nisi sint acutæ, sed notabiles servant remissiones, melius in principio specifica febris præsidia ipsumque chinæ corticem ferunt, ac illæ ex tertianis & quartanis, quæ lenius invadunt & lentius procedunt. In illis quippe expedit utique effrenes solidorum & fluidorum motus, roborantibus & antispasmodicis moderari, vel plane sedare; in his vero languesciente jam naturæ motu & ad removendam in viscera infarctum, & glandularum obstructione repositam morbi causam non sufficiente, idem perficere oppido nocivum. Ego certe multis confirmatum habeo exemplis, longe melius antifebrilia propinari in tertianis legi-

timis, cholericis, & juvenilia corpora graviorum symptomatum insultu infestantibus, quam ubi segniora & phlegmatica constitutionis nothis implicantur. Nec infrequenter in illis fuit observatum, post Americani corticis usum, alvum fluxisse, sudorem largius manasse, pulsus intermissionis tempore cum virium incremento increbuisse, quin ipsum salivalem latitem stillasse.

OBSERVATIO VII.

*Exertiana
apostema
musculorum
abdominis.*

Prehendebatur verno tempore tertiana epidemica, vir quidam quadragenarius, laxioris habitus, qui militiam deditus, tam propter effusum per crebriora vulnera sanguinem, quam abusus vinorum Italicorum, corpus infirmum, atque causarium reddiderat. Advocabatur medicus, febremque ardentem & malignam, propter intensum ardorem & litum, fore judicans, porrigebat alexipharmacum, ex spiritu cornu cervi, & tinctura bezoardica. Sed increcebat inde ardor cum siti, & accedebat delirium plane, ut ager nudum etiam corpus in paroxysmo frigido subiceret aeri, gelidamque largiter ingurgitaret aquam. Concedebat tamen febris in tertianæ intermittentis typum, aestusque remittebat, debilitas autem insignis, magna ad sudorem proclivitas, & mira paroxysmorum anomalia succedebat. Discendebat tandem penitus febris tertiana, sed sudor cum tussi affligebat perpetua, & quotidie febrilis quædam, licet sine horrore, & adeo notabili calore, præsto erat commotio, ac præterea infra cordis scrobiculum, in media cartilagine ensiformi, tumor quidam prædurus eminebat. Conflabatur cum hisce pathematibus per binos fere menses æger, ac interea a multis medicis exquirebat consilia, quorum quisque de affectu & medicatione peculiarem promebat sententiam, uno febrem esse hæticam, altero tertianam duplicem, tertio hy-

dropem, quarto glandularum omenti tumorem, affirmante. Errabant autem omnes. Increcebat enim subinde tumor, & exquisitus pungitivus cum ardore dolor jungebatur, & apostema potius intra musculos, non intra cavum abdominis, latitare conjiciebam. Reiectis discutientibus externis emplastris, solum diachylon simplex fuit admotum, & super hoc positum cataplasma emolliens. Sic elapso tri-duo, attolli, & mollescere coepit tumor, purisque subitus undulatio locum incisionis monstravit, qua quinto die facta, pus foetidissimum, ad tres minimum mensuras, paucis cruore intermixto, effluxit sensim. Inde mitior illico factus calor, somnus quietus redditus, & abscessu injectis balsamicis sensim ad consolidationem perducto, pristinam demum æger recepit sanitatem.

Epicrisis.

Sanguineum corpus apostemati concipiendo quam maxime est opportunum, ob succos in laxa fibrarum textura ex facili subsistentes. In hoc quidem, potus ille frigidus, sub paroxysmo copiose ingestus, cum improvida abdominis refrigeratione sub fervido calore, sanguinem & succos in musculus abdominis consistere fecerunt. Horum exstasi enatum apostema, factus tumor, & materia contenta computruit, quæ sanguini præterlabenti remixta, continuum lentum calorem cum languore induxit, & aperto apostemate, tam foetidum exspiravit odorem.

OBSERVATIO VIII.

Æstate, qua varii generis febres circumibant, vir quadragenarius, post gravem iram, præcordiorum summas anxietates, cum vomendi conatu, incurrebat. Excipiebat hæc postleris diebus ictericus color, in oculi albo quam maxime conspicuus, nec non ferina tussis, noctu potissimum affligens somnumque inturbans. Nihilominus,

*Tertiana
cum
æro
tussi
curata*

poſtulate ſic, quo ſungebatur, mune-
re, iter ſuſcipiebat, ſub quo vero ob
auram frigidiuſculam & delicta quæ
committebat, diæteti ca, febrem nan-
ciſcebatur tertianam. Stipabatur hæc
ſolitis pathematibus, major tamen in
paroxyſmo erat anxietas & inquietu-
do, urina ſaturate tinſta, ſine ſedi-
mento, æſtus per viginti fere ho-
ras perſiſtens, & tuſſis quoque,
noctu præſertim & ſub frigore, vehe-
mentior. Conſulebatur medicus;
qui propinabat emeticum, ex tribus
tartari emetici granis, quo ſexies pi-
tuitoſus tantum bile leviter remixtus
humor ejeſtus. Hoc factò dabatur ele-
ctuarium ex radicibus alexipharmacis,
pimpinella, gentiana, angelica, ad-
dita theriaca veteri, & ſyrupo acetofi-
tatis citri. Hinc vero mirum exaspera-
batur febris fereque reddebatur conti-
nua, ſomnus cum appetentia interci-
debat, & continuus ſine frigore perſi-
ſtebat æſtus, ſub quo medicus ad ſitim
extinguendam Martisburgenſem ſua-
debat cereviſiam. Advocabar ego, &
cauſam febris cum ſymptomatibuſcu-
ratiùs expendens, rejeſtis, quæ a me-
dico præſcripta fuerant cunctis, con-
trariam plane medendi ingrediebar
viam. Pro potu quippe ſuadebam de-
coctum avenaceum, idque etiam cum
feminibus quatuor frigidis & papave-
ris albi in emulſionis formam redige-
re, & adjeſta convenientis nitri por-
tione, pro lubitu liberaliter ingerere
præcipiebam. Pulverem dein abſor-
bentem nitroſum, ex antimonio dia-
phoretico, lapidibus cancrorum, ni-
tro & tartaro vitriolato, bis vel ter
quotidie, in & extra paroxyſmum ſu-
mendum, commendabam. Biſ etiam
quotidie liquor noſter anodynus mine-
ralis ad guttas 20. in ſuperiori decocto
offerebatur. Redditis per hæc mitio-
ribus cunctis, elapſis quinque diebus,
electuarium antiſebrile ex rob. ſambu-
ci unciis duabus, corticis chinæ dra-
chmis ſex, ſyrupi acetofiſtatis citri
unciis duabus, pulveris florum cha-
momillæ drachmis duabus, antimonii

diaphoretici, extracti centauryi mino-
ris, nitri, ſingulorum drachma, quovis
bihorio ad drachmas duas, per quatri-
duum exhibitum. Quo ex toto ceſſavit
febris, cum omni æſtu ac ſiti, ferina
tuſſis conquievit, urina, ſecus ac per to-
tum morbi decurſum, ex bruno-rubi-
cundo colore ſaveſcens ſedimentum
dimiſit, appetitus cum viribus rediit,
& flavus in facie & corporis ſuperficie
color ſucceſſive diſparuit. Denuo ve-
rò, ne ex ciborum ingluvie recidiva
gigneretur, crebriorem pilularum bal-
ſamicarum & ſalis digeſtivi ex arcano
duplicato, ſale digeſtivo & ſale tartari
uſum, cum abſtinentia, ſerio injunxi,
& ſic æger, vitata ſimul omni refrige-
ratione corporis, animique commo-
tione, quæ facile recidivam creare poſ-
ſunt, maxime ſi negligitur primarum
viarum evacuatio, quæ demum ſep-
timo a febre die molienda, ad perfe-
ctam rediit ſanitatē.

Epicriſis.

I. Hoc in ægro omnia primum in
motu ſpaſtico exceſſivo fuerunt con-
ſtituta, acris etiam ſubilis materia po-
tius in vitio fuit, quam craſſioris & ru-
dioris humoris moles, teſtantibus id o-
rigine febris ab ira, ſymptomatibus, ut
tuſſi ferina, & icteritia, ex ſpaſmo du-
ctum biliariorum. Perperam igitur a
medico datum emeticum, & electua-
rium calefaciens, quibus motus ſpaſti-
ci cum inteſtino aucti & pathemata
exarcebata. Ex uſu potius fuiſſent mō-
tus complacantia & acrimoniā di-
luentia ac temperantia, cum iis, quæ
per cutis poros ſubtiles ſordes elimi-
nant. Quod demum cum ſucceſſu de-
cocto diluente & humeſtante, pulve-
ribus abſorbentibus nitroſis & tempe-
rante diaphoretico electuario, a nobis
confectum.

II. Magna omnino eſt cognatio in-
ter ſubitanæ ex ſpaſmo icteritiæ,
tuſſim ferinam convulſivam, & inter
motum febrilem intermittentem, qui
noſtra ſententia in ſpaſtica quadam u-
niverſali vaſorum, & nervoſarum par-
tium ſyſtematis ſtriſtura conſiſtit.

Hinc etiam factum, ut iisdem remediis, terna hæc mala & symptomata omnia simul & semel sanctus fuerint sublata.

OBSERVATIO IX.

*Tertiana cum
rara in con-
tinuam
conver-
sit uno
nomine.*

Miles quidam robustus, postquam in cena ad satietatem usque ingessisset, & noctu aere nebuloso excubias egisset, præcedente horrore, nausea & conatu ad vomitum corripitur, subsequente æstu, & anxietate. Redeunt hæc pathemata tertio die acerbiora, ideoque ad chirurgum properat, qui die vacuo primum dat emeticum, septem ante paroxysmum horis, quo strenue pituitam cum bile evomit. Febrili die, tribus ante paroxysmum horis, idem morbi artifex piperis albi grana 15, stercoreis muris grana 10, & lapidum cancrorum drachmam dimidiam in aliquot cochlearibus spiritus vini porrigit, & jubet, ut desuper biberetur cerevisia probe calefacta. Miles lecto inclusus sudat inde fortiter, paroxysmus fugatur, & repetito aliquoties hoc remedio, cura feliciter absolvitur. Accidit vero haud ita multo post, ut juvenis cholericus, in iram pronus, & liberaliter vini potui indulgens, tertianæ implicaretur. In consilium vocatur idem chirurgus, & idem remedium exhibet, sed tam insigni effectu, ut continua inde fere fieret febris, æstus augetetur, æger deliraret, & de exquisito ardoris, quasi carbonis igniti, sensu, in serobiculo cordis, conquereretur. Parata igitur emulsio ex aqua florum sambuci, tilia, papaveris rhœados, seminibus quatuor frigidis & papaveris albi, quæ tam sola, quam cum pulveribus absorbentibus & diaphoreticis, nitrosis, sumta, ac denum adjunctus usus electuarii jam descripti, quem excepit liberalis alvi fluxus, tam salubri eventu, ut febris discederet, symptomata quiescerent, & æger sanitatem reciperet.

Epicrisis.

Luculentum hoc exemplum est, non omnia omnibus prodesse. Nam si tertiana in corpus robustum, minus agile ac sensibile incidit, idque ob saburram in ventriculo & transpirationem impeditam; emetica quidem, & postea calidiora ante paroxysmum, eximie sunt utilitatis. Sed ubi corpus ætivum, & motus magis, quam qualitas & quantitas humorum peccat, contraria plane medendi methodus & sedantia adhibenda medicamenta. Et in ejusmodi quidem cholerica indolis ad iram pronis subjectis, singularis plane est ex Chinchina paratorum effectus, eo quod summa cum euphoria crebras & biliosas alvi dejectiones proritare solent.

OBSERVATIO X.

Sexagenarius robustus & plenus, sanguineo-phlegmaticus, calculi renalis doloribus ab aliquot annis subinde obnoxius, flatibus prætere & ructibus divexatus, nanciscatur anno abhinc tertianam tum epidemiam. Post tertium paroxysmum, molestiarum perterritus a medico, ut febrem abigeret, poscit. Pareat hic, & electuario, ex rob juniperi, cortice china, & syrupo acetositate citri, post sex dies, febrem ex voto, uti videbatur, profligat. Sed sequitur postea inflatio ventriculi, cum ructibus, & borborygmis ventris, præsertim post pastum & alimenta gravis materiæ. His jactatus æger meo ex consilio usus est mane pilulis balsamicis & vespere pulveri salino aperitivo ex arcano duplicato, sale Sedlicensi & cancrorum lapidibus, per sex dies, & postea ante prandium essentia carminativa Wedellii, cum æquali parte spiritus nitri dulcis remixta, felici cum successu. Quum vero elapsis vix quatuordecim diebus medicamenta rejiceret, eadem a flatibus & ructibus expertus est incommoda, eaque propter ad priora medicamina confugit, succedente ex voto effectu.

Epicrisis.

Epicrisis.

Quando tertiana corpus impurum, succis repletum, & chronicis passionibus jam affectumprehendit, in medicinam cedit, motu intestino & progressivo auctiori obstructionseseferando, viscidos humores attenuando, & sordes subtiles distillando. Quando vero cito nimis specificis compescitur, noxia materia remanens & deterior reddita, in disposito jam corpore, flatulentias creat, malumque exacerbat. Et licet opposita his pathematibus praesidia leniter educendo vitiosam materiam ac tonum ventriculi & intestinorum roborando, egregie profuerint; expertus tamen scribo non facile ejusmodi pathemata cessare, nisi aquae minerales, praesertim Carolingthermae, in auxilium vocentur, ac vere, vel aetate debito cum regimine usurpentur.

OBSERVATIO XI.

*Tertia.
na in se
ne cu-
rata.*

Superiori vere, quo tertianae erant admodum frequentes, vocabar ad septuagenarium vegetum adhuc & strictioris corporis habitus, qui eodem decumbebat morbo, & adhibitis licet pulveribus digestivis salinis, elixiriis amaris, pilulis etiam polychrestis, decimum quartum jam paroxysmum erat passus. Percontatus de omnibus, vires quidem prostratas, stomachum mire languentem & fastidientem, & urinam sine sedimento esse, comperio, habitum tamen corporis expendens & pulsus in paroxysmo plenum adhuc & fortem offendens, electuario offerre non dubitavi. Sumtum illud bihorio quovis ad drachmas duas, bibendo postea aliquot cochlearia vini, auspiciato cum effectu, ita, ut subsequens illico paroxysmus mitior longe esset, nec nausea, nec capitis dolore, neque anxietate, ut antea, stiparetur, secundus vero penitus emaneret, urina crassa mingeretur, vires redirent, & aeger optime convalesceret. Ne autem recidiva accideret, ut eo-

dem electuario, parcius tamen, adhuc uteretur, elapsis septem diebus, bis pilulas balsamicas cum sale aperitivo deglutiret, ingluviem ciborum & seria negotia vitaret, temperate calidum potum assumeret, & corpus ab omni refrigeratione sollicitè defenderet, serio praecipi.

Epicrisis.

Chinæ cortex non tam nocens est, ut vulgo creditur, sed ipsis etiam senibus cum fructu datur. Neque etiam sine exceptione illa practica est regula: quod nunquam sit offerendus, antequam urina compareat cocta. Ego enim multiplici compertum habeo experientia, nunquam ipsum nocuisse, si primæ viæ prius probe expurgatæ, si corpus non impuris succis scatet, viscera sanguinea integra, & nullus inflammationis internæ metus. Multo magis innocens hujus corticis & salutaris effectus, in ægro activæ indolis, fibrosi & amplioribus vasibus instructi habitus. Longe praesentior etiam expertus sum ipsius efficaciam in corpore quodammodo jam per febrem debilitato fibrarumque tono remissiori, ac si vires adhuc vegetæ & motuum vigor, nisi forsitan expectationem interdicant circumstantiæ.

OBSERVATIO XII.

Rari sunt in thermis Carolinis diu febricitantes. Simul ac enim febris impetit, intercalari die largiter ingerunt aquas thermales, quæ primas vias efficaciter deplent, sudorem etiam & urinam liberaliter eliciunt. Si post quintum paroxysmum febris non discedit, corticem Peruvianum die vacuo adhibent, vel in electuarii forma, vel decocto, hunc in modum: recipe corticis chinæ unciam, radicis gentianæ rubræ unciam semis, herbarum cardui benedicti manipulum, centaurei minoris tantundem, vini Gallici mensuram; coque leni calore, cola & adde syrupi menthæ unciam, M. de quo tribus quibusvis horis extra

*terti-
na cito
curata
in Ca-
rolinia.*

paroxysmum duas uncias bibunt, forbiliando mane in lecto infusum theiforme & sudorem eliciendo. Sic feliciter ut plurimum ex toto febrem percurant. Mihi ansam hoc dedit, ut eadem methodo subinde uterer, & surrogata Carolinis Sedlicensi aqua, purgationem ventris molirer, & post eam decoctum illud praberem, auspicio pariter successu in tertiana & quartana, præsertim æstiva ac vernali.

Epicrisis.

Compendiosa, & facilis hæc intermittentes curandi methodus, solennis non modo in Carolinis, sed & iis locis, ubi acidulæ purgantes saliant. Nec male medentes eidem viæ insistant, & primas vias crudis & biliosis fordibus obsessas salibus deplent. Salia enim reliqua ex regno vegetabili purgantia securitate & prompta efficacia longe superant. Tanto vero magis proficua sunt, quando in sufficienti quantitate humidi soluta assumuntur. Hinc si copia non est aquæ ejusmodi medicatæ, ego ad imitationem ipsius aquam paro laxantem, adjiciens uni aquæ mensuræ olei tartari per deliquium unciam dimidiam, & in lagena angustî orificiî instillans eo usque spiritum vitrioli, donec nulla amplius eveniat ebullitio. Vel dissolve in mensura aquæ unciam semis salis polychrestî, ex sulphure & nitro calcinatis confecti. Usurpato aliquoties liquore hoc salino, descendo tandem perquam secure ad specifica roborantia, quæ inter primas tenent, cortex chinæ, cascarillæ, tamarisci, & omnia amara, & ex marte rite parata.

OBSERVATIO XIII.

*tertiana
in puero
per chi-
næ corti-
cem su-
nesta.*

Puer facie florens, indole vividus, complexionē sanguineus, a biennio aliquoties hæmorrhoidarius, cum abdomine tumido, ceterum valens, post æquinoctium autumnale, tertianam, quo ex diætetico errore nescio, incurrit, eademque ob paroxysmi vehementiam, stomachum penitus lan-

guentem somnumque turbatum, graviter decubuit, urina simul clara & sine sedimento comparente. Excepit hanc Medicus aperientibus, crudos succos corrigentibus tutissimisque febrisugis. Sed quum decem paroxysmos passus esset æger, parentes percarum natum vitæ discrimen subire metuentes, inconsulto medico ab Empirico quodam potius quam medico opem quæsiverunt, qui electuarium, cujus basis tormentillæ radix prompte porrexit, ac ut tribus singulis horis, intercalari die, dosis castaneæ magnitudine deglutiretur, præcepit. Mitior inde facta febris, sed continuato aliquandiu adhuc pharmaco, paroxysmi tempore, tremor ac frigus totum concussit corpus, cum collisione dentium & labiorum, sequuta mox convulsio epileptica universalis, per viginti horas, frustra datis omnibus antepilepticis, persistens, ægro sub ipsa extincto.

Epicrisis.

Ego quidem permultis confirmatum habeo exemplis, hæmorrhoides in infantibus ac pueris jam prodeuntes, accedentibus pubertatis, vel juvenutis annis, raro alium quam finistram ac ut plurimum funestum sorti eventum. Ipsum hoc enim ataxiam motus circulatorii in visceribus abdominis prodit, ex qua facile labem & vitium contrahere possunt. Neque ea propter dubium est, quin hoc in puero, infimi ventris viscera, hepar, lien, vel pancreas, fuerint sæcra, & obstructa. Motus autem febriles præsidio potius fuissent, inprimis quum intermittentes per annum sæpe infantes detineant, modo medicatio rite instituat, nec tamen adeo sint detrimento, ut potius corpus firment, & longævum efficiant. Perperam igitur adstringentibus salutare hi motus sedati & causa febris altius visceribus impacta, spasmi quoque tam ex hæreditate a matre hysterica, quam ex ipsa febre jam præsentis, & ex alvi strictura ac limpida urina cognoscendi satis,

fatis, ita adaucti, ut in convulsivos plane degenerarint funestos. Memorato etiam dignum videtur, quod hic puer multos annos insolita voracitate laboravit.

Has practico-clinicas de tertiana observationes hic adduxisse sufficiat, plures passim reliquis meis scriptis inserui, & quidem uberius enarratas ac evolutas, *Medicina consultariae*, ex qua hanc in rem conferri poterunt ea, quæ *Tom. II. Dec. I. cas. IV. pag. 32. seqq.* de gravibus & variis symptomatibus ex male curata intermittente, *Dec. II. cas. VI. pag. 86. seqq.* de febre lenta ex male curata tertiana; *Dec. IV. cas. V. pag. 180. seqq.* de spasmo hypochondriaco ex male curata tertiana; *Tom. III. Dec. II. cas. XI. pag. 106. seqq.* de febre tertiana male curata, sæpius recidiva inque erysipelas cum molestis symptomatibus transeunte; *Tom. IV. Dec. III. cas. IV. pag. 167.* de febre biliosa intermittente; *Tom. V. Dec. IV. cas. I. pag. 243.* de multis atrocibus malis post febrem suppressam & puerperium feminam infestantibus, nec non *Tom. VI. Dec. I. cas. VI. pag. 35.* de tertiana duplici cum purpura in gravida, attuli.

C A P. II.

D E

FEBRE QUARTANA.

§. I.

Quarta
quid?

Tertianam, & gravitate, & contumacia, ex intermittentibus longe adhuc superat ea, quæ quarto quovis die, intercalaribus integris binis, corripit, eamque ob causam vocatur quartana.

§. II.

Paroxysmi
historia.

Scilicet, post meridiem ut plurimum, hora quarta, aut quinta, quandoque etiam citius, quandoque serius, cum notabili corporis languore, pandiculatione capitis, dorsi, lumborum, ac tibiarum contusivo do-

lore, accedit. Pedes hinc cum manibus refrigescunt, corpus universum pallefcit, facies & ungues livescunt, supervenit horror & rigor huic febris familiaris, lingua & labia tremunt, spiritus difficulter trahitur, præcordia anguntur, corpus inquietudine jactatur, & pulsus arteriarum contractus ac durus, quandoque etiam inæqualis plane percipitur. Durant hæc omnia per duas plerumque, aut tres horas, ac interea alvus in plurimis stringitur, in nonnullis ad desidendum & mendum stimulus, in quibusdam, potissimum senibus, conatus ad vomendum, vomitus & alvi secessus. Multis etiam, in primis ætate gravioribus, caput mirum turbatur, & mens sibi non constat, ut aliena multa loquantur. Succedit lento postea gressu calor, non adeo urens, sed ariditate quam maxime molestus, evanescit rigor, arteriarum ictus ad æqualitatem redeunt, celerioresque ac majores micant, capitis tamen obtusus dolor persistat, cum vertiginosa affectione, & cutis demum pauca saltem humiditate perfunditur, donec elapsis quatuor vel sex horis, & æstus, & pathemata hæc, discedant. Cessante sic febris impetu, duobus qui vacui sequuntur diebus, eger quidem constanter fere lectum relinquit, restitatur tamen sensus quidam doloris in artubus ac pedibus, ipsa ossa quasi tundens atque profundo pondere obterens, osteocopus græco nomine dictus, caput quoque in quamplurimis grave est, & animum fastidium tenet, urina, quæ in paroxysmo tenuis reddita & aquosa, nunc crassa & cum sedimento secedente.

§. III.

Hæc quæ sub paroxysmi impetu subinde obveniunt pathemata, uberior utique restantur, gravissime nervorum partium systema in universo corpore pati & spasticis constrictionibus agitari. Eamque ob causam immediata & proxima hujus febris causa constituenda omnino in universali & vehem.

Quarta
tane
causa
proxima.

vehementi spastica nervosarum partium strictura, quæ ex spinali medulla potissimum procedens, non modo tunicas vasorum, sed & totum nervorum ac fibrarum systema, præter naturam afficit, ut motus solidorum & fluidorum inde graviter turbentur.

§. IV.

*Materia-
stialis.*

Materialem vero causam, quæ nervosas partes in tam exorbitantes motus abripit, veteres quidem humorem melancholicum extra vasa putrescentem esse voluerunt; sed sicuti in omni febre, sic etiam in quartana, subest materia activæ indolis, & caustica acrimonia imbuta, internas sensu exquisito pollentes partes ad spasticas crispaturas sollicitans. Quia tamen ex pancreate ei nupta est materia, quæ ad acido-viscidam indolem accedit, diuturniores dat inducias, nec tam cito colligitur, nec ad membranas spinalis medullæ ex prima regione tam cito appellitur. Quando vero sufficienti quantitate collecta in primarum viarum latibulo, massâ sanguinis successive subiit, & certo interposito tempore, ad spinæ dorsi membranas delata, febriles eosdem suscitât motus, quos præcedenti capite de tertiana enumeravimus.

§. V.

Antecedens.

Jam si porro hujus materiæ febrilis natales rimamur, hæc utique primario arcessendæ ex tardo admodum sanguinis, per viscera abdominis depuratoria & secretoria, hepar præsertim, lienem & pancreas, progressu, horumque tandem succedente infarctu, & obstructione. Hoc enim facto, humores fermentales, gastrici, lymphatici, salivales, a temperata, subtili, spirituosâ indole desciscunt, ac fixam & acidam induunt, ut ad intimam ciborum dissolutionem & chyli extractionem minus sint idonei, sed cruditarum acidarum, & viscidarum ingens fiat proventus. Quibus ipsa mora pejorem indolem contrahentibus, & ab accidentibus aliis externis causis acrimoniam induentibus, ipsa demum excluditur febris.

§. VI.

Videlicet languidiorem sanguinis per abdominis vasa cursum in causa esse, ex eo patet, quod huic febri quam maxime opportuna sint corpora consistentis, & provectioris ætatis, melancholici temperamenti, & quæ, vita sedentaria nimia, intermissa sanguinis missione, victu duro insalubri, nimioque acidorum & spirituosorum usu, vel etiam solennium criticarum sanguinis evacuationum suppressione, nec non animi affectuum intemperantia, succorum incurrerunt & abundantiam, & spissitudinem, ac impuritatem. Causticam vero simul etiam subesse materiæ indolem nemo negabit, qui novit, quartanam post exclusas sub æstate fervente acres sordes plerumque autumnò prodire, per scabiem quandoque & purpuram solvi, iisdem repulsis impetere, variolis erumpentibus discedere, ex tertiana gigni, in tertianam quoque transire, & eodem modo ac tertianam in locis paludosis, aere acrium recrementorum copia referto, frequentem admodum esse ac epidemiam.

Impeditus humorum per vias progressus

Et acris materia.

§. VII.

Sic quidem generata febris quartana varium subinde exhibet genium. Quandoque scilicet simplex est, quandoque duplex. Simplex, ea, ut jam delineavimus, incedit facie. Duplex vero tum dicitur, quando intra quadriduum bini succedentes accedunt paroxysmi, ita quidem, ut uterque peculiarem suum servet typum, & singulare accessionis tempus, alternatim semper præcedenti insultui respondens, tertio duntaxat die a febre penitus vacuo. Id quod sæpius evenit, quando simplex quartana perversa medicatione excipitur, aut in vitæ, vel victus regimine, committitur error.

Quartana simplex est vel duplex,

§. VIII.

Legitima dein observatur esse, vel notha. Illa exactius, quam ullum aliud febrium genus recursus terminum servat, tempore scilicet pomeri-

Legitima vel notha.

ridiano. In hac contra certum non est reditus tempus, plerumque tamen ante meridiem, æstus quoque impensior, ipsoque frigore gravior urget.

§. IX.

Conti-
nua.

Nonnunquam porro quarto quidem quovis die, præviis ut plurimum pândiculationibus & horripilatione, repetit, statum tamen terminum non adeo exquisitè servat, nec deservescens impetu penitus intermittit, sed diebus in simplici intercalaribus, mitius tantum, quam febrili, affligit; calor naturali intensior adhuc adest, pulsus magis auctus, appetitus languet, vires prostratæ sunt, os siccum, caput temulentum, somnus inquietus, & urina rubicunda, crassior, cum sedimento roseo mingitur, eamque ob causam a medicis quartana appellatur continua.

§. X.

Epidemia.

Ut plurimum populares habet circuitus, & epidemia est, tum maxime, quando æstas præcessit præter consuetudinem calida & sicca, eaque propter acria & multa biliosa recrementa in corpore genita. Id quod anno 1616. Sennertus de febr. lib. 2. cap. 20. nec non anno 1652. Bartholinus cent. I. hist. anat. 93. contigisse, memorant, & nosmetipsi de annis 1684. 1719. 26. & 28. multiplicitate experientia edocti testamur. Et quia ob æstum nimium potus frigidus sæpe acescens ingeritur, & noctu frigus accedit, perspiratio fordium acrium impeditur, & humores cum sanguine spissi evadunt.

§. XI.

Endemica.

Nonnullas regiones & tractus endemia lues infestat: nimirum in Westphalia, Pomerania, locisque, quæ ad boream vergunt, & incolæ alunt, victu duriori, crassiori & crudiori utentes, nullus fere elabatur autumnus, quo non multi quartana prehendantur, ac diu admodum eadem detineantur. Idem evenit in locis paludosis, stagnorum & lacuum pravis exhalationibus infestis, in quibus vere tertianæ, autumno quartanæ, lan-

go proventu pullulare & crebro recurrere solent.

§. XII.

Varium etiam quartanæ exhibere solent genium, pro diversitate corporum, quæ corripunt. Nimirum frigidum in corpus, quod, ob vitam sedentariam victumque crassum & durum, copiosum & crassum sanguinem in venis alit, vel quod hypochondria male constituta habet, aut diuturniori animi mœrori indulgit, tum graves & contumaces esse suescunt, nec periculo vacant, eaque propter in ægrotante exquisitum victus ac vivendi moderamen; in medente autem magnum in exhibendis remediis poscunt iudicium. Ubi cacoehymica dispositio & purpuræ forsan materia simul subest, pathematibus longe acerbioribus incedunt, major virium est prostratio, vigilia, mentis alienatio, præcordiorum anxietas, ac purpura demum erumpit, qua, levi ex causa retrocedente, febriles passionibus increfcunt, graviusque affligunt.

Varios
in ple-
thor-
icis &
hypo-
chondria-

caco-
chymica-

§. XIII.

In subiecto, viribus per senium, infirmitatem, pravam vitæ rationem, aut animi pathemata exhausto, facile in continuam transit, quæ ex languore virium post paroxysmum, pulsus frequenti, lento calore & appetentiâ prostrata, cognoscitur, ægrumque in haud leve discrimen adducit. Quando post intensiorem æstatis fervorem, corpus juvenile & agile invadit, paroxysmus longius perdurat, æstus urens magis in liberalem solvitur sudorem, sitis quoque & stomachi languor impensius urgent. Infantes & infirmi pueri, quia ægre medicamenta sumunt, nec diætericis præceptis obtemperant, noctu, removendo stragula, corpus refrigerant, & præterea habitum corporis laxum, ad suffraginandum perspirationis successum, nec non ventriculum, ad colligendam cruditatem saburram aptum, obtinent, diutius hac cum febre consistunt, crebriores in recidivas incidunt.

juvenibus.

infirmitatibus.

Aut.

dunt, aut aliis postea morbis patent.

§. XIV.

*Secura
tamen
est.*

Interim quartana hæc febris placida admodum est atque secura, nec facile jugulare solet. Sin secus evenit, corpus aut senile fuit, & viribus jam exhaustum, aut tenerum nimis, epilepticis insultibus, obnoxium, aut ipsa febris, intercurrentibus animi pathematibus, tam suscitata quam exacerbata fuit, autem etiam, vel medentis, vel agrotantis accessit delictum, quo in quotidianam, aut longum alium funestum morbum fuit transmutata.

§. XV.

*Sed con-
tumax.*

Gravitate tamen & contumacia securiorem decursum compensat. Diu enim trahi, ac sapius, ceu verum medicorum scandalum, omnia eludere solet remedia. Evenit hoc maxime in ea, quæ autumnæ oboritur, per hyemem persistens: raro admodum prius discedit, quam solstitii vernalis tempore, quo poris adpartis succis que ob aeris serenitatem tenuioribus factis, sponte fere evanescit. Rebells etiam maxime est, quando in visceribus, præsertim hepate, liene & pancreate, vitium altius radices egit, vel tota humorum massa spurca & impura, vel etiam systema nervorum admodum debile ac ad anomalos ejusmodi motus, & concipiendos, & fovendos, dispositum, & tanto magis, quando ager voracitate materiam febris colligit semper, & auget.

§. XVI.

*Facilis
curatio
vernalis.*

*an diæta
vitio.*

Contra si vernali, vel æstivo tempore incidit quartana, facilis & explicata ipsius curatio est, quia aeris temperies & tenuitas multum medicationi velificatur. Quæ etiam ex inordinata diæta & cruditatibus in prima regione collectis, integris autem visceribus, aut quæ ex valde prohibita transpiratione succrevisit, ex facili, vel unico sæpe vomitorio, vel diaphoretico, ante accessionem dato, discutitur. Et illa pariter, quæ juvenile & viribus pollens corpus detinet, præ-

sertim si bilis plus, quam humor tenax, acidus peccat, ut potissimum fit in epidemicis æstate grassantibus, nisi ægri vel medentis culpa ingravescat, ex facili medicationem admittit.

§. XVII.

Neque etiam quartana anomala, quæ typum non servat, incerto tempore redit, aut ex simplici in duplicem concedit, adeo est pertimescenda, uti quidem vulgo censent. Ipsum hoc enim indicio est, succos vitiosos non tam lentos & visceribus alte impactos, sed ad emotionem adhuc protos esse, naturam quoque vegetam in amolienda, quæ morbum facit, materia. Ne dicam, paroxysmos rite decurrentes, multum facere ad dissolvendos viscidos & discutiendos subsistentes humores, adeoque, quo crebrius recurrunt, eo citius causa febris eliditur, & natura ministrante, curatio paucis congruis perficitur.

§. XVIII.

Licet quartana solenniter nullam criticam servet excretionem, fit tamen quandoque, ut erumpentibus pustulis, maculis, ulcusculis, & scabiæ per universum corpus diffusa, nec non prodeunte hæmorrhoidum fluxu, feliciter solvatur. Vidi quoque in infantibus eam cum auspiciato successu desisse in variolas: & de gravidis compertum habeo, quod quartanam non prius evaserint, quam superato partu, infante vero eadem affecto.

§. XIX.

Quin præsidio quandoque est hæc febris & adversus alios, præsertim chronicos morbos, remedio. Auctus enim ille sub impetu solidorum & fluidorum motus lentos succos circumgendo attenuat, latibulis suis elidit, & ad veteres obstructions, quæ in minimis vasculis, glandulis & nervosis partibus altius consistunt, expedientas & excutiendas multum confert. Hinc præsi jam medicinæ principes Hippocrates, Asclepiades, Galenus & Celsus, se quartana remedio uti, affirmarunt. Et certe ad expugnanda hy-

*Quandoque
excretionem
bus
solvitur.*

*nonnullam
quam
adversus
morbos
præsidio est.*

hypochondriaca pathemata spectata ipsius est virtus, quam etiam in epilepsia & convulsivis motibus mire deprecatur Hippocrates lib. VI. Epid. Ab asthma quoque convulsivo, item calculo, podagra, si feliciter decurrit, & prudenter a medico dirigitur, quartanam liberasse historię loquuntur. Dumque corpus ab inhaerentibus viscerum vitii liberat, post discessum suum illud mirifice firmat, ut non tam facile morbis pateat, aut pristinis attentetur denuo, uti experientia suffragante ex Platone jam habet Gellius noct. Att. lib. XVII. cap. XII. Et nos plures novimus, qui post quartanam longævitatē nacti fuerē. Quo magis admiranda hinc DEI providentia est, quę ipsa etiam morbis plane incōparabile & medicinale virtutem tribuit.

§. XX.

*Sed diu-
turna.* Sed ubi longius quam par est extrahitur morbus, succi concipiunt dyscrasiam, & si humores tenues ac biliosi sunt, purpura excluditur, vel partibus spirituosius, roscidis, nutritiis distillatis, lentescunt reliqui, corrumpuntur, & longos morbos invehant. Si etiam perversa medicatione excipitur, in graves & capitales degenerat passionē, cujus generis sunt maxime hydrops, anasarca & ascites, cachexia scorbutica, tumores œdematosi, febris lenta & hectica continua, asthma siccum, icterus, tussis serena, in senibus affectus comatosi & hemiplexia, in junioribus affectio hypochondriaca, & in infantibus sævi convulsivi motus, spinam dorsi, antrorsum & retrorsum miseranda facie distorquentes. Et in his quidem omnibus conspiciunt post mortem deprehenditur viscerum vitium, hepatis nempe, lienis, pancreatis, nec non glandularum mesaraicarum, obstructio, infarctus & corruptio.

§. XXI.

*Quibus-
dam su-
esta.* Qui vero quartana febre intereunt, sub frigoris rigore & mente turbata decedunt. Tum enim, qualia duo exempla vidi, in adultioribus adeo

increſcit spasmodorum atrociam, ut nullus plane subsequatur æstus, sed symptomata veneni prorsus æmula adsint, demumque interimant. Et in infantibus, spastica strictura in convulsivos plane motus degenerant funestos.

§. XXII.

Qui demum evadunt, habent utique, ut in vitę victusque ratione exactum servant postea per aliquod tempus moderamen: refractaria enim admodum est hæc febris, pristinamque sedem, data levi occasione, ex facili repetit. Sane qui superata ipsa gulę indulgent corpūque extenuatum largo, tanto magis insalubri cibo, farcire nituntur, promptissime recidivam, ex congesta denuo cruditate saburra, incurrunt. Idem experiuntur, qui saluberrimam illam per cutis spiracula excretionem pensi habent, & corpus aeri frigidiori & humidiori incautius committunt, vel frigidum potum ingerunt. Neque minus ex facili iterato prehendit eos, qui affectuum intemperantia jactantur, ac in primis impensiori tristitię diutius indulgent. Et, quod tamen rarius est, repulsa præpollere, quę ad habitum corporis cum salute acta fuerat, & per scabiem, pustulas, ulcera, & purpuram, expulsa materia, illico impetit denuo, qui sedatus fuerat, inde febris impetus.

Methodus medendi generalis cum indicationibus curatorii.

§. I.

Quo pacto intermittens febris sit arcenda, superiori capite sub methodo præservatoria tam fuse exposui, ut supervacaneum ducam illud hoc loco iterum tradere. Indicationes autem curatorię causis quartanę oppositę, huc redeunt. I. Ut cruditates viscidę, acidę, biliosę ex primis viis, cum chylo & lymphā successivę ad sanguinem abeuntes ac in nervosarum partium systemate febriles motus suscitantes, & corrigantur, & per con-

*Facile
recidi-
us.*

*Indica-
tiones
qua-
tuor.*

congrua emunctoria evacuentur. II. Ut sanguinis per abdominis viscera, præsertim ad quæ vena portæ excurrit, progressus liber præstetur; congestio vero, infarctus & obstructio expediatur, vel minimum major impediatur. III. Ut spastica vehementior in genere nervoso constrictio, seu acerbiorum symptomatum causa, leniatur. Et IV. ut dejectum viscerum, stomachi, nervosarumque partium robur restituatur, sicque tum ulterior accessio, tum recidiva, præscindatur.

§. II.

Prima
perfici-
enda
tempe-
ranti-
bus, in-
evidenti-
bus &
vacui-
tibus.

Primæ igitur indicationi exsequendæ serviunt ea remedia omnia, quæ acidum obtundendi, lentos succos incidendi, acres contemperandi, & primam maxime regionem expurgandi facultate pollent. Splendent autem hac virtute alcalina pharmaca, uti sunt salia plantarum, per incinerationem parata, sal potissimum absinthii & cardui benedicti. Commendanda etiam salia neutra, maxime sal ammoniacum deperatum, terra foliata tartari, sal digestivum Sylvii. Quibus ad biliosam acrimoniam infringendam, addenda absorbentia teneriora, cancrorum lapides, conchæ, vel cornu cervi sine igne paratum. Et si præterea educendi scopus, salia fontium medicatorum, Egranum, Ebshamenfè, Sedlicenfè, aucta dosi, aut ipsa etiam aqua Sedlicenfis, per alvum crassiores, tartarea vero, per urinarias vias subtiliores salino-sulphureas sordes, efficaciter evehunt. Habet etiam purgantem facultatem in quartanariis magnesia alba, quæ acidum primarum viarum imbibendo, transit in sal amarum, sal cathartico Ebshamenfè simile.

§. III.

Secunda
amaris.

Ad obtinendum secundæ indicationis scopum, egregie faciunt amara, quæ balsamico suo fixiori sulphure bilis balsamum restituunt, acidos simul ponticosque humores obtundunt, & lenem quandam spirituscentiam suc-

cis conciliant. Talia sunt extracta amara, sumariæ, absinthii, cardui benedicti, gentianæ rubræ, trifolii fibrini, centaurii minoris, essentia, vel extractum rhabarbari, nec non pilulæ balsamica, secundum exemplar *Beccheri* confectæ, ex aloë bene depurata, extractis amaris & gummatibus resinosis balsamicis temperatis, quæ præter facultatem alvum laxantem, etiam attenuantem lentos & spissos succos obtinent, præsertim si earum usus supra laudatis salibus interponatur. Pertinet huc quoque conveniens cum debito regimine thermarum & acidularum usus. Sin vero inveterata nimis obstructio viscerum, præsertim pancreatis, quod in quartana rebelli non insons est, lenioribus expugnari nequit, in usum vocanda penetrantiora magisque activa mineralis prosapiæ pharmaca, mercurius quippe dulcis, vel nostra methodo diaphoreticus solaris, nec non anti-quartium *Riverii*, quod ex mercurio, antimonio & auro, desuper abstracta aliquoties aqua regia & postea spiritu vini accenso, paratur. Ex antimonialibus, regulus antimonii medicinalis, panacea Glauberiana & Conerdingiana, item sulphur nostrum antimonii correctum, sine præcipitatione cum acido confectum.

Et mi-
nerali-
bus.

§. IV.

Spasticas generis nervosi stricturas remittunt I. linimenta antispasmodica & nervina, spinali medullæ cum frictione calida admota, ex axungia humana, oleo spicæ, lavendulæ, rutæ, salviæ, balsamo Peruviano; II. clysteres ex herbis nervinis, carminativis & antispasmodicis, addita sufficienti quantitate oleorum demulcentium, parati; III. balnea aquæ dulcis, veteribus in primis ante paroxysmi accessionem usitata; IV. epithemata & linimenta spirituosis & aromaticis parata, sub horrore & rigore regioni epigastricæ apposita.

Tertia
linimenta.

Clysteribus.
balneis.

Epithemata.
linimenta.

§. V.

Ultimæ demum indicationi apprimè satisf-

Quarta
amoris
adstri-
ctivis.

satisfaciunt omnia amara, quæ simul balsamica quadam adstrictiva virtute pollent. Nobiles hac virtute sunt ching & chaccarillæ cortices, nec non cortex capparum, item tamarisci, cinnamomi, rasura santali rubri & essentia ex amaris plantis extractæ, quæ cum liquore martiali acuatæ, omnibus fere palmam præripiunt. Instar omnium vero erit electuarium nostrum antifebre, cujus descriptionem superiori jam capite suppeditavimus.

§. VI.

Epicor-
pis di-
scutien-
tibus.

Peculiaris etiam virtutis adversus quartanam habentur emplastra carpis manuum applicata, quæ inter famigeratissimum est a *Sirobelbergero* dictum. Concinnari autem possunt ex iis, quæ tam aromatico balsamico, quam irritante principio, motum & stimulum fibræ addunt, ut materiam altius partibus nervosis impactam hærentem excutiant, & promptius die vacuo sanguis circumagatur.

§. VII.

Potissi-
mum
præstabi-
le vino
sum in-
fufum.

Præter ea vero, quæ hætenus adduxi quartanæ præsidia, non possum, quin bina subjungam adhuc remedia, quæ miram efficaciam mihi olim in Westphalia præstiterunt, propter quam etiam eadem jam *dissertationi de felici quartanæ curatione*, inserui. Primum est infusum vinosum, omnibus curatorii indicationibus satisfaciens, de quo matutino tempore quotidie liberalis haustus sumendus. Recipe fibrarum hellebori nigri, polypodii querni, foliorum sennæ sine stipitibus singulorum unciam, herbæ ablynthii, centaurii minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, ana manipulum dimidium, rasuræ ligni colubrini, corticis chinæ, aurantiorum recentium ana drachmas tres, limaturæ martis unciam semis, tartari tartarifati tantundem. Conc. cont. irrorentur drachmis duabus spiritus salis ammoniaci urinosi, misceantur & duabus vini mensuris infundantur.

Tom. IV.

§. VIII.

Alterum hic est pulvis: Recipe corticis chinæ drachmas tres, reguli antimonii medicinalis drachmas duas, mercurii dulcis, (qui non terendus cum pulvere propter salia, sed cuspidæ tantum cultelli miscendus) croci martis tenuissimi, arcani duplicati, singulorum drachmam, olei menthæ guttas quatuor. M. f. pulvis, cujus drachma dimidia, aut una, cum rob sambuci & julepo rosarum in electuarii formam redacta, mane & vespere poterit assumi. Et certe egregii usus est hic pulvis in quartana, quæ altas in viscerum penetralibus egit radices, requirit tamen corpus paullo robustius, cum exacto in diætâ & vitæ ratione regimine. Licite etiam molestem quandoque lenem moverit salivationem, ex voto tamen cessit, febrisque rebellis fuit expugnata. Cæterum plura de speciali huic febre mendum methodo, infra observatione X. nec non capite IV. de febribus epidemicis, afferemus.

Et pul-
vis resal-
vens ac
roborans.

Observationes & Cæcæla
Clinicæ.

§. I.

Quartana, ex morbis fere contumacissimus, ægri patientiam & Medici expectationem poscit: inprimis ea, quæ corpori melancholicæ constitutionis, senibus, hypochondriacis, & ubi languidior sanguinis per venas mæsaica progressus, viscera infarcta & autumnus adultus, accidit. Non itaque impetuose in his aggredienda, aut violentis pharmacis urgenda curatio. Si secus sit, plus detrimenti, quam emolumenti sperandum.

Quarta:
na con-
sumax
morbus.

§. II.

In principio quidem morbi, natura si robusta, validiora resolvendi & colligandi atque evacuandi virtute pollentia locum inveniunt. Ubi vero morbus inveteravit, corpus tenerum & exquisitè sentiens, multaque acria & biliosa recrementa præsto sunt, mi-

Leniori-
bus ta-
men ex-
cipitur.

C rum

rum inde exacerbatur febris, & haud raro ex simplici in duplicem, aut quotidianam plane transit. Temperata potius, plus diatetica, quam pharmaceutica, cum iis, quæ lenimento sunt generi nervoso, infestis spasmodis jam affecto, in usum vocanda.

§. III.

*Ex quon-
doque fu-
gatur.*

Neque enim adeo refractaria est quartana omnis, ut non sapius lenissimis cedat. Ego certe plures novi, qui solo usu elixirii temperati balsamici, quod cum aqueo lixivio ex amaris extractis & rhabbaro, ad octo vino Hungarico, paratum, ex eadem feliciter evaserunt. Alii solo oleo tartari per deliquium, frequentius cum potu assumpto & hausto ante paroxysmum vino veteri Rhenano, cum, vel sine amaris, subjuncto postea vehementiori corporis motu, ab eadem sunt liberati. Nonnulli balneorum aqua dulcis usu quotidiano, instituta simul ante accessionem corporis ad sudorem usque exercitatione, curati sunt.

§. IV.

*Facilius
sub calis
favore
sanatur.*

Semper tamen longe facilius atque felicius quartanæ curatio succedit, si coelum eidem velificatur, & aer purior, subtilior, & rarefactus est, uti tempore verno, æstivoque sereno. Tum quippe veteres viscerum obstructions promptius expediuntur, lentorque succorum liquatur, & perspiratione equali atque constanti, acres per apertos cutis poros sordes diffiantur. Quin novi quosdam, qui non prius convalescerunt, quam mutato coelo, & in locum salubriorem secessu, vel alio vitæ victusque genere instituto.

§. V.

*Potus
mutatio-
nem po-
scit.*

Potissimum in quartana febre, sicut omnibus longis morbis, ut potus mutetur ex usu est, & decoctum ex radice sarsaparillæ, cichorei, herba cardui benedicti, passulis minoribus, & semine fœniculi, tam loco cerevisiæ frigidum, quam loco infusi theæ calidum bibatur, declinante paroxysmo. Conducibiles quoque sunt pro potu temperatæ acidulæ, uti Selteranæ,

quippe quæ cum dimidia, aut tertia vini parte potæ, in diluendis crassis, & evehendis per urinarios ductus impuris succis, effectum præstant saluberimum.

§. VI.

Studiose etiam providendum, ut per cutis poros acres subtiles sordes perpetuo eliminantur. Perficiendum hoc tam ante, quam post paroxysmum, & obtinendum, non per potentia sudorifera, sed ea, quæ solidorum tonum intendendo, progressum sanguinis accelerant, sicque sudorem eliciunt. Singularis hunc in finem virtutis est validior corporis motus, per equitationem, saltationem, aut ambulationem, aliquot ante paroxysmum horis institutus, quo ego quartanam multoties discussam esse novi. Priscum enim jam *Celsi lib. III. cap. 15* hoc est præceptum: *quo die quis febrem expectat, ante surgere & exercere dareque operam oportet, ut in ipsam exercitationem tempus febris incurrat. Sic enim sæpe illa discutitur.* Mira etiam hac in re virtus mixturæ innumeris experimentis comprobatae hujus: recipe aquæ cardui benedicti uncias quatuor, theriacalis unciam semis, salis cardui benedicti drachmam, antimonii diaphoretici drachmam semis, spiritus vitrioli guttas viginti ad triginta, syrupi cardui benedicti drachmas duas. M. de qua, modo prius probe prospectum fuerit primis viis repurgandis, tribus, vel quatuor horis ante paroxysmum, dimidia, & deservescente hoc, reliqua dimidia portio sumenda.

§. VII.

Declinante quoque febre quum & post deservescente actu sponte corpus madescit, cavendum, ne sudor externa refrigeratione, vel potu frigido interceptiatur. Si secus sit, febris non modo diuturnior redditur, sed & facile succedunt contractura, nec non tumores pedum œdematosi. Consultum potius, temperato externo calore, & diluen-

diluente calido potu, ipsum placide promovere.

§. VIII.

Cum dis-
tinctione
admittit
venæ se-
ctionem.

Sanguinis per venam sectam missio, auferendis quartanæ causis directe quidem non respondit; nihilo tamen secius, ubi suspicio est, febrem ab impedito sanguinis per abdominis viscera progressu sustentari, ut in iis, qui pathematibus hypochondriaco hysterici obnoxii, fluxum hæmorrhoidalem antea experti, aut molimina ad hunc perferunt, utiliter utique vena in pede pertunditur, adeo ut unica venæ sectione quartanam contumacem penitus discussam esse, observaverim. Quum etiam gravidæ tantum non omnes sint plethoricæ, venæ sectionem, si quartana corripitur, utiliter non modo ferunt, sed & possunt, ne intenso per spasmos febriles sanguinis motu, uterus ad præmaturam exclusionem sollicitetur. Consideranda igitur morbi tempora, ipsa corpora, vires & fluidorum ac solidorum dispositio, ne perperam instituta sanguinis subtractione, sanatio difficilior fiat, & spasmi febriles accessionis tempore increvant, uti pluribus in dissertatione, observationes clinicæ circa curationem quartanæ, inscripta, monui. Notabile autem est, quod sanguis e quartanariorum vena emissus conspicuum exhibeat vitium, ac flavescens lenta pituita in superficie obductus compareat, cujusmodi crustam albam pituitosam in venis etiam quartana defunctorum se invenisse testatur Schenckius.

§. IX.

Et vomito-
ria.

Vomitiorum usus in quartana pariter cum distinctione admittendus. Quando enim crudorum ac viscidorum succorum colluvies primis, ex nimia ingluvie, est in viis, ac ad vomendum proclivitas, expedit omnino, ut brevissima via per emericum exturbetur, antequam sanguinem subeat & systema nervosum afficiat. Consultius tamen est, istud non adhibere, nisi viscera salva, ventriculus

non adeo tener, nec genus nervosum nimis sentiens & debile, ac pulmones nulla labe infecti. Præferenda etiam tutiora & appropriata: ex illis palmam fert radix ipecacuanhæ, quæ præter vomitum moventem, aromaticam & balsamicam habet facultatem. Et inter hæc antimonialibus anteposenda venerea, vitriolum maxime cyprinum, vel album, eo quod tam biliosos & glandulosos ductus simul constringendo, ulteriori affluxui materiæ febrilis aditum præcludunt, quam etiam fibras adducendo, & stimulando, ut firmius impasta nervosis partibus materia excutiat, faciunt. Utraque vero sociata, in temperamentum quasi rediguntur, ut medicina emergat, tum ad stomachum deplendum, tum febrem expugnandam, apprimè utilis.

§. X.

Chinæ cortex, cum ratione usurpatus, spectatæ adversus quartanam est utilitatis: tenendum tamen, non prius ad ipsius usum esse descendendum, quam per purgatis probe primis viis, demta plethora visceribusque integris atque apertis. Tutior etiam est in quartana biliosa æstiva, quam quæ autumnò vergente grassatur, & viscerum vitio succique tenacibus fovetur. Tum præstat ipsum in decocto ex vino porrigere, adjectis amaris, aperientibus & diaphoreticis, uti sunt summitates centaurii minoris, herba cardui benedicti, radix gentianæ rubræ, pimpinellæ, & sal tartari. Expedit quoque interdum in hac febre virtutem ipsius adjecto martis croco subtilissimo & sale volatili urinoso intendere. Interim si debito tempore, debita dosi & quantitate exhibebitur, & cum diaphoreticis & resolventibus rite permiscebitur, nocebit nunquam. De quo pluribus evolvendam commendando dissertationem, de recto corticis chinæ usu in febribus.

Optime
fert chi-
næ cor-
ticem.

§. XI.

Ad minuendos præterea, vel sistendos plane paroxysmos, in quartana præ-

Nec non
opercari
piæ.

præsertim autumnali & rebelli, nec non quæ segniores naturas infestat & sopore stipatur, admodum efficacia reperi epithemata, ex acrioribus, stimulantibus leniterque vesicantibus composita, & manuum carpis applicata. Plebei quidem alio hunc in finem utuntur, sed ingratus nimis est inde fœtor, ideoque optime ejusmodi epicarpia concinnantur ex terebinthina, fuligine, sale ammoniaco, araneis contulis, pipere atque theriaca.

§. XII.

Minera-
libus a-
quis quo-
modo u-
sandum
et quan-
ta.
Minerales aquæ, acidulæ præsertim ac thermæ, meo quidem judicio, tam ad præsertionem, quam curationem intermittentium faciunt. Sed ante paroxysmum & in ipso plane ab iis abstinendum, & videndum, ut ante accessionem febris, aqua per emunctoria congrua jam sit evecta, ne motus febriles inde exacerbentur. Loco potus tamen temperatæ, uti superius meminimus, semper possunt assumi.

§. XIII.

Alvus
clysteri-
bus ap-
erienda.
Si alvus in hac febre pertinacius clausa atque constricta, expedit eandem potius clysteribus, quam internis pharmacis sollicitare. Optima horum enematum ingredientia sunt, quæ præter vim emollientem, paregoricam & spasmos sedantem obtinent, ut summitates millefolii, flores chamomillæ vulgaris, sambuci, tiliæ, semen cumini, brodium carnis vitulinæ, vitellus ovi, cum pauxillo salis gemmæ. Opportune etiam quandoque iisdem specifica quædam antifebrilia, amara, nervina & roborantia commiscuntur. Inter Gallos enim ab aliquot jam annis mos increbuit, intermittentes curandi per decoctum chinæ chinæ, crebrius per anum injectum. Idem tamen etiam cum aliis succedit antifebrilibus, ut carduo benedicto, centauro minori, radice gentianæ, necnon herba majoranæ, rorismarini, abrotani & salviæ. Et certe apprimè hæc methodus ex usu est in infantibus, & qui ventriculū

minus firmum & facile nauseantem obtinent, hac tantum servata cautione, ut alvus prius emolliente & salino solvatur clystere, quam nervinus & roborans injiciatur.

§. XIV.

Capitis dolores sævi, qui hisce febribus in provectioris præsertim ætatis personis, junguntur, ægre levantur. Potissimum lenimen sperandum ab iis, quæ alvum liberiores reddunt, nec non a pediluvii, quæ sanguinis impetum a capite ad inferiora trahunt. Inter externa vero acetum rosaceum, item rutaceum, cum sale & nitro mixtum, pani inditum & applicatum, optimum affert solatium.

§. XV.

Quo demum pacto, ne quartana, *Recidiva*
uti frequente fieri a solet, recurrat, *arceda*
sit præcavendum, egregium sane *diætesis*
Cel-
si est consilium, lib. III. cap. XVI. sic habens: si febris quiescit, diu meminisse ejus diem convenit, eoque vitare frigus, calorem, crudelitatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi a sano aliquandiu timetur. Hinc, paroxysmi in primis die, vitare oportet ventos boreales, aerem compressum frigidum humidum, qualis esse solet in humilioribus, paludosis & subterraneis locis, & perspirationis successus custodiendus. Victus etiam exquisita habenda est ratio, ne nimium ingeratur, tanto minus ex alimentis difficilis solutionis. Animus quoque in tranquillitate servandus, & providendum, ne ira & terrore commoveatur, quo febrem quartanam sanis etiam compluries inductam novimus.

§. XVI.

Tum stomacho subveniendum, & *Eupha-*
elixiris stomachicis, ex amaris & aromaticis confectis, digestio secundanda, crebro quidem ac diu, sed parcius iisdem utendo, ne debile jam corpus præter naturam exæstuet. In primis curandum, ut per alvi secesum, de novo succrescentes crudi succi, blande subducantur, eamque ob causam crebrius utendum pilulis balsamicis, vel nostris

noſtris cinnabarinis, item de ammo-
niaco *Quercetani*, quibus, ſi per chin-
chinam febris ſuppreſſa, ſalis digeſti-
vi uſus jungendus. Et his præſidiis
non modo peſſimæ recidivæ, ſed &
aliæ ſæpius deteriores paſſiones, len-
tæ præſertim febres, opportune præ-
ſcinduntur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Quarta-
na in
gravida
curata.*

Generoſa ſcœmina ſanguinea, maci-
lenta, quinto menſe gravida, Septem-
bri, poſteaquam in nocturno, frigido,
nebuloso aere iter ſciſſet, incidit in
quartanam, cui præter ſueta ſympto-
mata, vehemens cephalalgia, ſummæ
præcordiorum anxietates, vomendi
conatus & inquietudo, juncta. Medicus
amaram eſſentiam cum alexipharma-
ca, in paroxyſmo & extra eum, quoti-
die ad guttas minimum ſexaginta,
porrexit, eo cum effectu, ut bini ſequen-
tes paroxyſmi longe gravius impete-
rent, & ſuperius dictis pathematibus
intentiſſimus æſtus, ventris tormina
ac dorſi dolores accederent, & abortus
plane eſſet metus. Meum hic rogatum
conſilium & queſitum: an venę ſectio-
ni, quam reformidarat primus medi-
cus, locus? Ego vero expenſis circum-
ſtantiis, eandem oppido neceſſariam
judicavi. Adminiſtrata igitur fuit ſe-
quenti poſt febre die, & ſanguis im-
petuoſe exſiliit. Tum mixturæ caleſa-
cienti nimis ſubſtituti pulveres tem-
perantes nitroſi, cum emulſione ana-
leptica. Inde ſequens paroxyſmus mi-
nor factus, & uſurpatis per aliquot
adhuc dies iſdem, demum electuario
noſtro, parce, ſed iterato exhibitio,
penitus abacta fuit febris, ſalvis &
matre, & fœtu.

Epicriſis.

Sicuti tempeſtiva ſanguinis miſſio
gravidis, quæ ordinario plethoricæ,
ad præcavendum abortum per neceſ-
ſaria, ita multo magis ex uſu eſt, quan-

Tom. IV.

do motu febrili calido, vel medica-
mento exæſtuante, ſanguis in vehe-
mentem organiſmum, ſive motum in-
teſtinum expaſſivum, conjicitur. Fel-
liciter igitur in hac febriente non po-
tuit non ſuccedere febris curatio, po-
ſteaquam ſanguis ſubtractus, calida
rejeſta & ſurrogata, quæ æſtum ſan-
guinis reſtringunt. Corticem autem
chinæ gravidis etiam non nocere, ſed
circumſpecte datum inſigniter prodeſ-
ſe, tum hoc, tum aliis multis in com-
perto eſt exemplis.

OBSERVATIO II.

Quinquagenarius obefus, vini ac
cereviſiæ potator, hinc cacheſticus,
autumno quartana corripiebatur epi-
demica, eademque permenſem detine-
batur, pedibus ſimul tumidis, alvo
adſtriſta, cum ſopore ac torpore in
paroxyſmo. Fruſtra datis multis, chi-
næ cortex tandem in uſum vocatus in
decoſto. Quo per hebdomadem uſur-
pato, febris ſiluit. ſed tumor dextri
pedis cum dolore obortus, & enatum,
initio ſuperficiarium, poſtea profun-
dus ulcus, ſupra malleolum. Diſcuſ-
ſus tamen ligaturis & externis con-
ſtringentibus aquoſis tumor, ulcus
quoque conſolidatum. Brevi autem
poſt rediit quartana, & adhibitis incaſ-
ſum omnibus, per ſemestre ſpatium
perſiſtit, ægro interim diætæ incurio,
& lac in paroxyſmo copioſe ingurgi-
tante. Intumuit hinc venter, urina
parce ſtillavit, ſpiritus anguſtus fa-
ctus, ſerotum quoque cum pedibus tu-
meſactum, ſuperiora autem tabida,
ſequutus hydrops aſcites, quo æger
extinctus.

Epicriſis.

Perperam tumor pedis vi repreſſus
& ulcus ſiccatum, quum quartanæ
haud raro his terminetur, iſdem-
que repulſis, & ſiant primum, & re-
petant. E re potius fuiſſet, cache-
xiam & viſcerum labem oppugna-
re, & internis magis, quam exter-
nis morbo occurrere. Sic omnino

C 3

reci-

*Quar-
tana in
cache-
ſtico in
functū
hydropē
termi-
nata.*

recidiva declinari & æger servari potuisset.

sublata omnia, & æger ad sanitatem traductus.

OBSERVATIO III.

Epicrisis.

Quartana ex tertiana cum salivatione. Juvenis literatus, computationibus inferam noctem subinde indulgens, autumnopluvioso subitinere incurrit tertianam primum. Cujus æstum, quum pomis citriis in taleolos discissis & julapiis copiosis exstingeret, succellit quartana, cum exquisito contusivo artuum dolore, capitisque ac pedum quasi rigore, alvo simul clausa & urina cum ardore stillante. Diu hæc febris & medicos & medicamenta elusit. Tandem datus hic pulvis: Recipe coralliorum, salis absynthii, mercurii dulcis ana. drachmam, olei caryophyllorum guttas sex, laudani opiati grana quatuor. Sumtus is quotidie bis, eodemque intra triduum consumito, salivatio oborta, post quam febris discessit. Sed periculi non expers erat salivæ fluxus, quum per quatuordecim integros dies, quotidie sæpe ad mensuras duas, succederet, æger neque somnum capere, nec solidi quicquam assumere posset, manus & pedes frigerent, faucium & gingivarum caro mirum tumeret, foetidissimus exspiraretur halitus, corpusque debile & marcidum redderetur. Hinc pedes immissi ter quotidie pediluvio, ex vino, aqua & herbis aromaticis. Alvus subducta clystere ex floribus chamomillæ, herba melissæ, origani, salviæ, oleo chamomillæ cocto, cum sale communi interius laxante ex manna, cassia, rhabbarbaro, & foliis sennæ. Potui datum decoctum ex sarsaparilla, china radice, ligno juniperino & mastiche, cum regimine sudorifero. Fauces elotæ decocto salviæ, menthæ crispæ, florum rosarum rubrarum, balaustiorum, sambuci & radice plantaginis, ex vino, adjecta postea essentia mastiches & myrrha. Et circa somni tempus oblatus pulvis bezoardicus cum theriaca celesti & oleo ligni sassafras. His intra mensem

I. Abusus acidorum, & pomorum citriorum tertianam in quartanam commutavit utique. Fixiorem enim & lentam reddidit febris materiam, simulque primas vias acidorum & ponticorum succorum copia opplevit. Et hinc etiam ratio subsequens incommodorum petenda.

II. Ex vero scribit *Willisius de feb. quartanariis* promptos esse ad salivationem, ex levi etiam mercurialium dosi, & quartanam etiam sæpe salivatione solvi. Utrumque confirmatur hoc casu. Ratio vero cur tam facilis sit in quartana, ac uti ego observavi in tertiana etiam, salivatio, hæc mihi videtur; quod, qui eadem decumbunt, primam regionem, falsis, acidis partim, partim biliosis acribus succis, gerunt obsessam, a quorum falsedine mercurialium vis mire intenditur. Neque tamen reticendum, enormis in nostro egro salivationis causam potissimum fuisse, quod mercurius dulcis cum coralliis in calcem ustis & sale absynthii intensius tritus fuerit atque commixtus. Inter omnis enim generis salia, fixa potissimum alcalina, cum mercurialibus pessime miscentur, & validiori tritu, drasticam, humores salivales, & lymphaticos fortiter commoventem facultatem acquirunt. Memini etiam paratum a medico in contumaci quartana decoctum, ex cortice chinæ, sale tartari, terra foliata tartari, mercurio dulci & aqua communi, vix coercibilem concitasse salivationem. Idem contigisse novi in quartana ab oblato mercurio dulci cum specifico *Mynsichti*. Hinc auctor sum, ut, qui tuto uti velit mercurialibus, eadem nunquam triturando exactius misceat cum salilibus, vel salia prorsus omitat.

OBSERVATIO IV.

Quarta-
na chine
cortice
et cor-
rupta
et sana-
ta.

Robustus & plethoricus vir, vite se-
dentariæ cum crassiori victu addictus,
animi affectibus indulgens, & ab anno
hæmorrhoidarius, Octobri mense, si-
ne præcedente externa causa, inhorre-
scere cœpit, lassitudine corporis, &
contusivo artuum dolore affligi, pi-
tuitam viridem copiosam evomere,
cum insigni præcordiorum angore,
subsequutus calor universi corporis,
cum cephalalgia, cuti arida & urina
naturali. Quarto die hæc recurrerunt;
ideoque medicus quartanam esse judi-
cavit, & elixirum amarum cum spiri-
tu salis ammoniaci, nec non infusum
herbæ theæ, ante paroxysmum largi-
ter ingerere iussit. Sed ingravescente
inde morbo, ad specifica magis descen-
dit, & chinam chinæ, tam intermissio-
nis, quam paroxysmi tempore, liberali
manu porrexit. Licet etiam pectus in-
de longe gravius opprimeretur, & vi-
res corruerent, eodem tamen institit
eo cum effectu, ut alvus pertinacius
obstiparetur, vomitus in paroxysmo
cum mirifica anxietate erumperet,
hocque non succedente, lipothymia
plane ingrueret, ac febris in conti-
nuam videretur mutata. Accitus igitur
alius medicus, qui venæ sectionem
instituens, paroxysmum effecit illico
mitiorem. Intercalaribus postea die-
bus infusum leniter evacuans, ex fo-
liis sennæ, radice cichorei, herba ta-
raxaci, passulis, tartaro tartarificato,
& syrupo rosarum solutivo, ex vino,
per quatuor vacuos a febre dies su-
mendum suavit. Præcepit etiam, ut cly-
stere emolliente alvina regio expurga-
retur, ac ipso in paroxysmo dorsi spina,
& pedes linimento nervino inunge-
rentur. His deservit magis adhuc fe-
bris, dolor ostocopus sublatus, urina
reddita largior, & sudor liberalius pro-
dire cœpit. Transactis autem sic qua-
tuor septimanis, pulverem supra de-
scriptum ex martis limatura, cortice
china, mercurio dulci &c. duodecim

dosibus obtulit, expirante sensim fe-
bre, & ægro, consumto hoc pulvere, ad
perfectam sanitatem redeunte.

Epicrisis.

Docet hæc historia, perniciosum
esse specificorum usum ante correctio-
nem & evacuationem humorum noc-
entium, præstabilem vicissim leniter
evacuantium, nec non pulveris ex a-
perientibus metallicis cum chinchina,
facultatem. Et certe tutissimus cor-
tex hic est, si cum laxantibus & dia-
phoreticis propinatur. Neque enim al-
ia ipsius ratio ac opii, cujus soporife-
ra virtus adjectis purgantibus, sudori-
feris, vel etiam diureticis, & analepti-
cis, ita cicuratur, ut in innoxium
quasi temperamentum redigatur.
Hinc serio auctor sum, ut febrifugum
hoc, præsertim in corporibus visce-
rum obstructione & infarctu laboran-
tibus, nunquam solum, sed aperien-
tibus præmissis, vel iis nuptum, ex-
hibeatur.

OBSERVATIO V.

Quum anno 1719. ob siccum & cali-
dum per integros fere quinque menses
regnante laetrem, hic grassarentur
febres varii generis, quartana etiam
correpta fuit. Juvēcula sanguinea mol-
lioris & laxioris carnis. Post quartum
paroxysmum chirurgus perfectam in
brachio venam largiter sanguinem
subtraxit, & die post pilulas dedit vali-
de purgantes, quibus intra nycthyme-
ron vigesses dejectum. Perstitit hic
alvi fluxus per aliquot dies cum tormi-
nibus, licet non tam numerosis sedi-
bus, ac demum sanguis plane cum
muco secessit. Febris autem inde mi-
rior facta, & postea plane discussa.
Cruentum etiam alvi profluvium, po-
tibus demulcentibus ex floribus cha-
momillæ, sambuci cum lacte, item
pulvere antidiysenterico *Klapperbeii*,
ex bolo Armena, & cortice chac-
carillæ composito, feliciter sublatum.

Quarta-
na
purga-
tione
curata.

Epicrisis.

Frequentes hoc anno erant & dy-

lenteria, & varii generis febres, ex una eademque causa, impuris nempe, excrementitiis, acribus, biliosis fordibus in corpore genitis, perspiratione suppressa retentis, atque in primis viis & duodeno potissimum collectis, quæ postea transmissæ ad sanguinem vel per habitum corporis motu febrili, critice quasi expulsæ fuerunt. Secta igitur in febriente hac vena, perspiratio fuit imminuta, per drasticum purgans autem impetus humorum ad intestina proritatus, factaque ibi majori acris biliosæ materiæ excretionem, febrilis spasmus, ab hac fuscitari solitus, cessavit. Nam sub eadem epidemica febrium affectione observavimus, dysenteriam præpostere cohibitam, febres curatu admodum difficiles induxisse.

OBSERVATIO VI.

*Auctoris
methodus
cuvandi
quartanas.*

Sub principio autumnus, quo frequens erat quartana, invasit etiam solitis pathematibus plebejum juvenem, post copiose ingestum potum corporisque refrigerationem statim ab ira. Superato quinto paroxysmo, tria tartari emetici & quindecim tartari vitriolati grana, sex ante accessionem horis data, quibus cum magna præcordiorum anxietate pituitosum liquamen cum bile evomuit. Ex eo in quotidianam, quæ typum non servabat, conversa est febris. Oblati igitur pulveres absorbentes, salini, nitrosi & cinnabarini. Inde febris brevior & mitior, alvus fluxa, & sudor declinante impetu largus. Elapsis aliquot hebdomadibus, debito tempore ac dosi usurpatum electuarium febrifugum & febris successive abacta. Sed quum liberatus obvia quævis ingereret, corpus a frigore non defenderet, rediit febris, quæ tamen post aliquot paroxysmos, balsamo vitæ ad 30. guttas, in duabus aquæ menthæ unciis, tam ante, quam post paroxysmum, sumto, iterum discussa. Breves autem & hæ erant induciæ. Reconvallescens quippe appetitui liberalius indulsit, nec a frigore sibi cavit, ideoque

in eundem recidit morbum. Dedi hinc consilium, ut grana 15. piperis albi leniter contusi, cum aliquot cochlearibus spiritus vini, quatuor ante paroxysmum horis ingereret, & in lecto sudaret. Quo demum quater usurpato, factum, ut febris penitus discederet.

Epiresis.

I. Febres, præsertim quartanæ, in nullis frequentius recidivant, quam in plebejis. Hi enim neque dieteticis legibus obtemperare, neque ex præscripto medici vivere sescunt. Unde plebique tam ob cohibitam perspirationem, quam ingestos multos, & graves cibos, promte iterum fomes colligitur febrilis. Ne igitur in morbum erumpat, vel emeticis superius, vel salinis deterfivis & balsamicis laxantibus inferius, educendus, vel etiam medicamento digerente stomachico præscindendus, cujus generis maxime est piper, in plebejis summopere proficuum.

II. Sudor ante paroxysmum convenienti remedio atque regimine prolectus, neutiquam nocet, sed ad febrem vincendam ejusque insultum arcendum, quam maxime salutaris, secus ac communis medicorum fert sententia. Ego certe multis confirmatum habeo exemplis, sudore ante paroxysmum per accommodata medicamenta provocato, modo prima regio a fermento febrili prius exquisite depleta fuerit, cutis inhorrescentiam & spasmus, sine quo nullus subsequi potest æstus, fuisse prohibita, ipsamque febrem fugatam. Decumanus etiam error est, febrilem materiam demum paroxysmo finito expelli sudore. Tantum enim abest, ut febrem sudoribus post paroxysmum, vel intercalari die largis, cum salute terminatam viderim facile unquam, ut potius, ipsi hi largi sudores debilitatem partium & atoniam cutis indicant, corpus ad novum paroxysmum disponentem.

OBSERVATIO VII.

Quartana in quotidianam saepe redeunt & mutata.

Puer decennis, facie lividus & pallens, abdomine turgidus, appetens tamen ciborum, ex refrigeratione sub aura vespertina contraxerat quartanam. Opponebantur amara in essentiam redacta. Sed aucta inde appetentia, corporisque nocturna denudatione accedente, in quotidianam post decem paroxysmos transiit febris. Hinc data alternis diebus pilulae nostrae in vehiculo liquatae, & cerevisiae potandae mensura indita bina cochlearia liquoris ex salis tartari, nitri, salis ammoniaci, arcani duplicati ana drachmis duabus, in aquae fontanae libra liquefactis & decem extracti croci granis adjectis. His intra trium hebdomadum decursum febris discussa, abdomen detumuit, atque ex facie livescens color deterfus. Sed post quatuor hebdomades rediit febris quotidie, quae quidem iisdem brevi profli-gata, post duos autem menses denuo repetiit, iisdemque iterum fuit abacta. Quia autem animadverti, causam tam crebrae recidivae esse neglectum post febrem remedium usum & dietam insalubrem, serio dulcibus, acidis, lacticiiniis, caseo, fructibus horae interdixi, ac praecepi, ut ternis minimum diebus aliquandiu pilulis & liquore superius dicto insisteretur. Sic demum febris expugnata, puer ex voto convaleuit.

Epicrisis.

Aegre ex quartana levantur pueri; crebras experiuntur, etiam post longum tempus. recidivas, vel alios longos ex ventriculi imbecillitate morbos, vel etiam catarrhales defluxiones lentasque febriculas incurrunt. Interest igitur, ut tempestive statim in principio imminetia mala praescindantur. Ego quidem ut plurimum vacuantibus medicationem cum successu exorsus sum. Ad alvum purgandam frequens mihi fuit pulvis Cornachinus, ex cremoris tartari drachma, an-

timonii diaphoretici granis 12. & diagyridii sulphurati granis sex, cui interdum nitri paucillum addidi. Hunc in tres doses divisum, ter, sex horis ante accessionem porrexi. Si vero nausea & conatus vomendi adfuit simul, dimidium tantum tartari emetici granum uni dosi admiscui. Sic expurgata sordium colluvie, infusum roborans, die vacuo omni bihorio ad cochlear unum, dedi sic paratum; recipe corticis chinae unciam semis, chacarillae terrae foliatæ tartari, salis tartari ana drachmam, infunde unciis octo aquae cardui benedicti, colaturae adde julepi rosarum unciam semis. M. Si his febris non discessit, indicium fuit infarctus viscerum, aut obstructionis glandularum in abdomine. Ad hanc submovendam usurpavi liquorem salinum supra descriptum, parca, sed repetita dosi, simulque pro potu praebui decoctum diluens atque aperiens. Praeparatis autem hac ratione primis viis & visceribus referatis, non dubitavi, praesertim mitiore & breviori jam facti paroxysmo, febrilem compescere spasmus. In quo quidem conficiendo, tam in puerili, quam juvenili aetate, tutissimam inveni methodum *Helvetii*, per clysterem ex decocto corticis chinae, bis, vel ter, intercalaribus diebus injectum, praemisso tamen, ad educendas prius sordes, clystere emolliente. Sic percurata fuit febris demum, neque unquam rediit, si modo convalescentes sibi a refrigeratione, instantibus & alvum contum-pantibus caverunt.

OBSERVATIO VIII.

Senex generosus octogenarius, per *Quartana in vespere* omnem vitam rarius morbis affectus, *& sine funesta* post improvisum terrorem superingestum cibum, horrore & frigore corripiebatur, quod sequebatur, calor, ut noctem duceret insomnem. Redibant haec quarto die graviora, capitis dolore, artuum languore & praecordiorum anxietate stipata. In-

terim vacuis diebus sic satis bene habebat æger, somnum & cibum capiebat. Post septimum paroxysmum consultebatur chirurgus, qui bis ante paroxysmum porrigebat emeticum, intermedio tempore pulveribus acris salinis, cum zingibere & radice ari, febrem oppugnabat, & potui suadebat decoctum lignorum temperatum. Invalescabant hinc paroxysmi, inquietudo, sensuum torpor, ac mentis plane emotio accedebant, die vacuo etiam persistebat capitis dolor, virium & artuum languor, cum calore præternaturali, & appetentia ciborum plane intercedebat. Vocabar nunc ego ad ægrum per binos jam menses febre decumbentem, nil vero ob plenariam & alimentorum, & medicamentorum nauseam efficere poteram. Interim, quia alvus adstricta & inflatio ventriculi cardialgica angebat, suadebam, ut clyster injiceretur emolliens, cum carminativis & stimulo salino, quo levamen & somnus procuratus, Carpis etiam emplastrum ad imitationem Strobelbergeriani imponi jubebam, quo mitior fiebat accessio. Interne nil nisi elixir temperatum balsamicum dabam, inprimis quum a salinis detersivis majores semper præcordiorum anxietates oboriri viderem. Sed deficiente, ob nauseam ciborum, febrisque, quæ in continuam quasi concedebat, diuturnitatem, alimonia vires demum penitus exhaustæ, & mors sequuta, ita quidem, ut bini penultimi paroxysmi, intenso ac diuturno horrore, rigore, anxietate, anhelosa spiratione, mentis emotione, corporisque jactatione, per quatuor vel quinque horas, cum pulsu admodum contracto & debili, insisterent, succedente postea calore, & pulsu in celeriore mutato, ultimus autem eadem quidem impeteret vehementia, sed nullus plane sequeretur æstus, & æger in ipso rigore atque frigore interiret.

Epicrisis.

Quartana febris, Hippocratis &

Celsi effato, per se quidem secunda est, & neminem facile jugulat, immo, si rite decurrit, ad longævitatē ducit. Sed visceribus inflammatis, aut labe affectis, recte monente *Galeno in lib. III. epid.* enecat quam plurimos, sive ob aquam inter cutem, sive omnimodam cibi abstinentiam. In pessimis enim est plenaria ejusmodi ciborum aversatio, & ego quidem putrescens tum quoddam viscus esse observavi. Dumque nihil alimenti assumitur, corpori viribusque subtrahitur pabulum, ut illud emacietur, & hæc elanguescant penitus. Tanto magis id accidit senibus & febre jam diu attritis. Dein senibus longæ ejusmodi febres, ex animi affectu ortæ, admodum sunt infestæ, & licet vires primum non adeo læguide, cautissime tamen tractandæ, quum commissos in diætā, aut medicatio- ne, vel leves errores, decrepiti graviter, haud raro capite plane, luant. Qui vero intermittentibus decedunt, sub vehementia febrili spasmorum, qui fluida ad caput & interna vitalia organa urgent, ibique succos penitus consistere faciunt, pereunt; id quod non modo in quartanis, sed & quotidianis, si continuæ factæ, animadvertitur.

OBSERVATIO IX.

Juvenis, literarum perquam sub-
vita sedentaria studiosus, Septembri
mense, aere pluvioso vespertino, iter
suscepit, in diversorio bene pran-
debat, vinumque austerum, non adeo
bonæ notæ largiter bibebat. Vespere
domum rediens, paroxysmo afficiebatur
febrili, cum artuum languore, qui
quarto die gravior & cum majori præ-
cordiorum anxietate redibat. Sumebat
hinc ex consilio medici pulverem
digestivum salinum, & in paroxysmo,
temperantem nitrosum. Alvo inde
lexies sine torminibus soluta, febris
deservescibat, & levior reddebatur.
Quum vero quinto post die, vesperi
tempestate frigido humida medicum
rela-

Quar-
tana
sim-
plex
primū
postea
duplex,
demum
triplex
cum
sumore
pedum
curata.

relaturus ſucceſſum ipſe adiret, domum reverſus, ex improviſo novum febrilem experiebatur inſultum; priori longe acerbiorẽ. Redibat idem poſtero die, tertius erat vacuus, quartus paroxyſmum primo, quintus ſecundo reſpondentem, inferebat, ut ſic quartana eſſet duplex. Alvus præterea erat ſtricta, venter car dialgia premebatur, pedes tumebant ad genua uſque, totiuſque corporis & faciei aſpectus erat turgidus. Exhibebatur ipſi liquor ſalinus, alcalinus, nitroſus, in paroxyſmo & extra eum & die intercalari pilulæ baſſamicæ. Quibus alvus bis ſoluta & in ſimplicem rurſus mutata febris. Inſiſtebatur iſdem eadem ratione remediis, & ſubſequebatur copioſus alvi ſluxus, cum exquisitis circa umbilicum torminibus, & tam acia noctu æque ac interdiu ſecedeabant, ut anus fere eroderetur. Durabat hæc diarrhæa per aliquot dies, febrisque mitiorem inſultum faciebat, ſed tumor pedum cum gravitate & languore lumborum increſcebant potius. Poſt uſum mixturæ ex tinctura antimonii tartariſata, eſſentia chacarillæ, & ſpiritu cornu cervi ſuccinato, adhuc quidem febris miſceſcebat, ſed languor corporis, cum inappetentia, lurido aſpectu, & pedum tumore, metum incuriebant haud levem. Datum igitur extra paroxyſmum electuarium ex rob ſambuci & juniperi, cortice chinæ & caſcarillæ, extracto centaurei minoris, ceruſſa antimonii, ſale cardui benediſti, cum ſpiritu ſalis ammoniaci, quo æger illico ſenſit virium incrementum, ſtomachus melius appetiit, obtruſus & gravativus artuum dolor diſceſſit, febris, poſt unum adhuc mitiſſimum paroxyſmum, penitus ceſſavit, tumor quoque pedum ſenſim ſubſedit, & elapſo a primo inſulta menſe, integra reddita fuit ſanitas. Ad quam conſervandam, præter exquisitam vitæ ac diætæ rationem, pilularum baſſamicarum, & elixirii ſtomachici uſus commendatus, & ſex jam elapſis ſeptimanis, nihil plane viſum eſt incommodi.

Plura ex hac obſervatione in uſum decerpenda. Eluſcunt inde procatartica cauſæ, quibus conſpirantibus, intermittens febris excludi poſſit, aeris nempe conditio, ſub qua tertianæ & quartanæ jam erant frequentes, imbecillis ex ſtudiorum intemperantia & vita ſedentaria ventriculus, perſpiratio ab aere vespertino, frigido humido intercepta, & ſtomachus cibi ac potus minus ſalubris copia reſertus. Alvo dein, & naturæ, & medicamento- rum ope, ſoluta, paroxyſmus fractus, conſeſſione autem in auram vespertinam frigido-humidam rediit mox, eo quod recrementa halituoſa ac ſulphuræ indolis, per poros elabi ſolita, retroacta & ad primas vias ceu imbecilles partes delata, febrilem rurſus conſtituerunt fomitem. Quod autem ſimplex quartana in duplicem conceſſit, id mea quidem ſententia, factum a nimis copioſa ſentina ſuccorum vitioſorum, in ventriculo, propter ipſius imbecillitatem confluentium. A quibus tamen natura ſuo robore, arte adjuncta, per crebriores ſedes ſe exoneravit, junctis ſimul ventris torminibus. Porro notabile & hoc, quod ſuccedente copioſo alvi ſecceſſu, tumor tamen enatus fuerit, imo increverit, luculento indicio, copioſas affuiſſe cruditates, magnamque viſcerum ac partium externarum atoniam. Hinc ſumto electuario inſigniter roborante, redditoque per illud ventriculo & primis viis robore, vires ſenſibiliter cum appetitu reſtitutæ, febris fugata, tumor ſucceſſive ſubſedit, & ſanitas perfecte revocata. Ut adeo pateat, tumorem pedum, ſub ipſa febre oborientem, non ſic eſſe pertimeſcendum, ac eum, qui poſt febrem, præſertim male curatam, ſuccedit. Specificorum etiam antifebrilium & roborantium, quæ inter primas utique tenent chinæ & chacarillæ cortex, uſum, feliciter longe ſuccedere, ſi corporis partes ipſeque ventriculus atonia

nia potius, quam strictura affectæ, & humorum potius copia, quam virulentæ indolis exiguae molis materia, in vitio est.

OBSERVATIO X.

*Aucto-
vis me-
thodus
curandi
quarta-
nas.*

Plures hæcenus speciales, de felici æque ac infelici quartanæ curatione, enarravi practicos casus. Quibus addenda adhuc illa observatio, quam in *Medicina consultatoria* tomo 4. Dec. 5. cas. 7. pag. 321. de quartana in gravida feliciter curata, adduxi. Jam non ab re erit, brevibus adicere, quæ ego in sananda hac febre ut plurimum usus sum methodo. Nimirum primum fuit, ut ad contemperandos acidos falsos, & liquandos viscidos succos, nec non obstructions referandas, ter vacuo die, & una vel altera ante paroxysmum hora, cum haustu cerevisiæ tenuis, præberem cochlear liquoris salini, ex sale tartari, ammoniaco, nitro, tartaro vitriolato, sive arcano duplicato & cortice chacarillæ singulorum uncia semis, soluta in libris duabus aquæ cardui benedicti, sive chamomillæ vulgaris, adjecta demum drachma dimidia extracti croci. Superato tertio paroxysmo, elixirio usus sum antifebrili, ex radice pimpinellæ albæ, contrayervæ, vinetoxici, ligno colubrino, cortice chacarillæ ana uncia semis, extracto cardui benedicti, scordii, salis tartari ana drachmis duabus, extractis cum spiritus theriacalis & liquoris anodynii mineralis ana uncia, spiritus vini tartarificati octo, aquæ florum sambuci quatuor uncis. Dando illud post paroxysmum ter quotidie, ad quinquaginta, vel sexaginta guttas, cum potu calido, ad sudorem placide eliciendum, discessit hinc sæpe febris. Quando vero perstitit, infusum laxans superius descriptum, diebus intercalariis mane exhibui, & vesperi modo dictum liquorem salinum. Post aliquot autem dies electuarium febrem fugans, ex rob sambuci, juniperi ana

uncia, corticis chinæ, chacarillæ ana uncia semis, extracti centaurii minoris, salis ammoniaci, antimonii dia-phoretici ana drachma, julepi rosarum uncia una cum dimidia, exhibui tempore a paroxysmo vacuo, bihorio quovis, magnitudine nucis moschatæ. Si etiam interea alvus officii oblita, clystere domestico eam ducere jussi, vel elixirium, ex massæ pilularum balsamicarum uncia semis, soluta in uncis quatuor aquæ fumaris, cum uncia olei tartari per deliquium, ad centum guttas porrexi. Discussa sic febre, ad recidivam declinandam, ostiduo semel deglutitæ pilulæ balsamicæ, vel a robustioribus efficaciores ex gummi ammoniaci, extracti hel-lebori nigri, croci, mercurii dulcis, cinnabaris ana drachma, trochiscorum alhandal drachma dimidia, tringinta granorum pondere sumtæ. Usurpatum præterea quotidie elixir stomachale & injectum exactum in vita victuque moderamen: quibus nunquam fere febris rediit; si vero forsan id factum, veste opus fuit. Ideoque aggressus eam sum emetico, ex radice hypecacuanhæ, vitriolo cyprio & croco, ac subjungendo statim electuarii usum, penitus expugnavi. Quæ etiam ratione, me multoties quartanam epidemicam, & ex ingluvie ortam, in plebeiis potissimum, prima in herba jugulasse, testor.

Epicrisis.

Methodo hac frequentius summo cum fructu quidem usus sum, nihilominus illud adjiciendum in gratiam eorum, qui praxin cum judicio & sufficiente ratione exercere nituntur, putavi, ut non talem methodum in ullo morbo universalem medendi dari autument, quæ perpetua sit, & in omnibus casibus & circumstantiis promiscue applicari possit. Illud enim satis serio inculcare soleo meis auditoribus, nec remedia adversus morbum, certæ semper efficacis, nec unam eandemque medendi dari methodum, sed individualem & specialissimam, ex fol-

licita hiftoriæ morbi & maxime corporis ægrotantis & morbificæ cauſæ exploratione, prævia ſufficienti meditatione, & deliberatione, inveniendam eſſe, quæ in eo conſiſtit, ut non modo remedia, quibus utendum ſit, cognoscantur, ſed & quo ordine, qua doſi, quo tempore & quamdiu cum iis continuandum, exquiſita ratione & experientia, qua optime vires & remediorum virtutes perſpiciendæ & addiſcendæ, judicetur. Memorabilis præter allatos caſus, exſtat tom. 2. *Conſult. medic. ſeſſ. IV. Obſervatione* 180.

C A P. III.

De Febre Quotidiana.

Theſes Pathologicæ.

§. I.

Quotidiana que dicitur.

ET quartana, & tertiana, ex intermittentibus rarior eſt quotidiana, quæ ſcilicet ſingulis diebus accedit & ſolvitur, ſubſequenti poſtea aliquot horarum intermiſſione.

§. II.

Legitima ſymptomata & hiftoria.

Acceſſio hujus febris primo mane, hora circiter quarta, aut quinta, evenit cum frigore, & horrore, ſine rigore tamen. Sub hoc cardialgica præſto eſt nauſea & ventris inflatio, in nonnullis capitis dolor, in aliis animi defectio, in plurimis vomitus, vel alvi ſeceſſus, vel etiam utrumque. Excipit poſtea calor magis lentus, quam mordax, cum ſiti minus intenſa. Pulſus, inordinatus antea & debilis, increbeſcit, non adeo durus tamen eſt, ſed mollior: neque urina flammea, ſed potius cruda ex citrino turbida; multis etiam inſuperabilis ſerre in ſomnum proclivitas. Paucus demum prodiit ſudor: & elapſis decem, vel ultra horis, diſcedit paroxyſmus, corpus hebes & grave reſtans, ſtata poſtero die hora reverſurus.

§. III.

Quando que nota & ſigna.

Sic quidem incedit & decurrit febris exquiſita quotidiana intermittens. Quæ vero typum hunc non ſervat,

ſed vel meridie, vel circa vesp̄eram, veletiam vago invadit tempore, nota appellatur, erraticæ, aut anomala.

§. IV.

Irregularis hæc quotidiana, haud raro obſervatur epidemica: tum nempe, quando irregularis ac inordinata diuturna temporum anni ſuit conſtitutio. Ego quidem, poſt continuum intenſum aſtate anni 1727. & 28. calorem, obortas vidi, pro diverſa corporum conſtitutione, tam diarrhœas & dyſenterias, quam varii generis intermittentes febres, & inter has poſiſſimum quotidianas.

Epidemica.

§. V.

Intermittens autem eſt, de qua agimus quotidiana, ideoque non permittenda cum quotidiana continua. Quæ quidem pariter prima luce cum frigore accedit, ſed calor & languor, cum pulſu celeri ac debili, inappetentia & interdum colliquativus ſudor, per totum reliquum tempus durant. Et ſi longior, ut plurimum funeſta, agris, fractis penitus viribus, ſub ipſo frigore pereuntibus.

Differt a quotidiana continua.

§. VI.

Neque etiam confundenda cum catarrhali. Hæc quippe benigna, vesp̄eræ cum leniori refrigeratione accedit, mane deſerveſcit & catarrhoſis deſtillationibus ſatis eſt conſpicua. Et maligna ex repentina inſigni virium proſtratione, & agrypnia facile innotefcit, neque penitus intermittit, ſed tantum remittit.

A catarrhali benigna & maligna.

§. VII.

Differt quoque ab aliis intermittentibus. Quando enim ex tertiana ſimplici fit duplex, ſingulis etiam diebus impetit paroxyſmus, ſed inſolitus tempora alternatim ſibi reſpondent; aliæ ſunt cauſæ, alia medicatio.

Tertiana duplici.

§. VIII.

Si ex quartana inſultus quotidianus, triplex dicitur quartana, & paroxyſmus non quotidie eadem hora venit, ſed quarto quovis die, quoad acceſſionis terminum, conſpirat; diverſa etiam,

Quartana triplex.

ob diversas causas, ineunda medendi ratio.

§. IX.

E. lenta. A lenta demum febre distinguitur, quod illa post pastum & circa noctem sine horrore obrepit, cum calore in volis manuum plantisque pedum, noctu etiam magis affligat sudore stipata, mane vero tepescat, nec tamen penitus intermittat.

§. X.

Ejus causa. Jam sicuti omnis febris proxime nervosi generis est affectio; ita formalem pariter quotidianæ rationem spastica nervosarum partium & systematis vasorum agitatione absolvi, indubium plane. Hic autem præternaturalis febrilis motus, per materiam, a naturali & blanda humorum vitalium indole plane alienam, ad sanguinem delatam, nec tamen cum ipso miscibilem, inducitur.

§. XI.

Ex vitio viscerū. Nimirum primæ sic dictæ viæ, ventriculus, duodenum & potior jejuni valvulosi portio, sunt illud latibulum, in quo vitiosa materia fermenti instar hospitatur, Inde per vasa lactea ad sanguinem & succos transmittitur, & cum his ad sentientes internas partes delata, easdem exagitat & ad extraordinarium motum stimulat. Et certe in quotidiana etiam febre, primam maxime regionem, varii generis vitiosorum, corruptorum, viscidorum, acido-bilioforum succorum saburra, scatere, plura sunt quæ uberius evincunt. Etenim junguntur ipsi ordinario fere ructus, nausea, cum conatu vomendi, inappetentia, cardialgica inflatio, præcordiorum angustia & pectoris oppressio, interdum tensivus, pungitivus ac morificans dolor, ad dorsum excurrens. Foedus dein ut plurimum & ingratus sapor in ore percipitur, quandoque amaricans, aliquando subdulcis nauseosus, nonnunquam nidorosus plane. Ipsa demum febris naturæ beneficio per crebriores dejectiones alvi sponte haud raro solvitur, artificiosa autem medicatione, per

superius, & inferius os evacuantia, cum stomachicis, utramque faciunt paginam.

§. XII.

Quia tamen longior ut plurimum hæc est febris & ad plures sepe menses trahitur, iusta utique suspicio est, labem in imi ventris penetralibus subesse firmiter radicatam. Organa quippe secretoria, glandulæ & glandulosæ intestinorum tunicæ, remissa nimis sunt atque laxata, ideoque loco subtilis lymphatici salivalis succi, copiosum impurum & serosum plorant. Reliqua quoque sanguinis depurationi dicata viscera, hepar, lien & pancreas, ob dejectum robur & languidiorem per ipsa sanguinis progressum, succum lymphaticum & biliosum minus purum in digestionis officinam mittunt. Hinc alimentorum solutio & chyli elaboratio turbatur, multæque serosæ & corruptæ cruditates prima in regione & gignuntur, & cumulantur, quæ ipsa mora deterioris indolis factæ, & ad sanguinem delatæ, febrilem, uti diximus, faciunt motum.

§. XIII.

Quod autem crebrius, quam in aliis intermittentibus, febris insultus in quotidiana impetat, ob eminentiorem primarum viarum imbecillitatem fieri arbitror. Hæc enim quam maxime cruditarum proventui favet, & facit, ut prompte eadem istuc confluant, cito ibi colligantur, breviori etiam tempore sanguinis massam subeant & ad nervosæ spinalis medullæ membranas deferantur.

§. XIV.

Hinc igitur porro est, quod omnia, quæ viscerum flacciditati inducenda & crudorum ac impurorum succorum proventui favent, ad hanc febrem sternant viam. Insidiatur potissimum hominibus segnioribus, otiosis, inordinata & cruda diæta utentibus, crapulæ ex cerevisia, nec non morori ac curis nimium indulgentibus, item qui debilem ob prægressos morbos, vel sanguinem effusum, nasti ventriculū.

Sedes in primis viis.

Causæ quotidianus insultus.

Causæ antecedentes & subiecta.

lum. Frequentius etiam infeſtat hyberno, autumnali nubilo cœlo, ſenes magis & pueros, ſcœminas plus quam viros, pituitoſos, phlegmaticos & ſanguineos, præ biliſis & melancholicis. Ex aliis quoque intermittentibus promta ipſius geneſis: tum ſcilicet, quando æger incongrua vorat, vel crebrius animo movetur, quando purgantibus & emeticis validioribus ſtomachi robur atteritur, anodyna, calida & ſpirituofa uſurpantur, aut penſi habita primarum viarum repurgatione, adſtringentia & ſpecifica præpoſtere adhibentur.

§. V.

Exquiſita longa vaga non. Ceterum quotidiana exquiſita, ex viſcerum atonia oriunda, longius ut plurimum trahitur, multumque negotii medico faceſſit. Quæ vero vaga, populares habet circuitus, & ſuccorum tantum vitio debetur, facilius ſanationem recipit.

§. XVI.

Continua propinqua magis anceps.

Minus dein periculofa eſt, quæ plenariam paroxyſmi habet intermiſſionem. Sed quæ ad continuæ indolem inclinât, & ubi ſoluta febre, languor tamen virium, cum pulſuum debilitate & frequentia perſiſtit, corpusque ſudore diſſuit, ita, ſi ad aliquot menſes producit, vires enervat, ut æger haud raro ſuccumbat.

§. XVII.

Ex intermittentibus periculofa.

Quæ etiam ex intermittentibus, præſertim quartana, ſuccreſcit, rebellis & periculi plena eſt, præſco jam *Celſi lib. 3. c. 15.* teſtimonio: *quartana, inquietis, neminem jugulat, ſed ſi ex ea facta quotidiana, in malis æger eſt.* Magnum enim viſcerum vitium ſub eſſe indicat, & continuæ plerumque eſt propinqua.

§. XVIII.

Si excretiones adſunt bonum.

Quando incipiente acceſſione biliſis & pituitosus vomitus, vel ſecefſus, eveniunt, bonum, niſi forſan ex febris diuturnitate vires jam nimium fuerint exhaustæ. Sudor quoque declinante paroxyſmo placide erumpens, & urina poſt febre in copioſior cum ſedimento

ſecedens, vehementiam inſultus minuant, febrisque felicem ſolutionem nunciant.

§. XIX.

Contra ea, ubi excretio nulla, febris etiam per longum nimis tempus *ſi nulla maſuſ.* detinet, viſcera demum labem contrahunt & cachexiæ, febres lentæ & heſticæ, tabes, in diſpoſitis etiam phthiſes, ſuccedunt.

§. XX.

Idem perquam facile evenit, quando adſtringentia & ſpecifica febrifuga præpoſtere adhibentur. Et ſi calidioribus ſudoriferis & eſſentiis alexipharmacis ſpirituofis acria ex prima regione recrementa in ſanguinem aguntur, expeditus in continuam, cum ſudore perpetuo & virium jactura, eſt tranſitus.

§. XXI.

Qui autem hac febre demum decedunt, in his frigus longe intenſius ac magis diuturnum, cum rigore, virium proſtratione, mentisque turbatione. Hoc plerumque bis adhuc excipit calor, ſub tertio autem inſultu, pulſuum ictus debiles manent & inæquales, ipſumque frigus in rigorem tranſit emortualem.

INDICATIONES
Curatoriæ.

Cum Methodo medendi Generali.

§. I.

Quum itaque cauſæ quotidianæ intermittētis, cruditatum ſeroſo viſcidarum prima in regione ſaburra, viſcerum & glandularum flacciditate, & impedito ſanguinis per imum ventrem progreſſu contineantur; omnis omnino medicatio merito eo dirigenda: ut I. impuri illi & pravi ſucci e primis viis, præparati prius, per congrua emunctoria proſcribantur; II. viſcera a tono dejecta roborentur, & ſic cruditatum ulterior proventus arceatur; & III. liber ſanguinis per viſcera abdominis & inteſti.

Indicationes curatoriæ.

linorum canalem, tanquam digestionis & chyli elaborationis officinam, circulatio restituitur.

S. II.

Profunt salia nerva Primum ut ex voto perficiatur, laudata est virtus incidentium & abstergentium, & quidem salium neutrius generis, inter quæ primas tenent sal ammoniacum depuratum, digestivum *Sylvii*, ex capite mortuo spiritus salis ammoniaci urinosi, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal Ebshamense, Sedlicense, nitrum antimoniatum. Dein commendanda etiam quæ sale acri aromatico pollent, uti radix ari, calami aromatici, pimpinellæ albæ, costi veri, zedoariæ, canella alba, zingiber, piper album. Quæ in pulverem redacta, salibus dictis mixta, & adjecta una vel altera guttula olei carminativi, egregiam suggerunt medicinam antifebrilem.

S. III.

Pilula balsamica cum salibus Ad primæ æque ac secundæ indicationis scopum obtinendum, exturbandas nempe leniter per alvum sordes, roborandum simul tonum ventriculi & intestinorum, eorumque turbatum motum restituendum, salubritatis laudem merito ferunt pilulæ balsamicæ Beccherianæ, Strahlianae & nostræ, massa etiam pilularum aloephanginarum, de succino *Cratonis*, item *Solenandri*, præsertim si una cum ipsis salibus offerantur.

S. IV.

Amara et roborantia. Potissimum vero ad reddendum visceribus abdominis robur, ac impedientum impurorum succorum in digestionis officinam affluxum, ex usu sunt elixiria amara cum martialibus mixta uti quidem est meum temperatum balsamicum, sine spiritu vini paratum, cum liquore alkalino. Vel essentia chaccarillæ cum essentia gentianæ mixta. Vel etiam elixiria stomachica, uti nostrum, vel *Michaelis*, additis aliquot guttis tincturæ martialis, ex floribus salis ammoniaci martialibus, cum spiritu corticis aurantiorum rectificato factæ.

S. V.

Et his quidem etiam promovetur egregie sanguinis per abdominis vasa ipsamque digestionis officinam progressus. Interim si refractaria admodum febris repetit, & ab inordinata diætâ sustentatur, omnia salubritate antecellunt medicatæ aquæ, thermæ potissimum atque acidulæ, uti Carolinæ & Egranæ tepesfactæ, quæ debito cum regimine, intermixtis amaris, balsamicis & anticachecticis, usurpatæ viscidas sordes diluunt, per alvum & urinam cum serosis evehunt, infarctus expediunt, liberumque sanguini reddunt comeatum.

S. VI.

Specialis autem medendi cum hisce præsidii methodus, pro temperamentorum, ætatum, anni temporum ratione, corporum constitutione, dispositione primarum viarum, sexu, morbiq; causa, instituenda, & singulis his, tam dosis remedium, quam tumendi ratio accommodanda. In genere tamen tenendum, horis a paroxysmo vacuis pulveres salinos cum incidentibus esse exhibendos, tertio vel quarto die ventrem solvendum pilulis, ita tamen, ut operatio earum accedente paroxysmo jam sit absoluta, declinante paroxysmo erupturum sudorem quiete & calido potu esse promovendum, ac demum subjungenda roborantia, amara, martialia & antifebrilia. De quo tamen plura in cautelis & morborum enarrationibus.

Observationes & cautela clinica.

S. I.

Quotidianæ intermittentes circumspice sunt tractandæ, ne in alios longos & ancipites morbos transeant, Inprimis aspernantur adstringentia & sopientia, præcipitantia terrea larga, item omnia purgantia drastica & sudorifera, nec non validiora emetica.

S. II.

Multum tam ad quotidianæ curationem, quam recursum ipsius arcendum

Therme in primis & acidulæ,

Morbosus medendi

Medicatio caute instituenda

Vitæ & vitæ ratio habenda.

dum facit, vitare animi commotiones, merorem in primis ac diuturnam solitudinem, cum insalubri cibo, ac vini potu, nec non refrigerationem, præsertim abdominis.

§. III.

*Alvina
excretio
promove-
nda.*

Quum natura ipsa hanc febrem critico alvi fluxu sæpe solvere soleat, ipsius ductui insistendum, ipsaque juvanda ab artifice. Unde ægri non ad regimen sudoriferum, aut pharmacis ad sudorem cogendi, sed potius eo annitendum, ut materia vitiosa ipsaque primæ viæ ad alvi fluxum salutarem præparentur ac disponantur. Quod quidem egregie perficitur, quando aliquot ante paroxysmum horis, lene laxans, pulvis cornachinus, vel pilule balsamica, cum sale præbentur.

§. IV.

*Vomitus
secun-
darius.*

Quia porro vomitus huic morbo jungitur cum bonis ægrorum rebus succedens; e re est, ut idem debito tempore & convenienti medicina secundetur. Hinc expedit interdum omnino stomachi subversionem per emetica ante paroxysmum data provocare. Ego quidem memini, me aliquoties in febre exquisitæ quotidiana, quæ hora quinta matutina invadere solebat, porrexisse circa noctis tempus, prius quam cruditates ex digestionis officina ad sanguinem delatæ, lene vomitorium, ex radicis pecacuanhæ granis 15. cum dimidia parte pulveris cornachini. Proripatus inde felici cum successu fuit vomitus, nonnunquam alvi fluxus, & febris minimum mitior facta, aliis postea facile expugnanda.

§. V.

*Etiā
in diu-
turna.*

Si etiam quotidiana febris, diu persistit per mensem, vel longius, ac in lentam ferme degenerare videtur, commode offerri potest granum unum tartari emetici soluti. Quo biliosum stagnantem succum, cum levamine, incredibili fere copia fuisse exturbatum, novi.

§. VI.

*Externa
ventri-
culi.*

Quando dolor ventriculi pressorius, vel inflatio & ciborum fastidium jun-

Tom. IV.

gitur, regioni epigastricæ sacculi ex herba menthæ, absynthii, rorismarini, floribus spicæ, chamomillæ Romanæ, caryophyllis & nuce moschata, vel sicci, vel ex vino cocti, applicandi. Qui, ubi finita etiam febre imponuntur, perspirationem & sudorem efficaciter eliciendo, egregie profunt.

§. VII.

Frigus, quum nimis acre partes ex-
ternas exagitat, tum sacculi modo dicti, tum etiam spiritus vini purus, cum oleo menthæ in duplicato lintheo stomachali regioni apponuntur cum fructu.

*Et epi-
gastricæ
imponenda.*

§. VIII.

Cum febrifugis caute in hac febre mercandum. In quotidiana tamen epidemica & erratica, præter superius dicta, specifica etiam antifebrilia, ipsum quoque electuarium, cujus basis chinæ & chaccarillæ cortex, tuto adhibentur. Provocata inde, observatorum etiam fide, alvi sæpe laxitas & copiosa summa cum euphoria sedes. Chaccarillæ autem cortex in hac febre merito præferendus chininæ, quia magis roborans & adstringens est.

*Febris
fuga
cum di-
stinctio-
ne sur-
panda.*

§. IX.

Sanguinis missionem raro admittit quotidiana; jam enim præsto est in primis ventriculi imbecillitas, & plerumque cachectici quippiam complicitur. Quod si autem eminens plethora, præsertim a mensium, vel hæmorrhoidum suppressione, urina præterea tincta & æger vini potui assuetus; in principio statim vena secanda, ne febris inde ingravescat, ac uti observata Medicorum testantur, lentæ, hæcticæ, apostematice febres, subsequantur.

*Necnon
veneris
ctio.*

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Illustrissima persona, tringinta annorum, inordinatum diu sectata fuerat vitæ genus, multa incongrua edulia ingesserat, fructus horæos, lacti-

*Quoti-
diana
febris
Caroli-
nis ex-
pugna-
ta.*

D

cinia,

cinia, acetaria, variaque conchyliorum genera, vina etiam potentia, & aquas sic dictas vitæ liberaliter potarat, prandium ad vespeream, & cœnam ad mediam usque noctem produxerat, & præterea corpus frigido aeri autumnino crebrius exposuerat. Incidebat hinc, prægresso frigore, in febrem, quæ mane quotidie accedebat, cum præcordiorum anxietate, cardialgia, capitis dolore, artuum lassitudine & vomitu pituitoso affligebat, ad tertiam vel quartam pomeridianam durabat, somnum turbabat, & post aliquot infultus, largo stipabatur sudore. Appetitus tamen non adeo erat dejectus, sed æger in cœna subinde cibos sumebat, in primis intrita cum vino. Insistebat hæc febris per quatuor & quod excedit hebdomades, corpusque admodum hebes & languidum reddebat, licet interim variis remediis, purgantibus cum emeticis, salinis pulveribus, etiam cum floribus salis ammoniaci martialibus oppugnaretur, donec infuso corticis chinæ cum comis absinthii, ex vino, abigeretur. Sed quum appetitui redeunti indulgeret æger, multaque minus salubria assumeret, elapsa vix hebdomade, febris majori cum symptomatum vehementia rediit. Opponebantur eadem & evacuantia, & antifebrilia, febrisque discedebat, brevi autem post eandem ob causam repetebat, idque minimum sexies factum, ut semestre interea efflueret spatium, quo corpus ob nocturnos sudores tepidum factum ac vires mirum exhaustæ. Alii igitur accersiti medici, qui de thermis Carolinis, sub exactiori diætâ & regimine usurpandis, consilium dederunt. Allata etiam in lagenis vitreis magnis impensis thermalis aqua, & tepescata ante paroxysmum, mane æque ac vespere, pota. Sed quum intermedium tempus brevius esset, quam ut aqua ante accessionem corpore posset evehi, gravior primum inde fiebat paroxysmus. Ideo febriles motus specificis prius compositi fuerunt, & postea per binos menses

Carolinæ singulis diebus matutino tempore usurpata, interpositis simul medicamentis amaris stomachicis & pilulis balsamicis. Quibus demum effectum, ut febris contumax expugnaretur, nec unquam rediret.

Epicrisis.

Voracitas & inordinata diætâ rebellem facit intermittentem omnem, tanto magis quotidianam, quæ, ex imbecillitate stomachi & crudiratum copia oriunda, novum inde semper nanciscitur fomitem. Dein quum longa febris sedem potissimum habeat in visceribus imi ventris, a crasso sanguine fartis, quæ tracta diutius febre, magis magisque robore exuuntur, in illustrissimo etiam hoc ægro viscera debilia fuisse atque oppleta, certum, unde crebriorum recidivarum origo. Nihil igitur salubrius fuit decenti thermarum usu, quæ partim salino appetitivo, partim terreo martiali principio roborante instructæ, crudos succos efficaciter evehant, infarctus expediunt & sic lentam febrem, necnon cachexiam, quam optime præsciunt. Sunt tamen thermæ æque ac acidulæ cum cautione in intermittentibus in usum vocandæ, & providendum, ne paroxysmus in earum operationem incidat, emunctoria claudat, & aquis retentis, anxietates cum gravibus symptomatibus inferat. Hinc tutius, iisdem, composita febre, ad recidivam arcendam, uti, & tum, adjunctis medicamentis stomachicis & balsamicis, opem ferunt certe laudatissimam.

OBSERVATIO II.

Generosa erat femina, triginta circiter annorum, sanguinea, vegeta & tenera, quæ quarto mense gravida abortum cum enormi hæmorrhagia, & post hunc mensem suppressionem experta, pallida hinc facta fuerat atque cachectica, cum alvo adstricta & appetitu dejecto. Hæc postquam ostreas in cœna comedisset & vespere sole

Quotidiana
recidivans
emeticis
curata

occi-

occiduo in horto deambulasset, nocte insequente febre corripiebatur, cum anxietate, nausea, & ingente artuum languore. Remittente febre dabatur ipsi quidem elixirium stomachale, sed noctu eodem tempore iterum redibat febris paullo gravior. Porrigebatur ob suspicionem cruditatum vomitorium, ex tartari vitriolati granis 12. & radicis hypecacuanhæ granis 25. quo crassam viridis coloris pituitam evomebat. Nihilominus stato repetebat tempore febris, majori adhuc compresorio in epigastrio sensu vomendique conatu, quæ silente etiam febre persistebant. Aperiebatur quidem vesperi alvus stricta clystere emolliente, febris tamen & ventriculi spasmus per aliquot dies insistebant, & facies icterica plane comparebat. Exhibebatur ipsi mixtura ex aquæ cardui benedicti uncis tribus, theriacalis cinnamomi ana uncia semis, salis cardui benedicti, antimonii diaphoretici ana scrupulis duobus, spiritus vitrioli guttis 20. syrupi papaveris rhœados drachmis duabus, cujus dimidiam partem vesperi sex ante paroxysmum horis, sumsit, imposito simul ventriculo sacculo, ex speciebus stomachicis & carminativis in vino coctis, quo sudor ante invasionem largus & febris mitior. Instante sequenti paroxysmo, alteram reliquam mixturæ sumsit partem, qui emanavit prorsus & spasmus quoque cardialgicus laxatus. Quum vero ægra convalescens appetitui indulgeret, fructibusque horæ ac marinis piscibus vesceretur, quinto post die iterum in febrem incidit, majori fere anxietate, vomendi conatu animique quadam defectione stipatam & vesperi accedentem. Solvebatur hinc alvus, mixtura & externa adhibebantur, sed incassum fere. Persistebat enim potius fervor & languor cum magna debilitate, etiam superato paroxysmo, ut metus esset continuæ. Injiciebatur rursus clyster & vomitorium supra dictum porrigebatur, sequente & vomitu, & alvi secessu. Miscebant inde

symptomata cum febre, & pulvere ex corticis chaccarillæ, tartari vitriolati & salis ammoniaci anatica portione confecto, & per septem dies, quatuor quibusvis horis, ad drachmam dimidiam usurpato, discussa demum omnia, ventriculo & corpori robur redditum, mensum quoque fluxus in ordinem redactus.

Epicrisis.

Caveant sibi omnes, qui ex sanguinis immodica profusione languent, a prava diæta & corporis refrigeratione. Tum enim, ob imminutum corporis ipsiusque ventriculi robur, perspirationem quoque imminutam, prompta febrium genesis. Deinceps in quotidiana, cujus causa ingens cruditatum in stomacho & primis viis saburra, magis quam ulla alia intermittente, conducibile est, ventriculum, præmisso blando enemate, leni emetico deplere. Tum spasticas ventriculi stricturas nihil promptius laxat, quam placidum elicere sudorem, quam in rem spirituosa regioni epigastrice calide applicata egregie conferunt. Tandem expurgata prima regione, chaccarillæ cortex cum salibus, non modo ad febrem fugandam, sed & digestionis successum fulciendum, utiliter adhibetur.

OBSERVATIO III.

Senex, sexagenario major, macilentus, sanguineo-melancholicus, continuis laboribus per multos annos sub vita sedentaria distentus, superiori anno, quo solennes erant intermittentes, corripiebatur tertiana, postea quam peregre profectus, liberali convivio exceptus, & noctu sub cœlo valde humido & pluvioso frigido reductus erat. Placide hæc admodum decurrebat, & adhibitis prius pulveribus salino-digestivis, post quintum paroxysmum electuario expedite discutiebatur. Nolebat tamen pristinus vigor & appetitus redire, sed a sumto cibo pressorius semper in epigastrio ur-

Quotidiana ex tertiana electuario sanata.

gebat dolor, nec somnus adeo erat quietus. Dabatur quidem, ad digestionem secundandam, quotidie bis, ad drachmam semis, pulvis ex radice ari, pimpinella alba, gentiana rubra, semine cymini & macis. Sed præter opinionem quotidiana post aliquot dies accedebat febris vesperi. Promptum statim habebat medicus electuarium ex rob juniperi, cortice chaccarillæ & syrupo acetositis citri, idque omni bihorio deglutire jubebat. Sumto hoc, repetebat quidem paroxysmus, sed sub illo & post eum copiosæ prodibant dejectiones, vel decem numero, ut æger firmiter crederet, validum se accepisse purgans. Continuabatur igitur parciore dosi electuarii usus tam salubri effectu, ut febris discederet, & æger penitus convalesceret.

Epicrisis.

Enata procul dubio hæc ex tertiana quotidiana fuit, quod sub illa, prima non sufficienter expurgata regio. Unde reliquæ materiæ febrilis, accepto per malam digestionem incremento, induxerunt quotidianam. Plane peculiaris etiam hic fuit corticis chaccarillæ effectus, canalem intestinorum efficaciter vacuans, febrisque fomitem simul & semel tollens. Is tamen non ubique perpetuus, sed peculiari primarum viarum dispositioni tribuendus. Aliàs inter omnes constat, corticem hunc potius ad compescendas nimias dejectiones valere. Ut adeo pateat, unum remedium, pro diversa naturæ & corporis habitudine, alium atque alium, & diversum, contrarium plane, exserere posse effectum.

OBSERVATIO IV.

Quotidiana anomala post hyemem abasim.

Nobilis quedam tenerior & sanguinei corporis femina quinquagenaria, regnante Sirio, & instante mensium fluxu, gravi exagitata fuit ira, cum extremorum tremore. Porrexit medicus paullo post purgantes pilulas, quibus tanta hypercatharsis suscitata, ut intra 24. horas plusquam quinquagesies,

& postero adhuc die, vigesies fere, deiceret. Fractum inde mirifice corporis robur, artus languerunt, ingruit animi præsertim erecto corpore defectio, perit appetitus, somnus turbatus & pene omnis intercidit. Exactis inter hæc aliquot diebus, vesperi accessit anxietas summa, cum levi duntaxat horrore & frigore, inquietudo & syncoptica affectio, ut jam animam agere videretur. Subsequenti pulsus ictus celeres, æstus corporis, oris siccitas, & mador corporis, per duodecim horas halans, symptomatum attulit levamen. Habuit postea tantisper melius: febrilis tamen commotio modo vesperi, modo noctu, jam gravior, jam levior, rediit quotidie, tussi sicca, & ante, & post illam affligente. Ægre tulit fere omnia stomachus, analeptica, salina, balsamicas pilulas, elixiria stomachica, alimenta ipsa, & quamvis suspensa manu data, sequuta anxietas, æstus, pressio, strictura & ardor ventriculi, nec non tormina ventris. Sic decubuit per mensem, ac interea nihil melius ferre potuit, quam emulsionem ex amygdalis dulcibus, semine papaveris albi, aqua florum acaciz, liliorum convallium, tiliz & cerasorum nigrorum, quibus tantillum pulveris bezoardici nitrosi subinde inditum. Potui datum præterea decoctum avenaceum, non nunquam in levem emulsionem cum amygdalis redactum, & ad alvum obstructam solvendam, enemata leniens injectum. Elapso autem mense, quodammodo commodius excepit ventriculus medicamenta. Hinc somisit quandoque decem tantum pilulas ex nostris, quibus alvus cum euphoria laxata. Exhibitum quoque elixirium nostrum balsamicum, parca pariter dosi. Remanserunt nihilominus febriles commotiones, licet mitiores & sine angore. Ad has igitur componendas oblatas ter quotidie hic pulvis: recipe lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, arcani duplicati, corticis chaccarillæ, ana drachmam.

nam. M.F. Pulvis dividatur in decem partes æquales. Et ad alvum subducendam usurpatum elixirium purgans, ex massa pilularum balsamicarum in tenui lixivio soluta. His demum intra quadraginta dies sensim febris sublata, vires cum appetitu & sanitate integra redierunt.

Epicrisis.

Perniciosum utique fuit molimen, post iram & ingruente mensium fluxu, purgans dare, quia tum jam in motu est natura, & spastica in nervosis partibus strictura adsunt. Neque dubium est, quin sub proritata inde vehementiori purgatione & affluxu succorum impurorum ab ambitu ad interiora, & erosio, & levis inflammatio intestinis fuerit inducta, quibus effectum, ut, nec medicamenta, nec alimenta, sine incommodo, anxietate & æstu suscipere potuerit. Febrilis etiam irregularis insultus, quotidie bis interdum accedens, cum tussi, fuscitatus omnino fuit a levi intestinum inflammatione, sub qua semper stimulus spasmodicus & vitiosa occultatur digestio. Hæc igitur partium & morbi causæ dispositio, nec correctoriam, nec evacuantem, nec roborantem aliam admisit medicinam, quam lenientia & demulcentia. Febri autem, quotidianæ typum servanti, accommodatius fuit nihil, quam chaccarillæ cortex, eximie roborans, mixtus cum aperientibus salinis, absorbentibus leniterque diaphoreticis. Cujus generis pulveres in quotidiana febre, etiam lenta, & quæ ex vitio primarum viarum maleque digestorum succorum colluvie oritur, virtutis sunt certe laudatissima.

OBSERVATIO V.

Quotidiana exquisita diuturna.

Quadragenaria circiter femina, sanguineo-cholericæ laxiorisque corporis constitutionis, quæ in iram prona, inordinata diætâ cum fructibus horæis usa, & insusum theæ large nimis ingurgitans, stomachi sibi contraxerat lan-

Tom. IV.

guorem, paullo post mensium experiebatur suppressionem. Hos quum proprio artificio pellentibus urgeret, febrem incurrebat quotidianam, ordinariis symptomatibus comitatam, medici tamen ope, exactis tribus mensibus, ab eadem liberabatur. Non autem ita multo post, emanentibus semper mensibus, & alvo stricta, in eundem recidit morbum, quem complures in auxilium vocati medici, nec pharmacis, nec aquis medicatis, Egranis æque ac Lauchstadiensibus, neque etiam lactis asinini usu, depellere potuerunt. Perstitit potius idem jam a triennio immedicabilis, & quotidie prima luce accedit febricula, quam comitatur sudor colliquativus pene, ad decimam usque antemeridianam manans, & pomeridie sequitur languor cum dolore lumborum. Præterea extra paroxysmum corpus totum tactu frigidum, vix vesperti ex cibis quicquam assumere valet, & tum etiam ad incongrua magis fertur appetitus. Pallida quoque facies, totiusque corporis habitus tumidus quasi & inflatus. Obambulat tamen, & domestica obit negotia.

Judicium cum consilio.

Quotidianam veram exquisitam, non secus ac quartanam ex longis esse morbis, & ad unum, immo plures annos, trahi nonnunquam, hæc docet historia. Causa vero diuturnitatis inordinata omnino vivendi ratio ægræ, quæ animi affectibus indulget, palato accepta ingerit cuncta, & extra paroxysmum in liberum qualemcunque regnantem aerem concedit. Neque enim omnis diuturna intermitens gravem in visceribus supponit labem. Sed per ipsum febrilem motum nova semper gignitur vitiosa materia, quæ quando intermissionis tempore perspiratione non excluditur, & insalubri victu augetur potius, novum semper induci paroxysmum non mirum. Jam quidem morbus in habitum

D 3

qua-

quasi transisse videtur: vegeta tamen natura & corporis extra paroxysmum motus, in causa fuit, quod deteriores res huc usque non sequuti morbi alii. Ego quidem, rebus sic comparatis, vix aliam medendi rationem esse sentio, quam ut agra curatius ex regularum diæticarum præscripto vivat, parcius, & cibos nec graves, nec fermentescibiles, sed leves, facile solubiles edat. Perspirationis dein successum custodiat ac secundet, nec obambulatione in aere libero frigido inturbetur. Tum ad contemperandos & liquandos pravos in prima regione succos, salino superius descripto liquore utatur. Blandis porro laxantibus intestinorum canalem expurget, cumque in finem, bis octiduo, balsamicas nostras pilulas deglutiat. Stomachi præterea languorem & digestionis vitium elixirio stomachali, crebrius inter cibos sumto, emendet. Ac demum, tam ad promovendam cuticularem excretionem, quam compescendam successively febrilem habitualement commutationem, pulvere ex antimonio diaphoretico, cornu cervi philosophice præparato, tartaro vitriolato & cortice chaccarillæ, bis quotidie ad drachmæ dimidium, per octo dies utatur. His, nisi gravius quid interea acciderit, morbum rebellem, expugnari adhuc posse, speramus.

CAPUT IV.

De Febris Intermittentibus Epidemicis anomalis mali moris.

Theses Pathologicæ.

§. I.

*Ex tempore
pestis
constitutions
insolitis
varii
morbi.*

Superioribus annis 1726, 27. & 28. plane irregulares & insolitæ erant, temporum ac tempestatum constitutiones, ingentes potissimum siccitates & ardores, complures menses perseverantes. Variis hinc languoribus corpora humana affligebantur, diarrheis,

dysenteriiis, intermittentibus febribus variis, simplicibus & duplicibus, quæ nulli temperamento, sexui, aut ætati parcébant. Maxime omnium vero æstate & autumno regnabant febres, partim intermittentes plane, partim remittentes tantum, anormales & irregulares, vagum & incertum typum habentes, facile inter se mutabiles, ut plurimum insuetis & gravibus symptomatibus stipatæ, contagio infestæ, nonnullosque per multos menses detinentes, quosdam etiam plane e medio tollentes.

§. II.

Ambigunt quidem adhuc medici, nostri æque ac prisca ævi, an intermittentes dentur malignæ febres? Re tam paullo accuratius considerata, non dubitamus affirmare, intermittentes alio tempore esse benigniores, alio utique maligniores, non secus ac alii morbi ac febres epidemice grassantes. Nam prout variæ temporum & tempestatum sunt constitutiones, magis, vel minus regulares, boni & mali moris progigni & grassari morbos, jam olim noster prodidit Hippocrates. Experientia quoque stabilit atque confirmat, dari certis temporibus intermittentes, quæ indolem malignam, seu virulentam, referunt, cujus indicia & quasi characteres hi sunt: si insolitis symptomatibus stipatæ & maxime omnium virium junctam habent prostrationem eminentiorem, si epidemice grassantur, & contagio etiam inficiunt disposita corpora, sique earum ferocia exanthematibus in summa cute erumpentibus, pustulis, ulcusculis in labiis, naribus, facie, purpura, vel maculis purpureis, vel etiam scabie mitescit. Hæc enim omnia exiguae molis, sed valde vehementis & virulentæ indolis materiam tenuissimam, ventriculo & nervosis maxime partibus inimicam atque infestam, in qua potissimum veneni ratio & natura fundata est, subesse, & subitas & eas commotiones atque alterationes concitare, luculenter arguunt.

§. III.

*Maxime
intermittentes
malignæ
anormales
fe.*

§. III.

Sympt.
mata
epi-
demica-
rum &
historia.

Sic febres, quæ superioribus annis nostris locis, immo universæ fere Germaniæ, fuerunt infestæ, anomalæ valde exstiterunt. In quibusdam semel uno die, in aliis bis, accessio facta. In nonnullis primis diebus comparuerunt continuæ, & tertio vel quarto die in intermittentes concesserunt; in aliis vicissim primis temporibus intermissionem habuerunt, postea vero, pessimo omine, factæ sunt continuæ. Aliqui enormes experti sunt per superiora, vel inferiora pituitosas & biliosas dejectiones, quidam remittente, vel intermittente paroxysmo, continuo sudarunt, cum ingenti languore. Nonnulli etiam se ipsa in febre, & calere, & algere simul, conquesti sunt. Juniores in paroxysmo interdum valde delirarunt & simulacra clauserunt oculos, insomniis agitati, maleque coherentes sunt loquuti. Senibus cum somnolentia accidit febris. Omnes vero de anxio & compressorio dolore circa ventriculi regionem, de dolore lumborum, pedum contusivo, capitis etiam, sunt conquesti, & in intermissionis tempore, de dolore ex nucha pertotum spinæ tractum ad scapulas porrecto. Prodeuntibus demum in facie pustulis, aut in ambitu exanthematibus purpureis, symptomata complacabantur. Et si purpura jungebatur scorbutica, diutius durabat febris; si vero superveniebat alba, funestum erat ut plurimum.

§. IV.

Contagio
infectum.

Observatum fuit & id maxime Magdeburgi & in Ducatu Brunsvicensi, complures in una domo, non secus ac in variolis, vel morbillis fieri solet, successive eodem morbo fuisse affectos, & præsertim post sanguinis missionem, fortem purgationem, foeminas maxime instante mensium fluxu, multi si animi affectu immoderato commoti fuerunt, timore pessimum & tristitia.

§. V.

Quomodo
ter-
minata.

Licet vero, pro diversa natura æ-

grotantium, ratione ætatis, temperamenti, naturæ magis, vel minus robustæ, mitiora; vel sæviora fuerint symptomata, & nonnulli intra quatuordecim dies, alii intra mensem demum convalescerunt, perpauci tamen mortui, nisi ingenti errore medici, aut ægrotantis admissio.

Præservatio & Cursus.

§. I.

Frequentes quam maxime fuerunt hæc malignitatis suspectæ febres in locis paludosis, humidis & aquarum stagnis irriguis; uti nostris in confinibus sunt pagi Orlau & Dieskau. Frequentius etiam infestantur eos, qui post ætatem intensius fervidam, improba victus ratione usi, vesperi, aut noctu, aere humido frigido, corpus refrigerarunt, & præterea imbecillioris fuerunt naturæ. Optimum hinc ad declinandum epidemicæ hujus febris incursum fuit consilium, vitare loca humilia, uda, multo minus in iis dormire, aeris injuriis sese non exponere, refrigerium omne, etiam per frigidum potum, fugere, ventriculum nec crudis, nec constipantibus cibis onerare, animum tranquillum servare, omniaque cum cura tenere, quæ acrimoniæ contemperandæ, sordibusque tam per poros, quam alvum leniter educendis, serviunt, ac laudabiles succos ingenerant. Neque tamen forti utendum purgatione, quæ ab ambitu corporis succos trahendo, perspirationem minuit, adeoque noxia est, tanto magis quando diarrhœa forsitan & dysenteria jam circumeunt.

§. II.

Quum vero harum febrium malignæ causæ, partim in insigni dyscrasia & intemperie sanguinis & humorum a naturali & blanda temperie deficiente, salino-sulphurea, partim etiam in humore vitiosa & virulentæ activæ indolis, in prima regione potissimum hospitante, universum nervosarum & musculosarum partium

indica-
tiones
meden-
di tres.

systema commovente, consistat, eo utique prudenti consilio medicus curam dirigere debet, ut I. magis alterantibus & perversam sanguinis & humorum qualitatem emendantibus, quam fortioribus evacuantibus utatur; II. ut placide & blandis evacuantibus tam per cutem, quam alvum, præparatam materiam debito tempore excludat, ac III. ut congruis analepticis imbecillitati succurrat, atque demum symptomata mitiget.

§. III.

Profuerunt diaphoretica fixa & analeptica.

In principio itaque, antequam medicus dignoscere poterat genus morbi, pulveres diaphoretici, cum leviter nitrosis exhibiti fuerunt, in aquis diaphoreticis & analepticis huc in modum: recipe aquæ galegæ, cardui benedicti, acaciæ, cerasorum nigrorum ana uncias tres, cinnamomi f. v. unciam, spiritus nitri dulcis, vel liquoris anodynii mineralis guttas 20. syrupi acetositis citri, vel papaveris rhæados q. s. Hæc tam intra, quam extra paroxysmum oblata, & potui datum decoctum avenaceum, cum succo & corticibus citri, vel etiam cum amygdalis in emulsionem redactum.

§. IV.

Blanda laxantia.

Ad alvum solvendam profuerunt oppido clysteres tantum domestici, ex decocto avenaceo, nostris *Habergrütze*, floribus chamomillæ vulgaris, oleo amygdalarum dulcium, & sale communi parati. Interius vero ad laxandam alvum, potiones ex uncis duabus vel una mannæ, cum drachma una cremoris tartari, in aqua florum acaciæ solutis & additis duabus guttulis olei de cedro, perquam utiles fuerunt. Quibusdam etiam infusum rhabarbari cum passulis magis conducibile deprehensum.

§. V.

Quandoque sudorem movenda.

Ubi natura torpida ad movendum insultu declinante sudorem, essentia fecondi probe saturata, non tamen adeo spirituosam, cum anatica portione liquoris anodynii & aliquot guttis spiritus bezoardici Bussii data, injungen-

do simul, ut in moderato calore & lecto corpus servaretur.

§. VI.

Quibus remediis successive fracta fuit vehementia febris, sive potius virulenta ejus causæ indoles. Hoc factum, si sine gravioribus symptomatibus intermiserat febris, ad eam fungendam, alia, quæ e re erant accommodata & appropriata, cum debito regimine & iusta methodo, in usum vocata præsidia.

§. VII.

Fuerunt tamen, ubi mox in principio consultus medicus, qui expurgato per lenem vomitorium stomacho, & usurpato postea electuario ex cortice chinæ, cascarillæ, antimonio diaphoretico & nitro cum julepo rosarum & syrupo acetositis citri, facili & explicita curatione, evaserunt; subjunctis postea, quæ ad sanitatem firmandam videbantur necessaria.

Cautele & Observationes Clinice.

§. I.

In omnibus epidemice grassantibus febribus, in primis si insueta habeant symptomata, & metus cujusdam malignitatis sit, semper tutior medendi via, præsertim in principio, per bezoardica fixiora & analeptica temperata, abstinendo a sanguinis missione, emeticis, regimine etiam nimis calido, tam quoad lectum, quam quoad conclave, immo potum.

§. II.

In omnibus ejusmodi morbis præstat abstinere a cibis & potum tenuissimum assumere v. g. decoctum ex radice scorzonæ, & cornu cervi usto paratum, adjecto syrupo acetositis citri.

§. III.

Si vomitus & inquietudines cum extremorum frigore urgent, consultius est eas blanda diaphoresi, quam adstringentibus sedare, & utique commo-
modam hac in re præstat operam, li-

quor

Fracta fuit febris appropriata.

Quandoque statim in principio.

Bezoardica fixiora non valde vacuosa præstunt.

Cibus paucus, potus tenuis.

Vomitus & inquietudo quibus sedanda.

quor noster anodyntis mineralis, vel cum refracta dosi liquoris bezoardici *Bussii*, vel aliquot guttulis olei destillati macis veri, aut tantillo extracti croci nuptus. Tum etiam, ad spasmodum stomachi potissimum laxandum, utile decoctum avenaceum, cum oleo amygdalarum dulcium & croco, liberaliter potare, vel emulsione, ex aquis antispasmodicis cum seminibus quatuor frigidis & papaveris albi, uti.

§. IV.

*Diarrhea
que po-
scat.*

In principio si alvi fluxus fociatur, pulvis rhabarbari cum pulvere nitroso absorbente, vel etiam dosi pilularum balsamicarum, cum ejusmodi pulvere nitroso absorbente, aliquoties data, summæ sunt efficaciæ. Sique nimis ille urget, pulveri aliquot grana corticis chaccarillæ possunt admisceri.

§. V.

*Valide
vacuum-
tia no-
sent.*

In intermittentibus epidemice gastrantibus curandis id in genere notare licet: fortes purgationes, per superiora æque ac inferiora parum proficere, ut potius noceant, & gravior post eas impetatur paroxysmus: lenes autem evacuationes nunquam non proficiunt. Quo alvus enim adstrictior est, eo plus incrementum cardialgiæ flatulentæ & inquietudines. Monendum tamen, quod in paroxysmo difficulter, vel plane non, clysteres locum inveniant, eo quod tanta plerumque flatuum in intestinis resistentia, ut nihil admittatur.

§. VI.

*Calida
sunt
acria.*

Observatum etiam est, acriora & aromatica, essentias sudoriferas alexipharmacas & calidiora omnia, ex simplicibus intermittentibus, duplices, vel continuas etiam lethales plene, effecisse, præsertim in corporibus scorbuticis & ubi materia exanthematica purpuracea instar fermenti in humorum & sanguinis sinu delituit.

§. VII.

*Nec non
venæ se-
ctio.*

Sanguinis missio neque præsertim, neque curationi harum febrium accommodata. Sufflammat enim saluberrimam cuticularem excretionem,

forditiem succorum hinc auget, vires magis exhaurit & in continuas inde transisse intermittentes prius has febres, fuit animadversum.

§. VIII.

Si ~~purpura~~ complicatur hisce febribus, cum copioso & fetido sudore summo cavendum est studio a præcandido regimine & expellentibus. Equabilis potius calor temperies servanda, & temperata etiam medicamina optima, ne nimis incalescat & dissolvatur sanguis, nec materia expellenda intus maneat, aut retrocedat prorsus. Hinc enim febris tantisper quiescens resuscitatur, vel minimum mitior, insigniter exacerbatur. Idem observavimus, si materia erysipelacea, cum magno pruritu juncta, quod interdum senibus accidit, ad habitum corporis præfertim pedes propulsa, ad interiora recessit.

§. IX.

Mitigata symptomatum atrocitas, in epidemica hac febre, sique ex ea antea continua facta typica intermittens, superatis aliquot hujus paroxysmis, die intermissionis leni laxante, vel emetico prima corporis regio expurganda, & postea in ulum vocandus hic pulvis: recipe corticis chaccarillæ, chinæ, nitri purificati, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, ana drachmam unam, de quo drachma dimidia, ter, vel quater quotidie, vel in aqua diaphnoica, uti cardui benedicti, galegæ, sonchi, scorzonæræ, vel etiam in electuario cum syrupo redacta, extra paroxysmum usurpanda. Quo non modo materia febrilis virulenta primis in viis optime corrigitur, sed & roborando systalticam canalium virtutem, placide per diaphoresin educitur.

§. X.

Ceterum epidemica hæc febres non una omnibus annis incedunt facie, sed varium pro diversitate prægressæ tempestatum constitutionis exhibent generum. Hinc Medicus ad medicationem attento semper accedat cum ju-

dicio

dicio necesse est. Quæ vero ego diversis annis observavi, & utilia deprehendi, passim in scriptis meis tradidi. In primis autem circa hoc argumentum evolvi poterit *dissertatio, observationes practicas circa febres intermittentes anno 1699. grassantes, siltens, item observationes baremotrico-meteorologicæ Sect. ult. de constitutione epidemica anni 1700. nec non Medicina consultatoria Tom. II. Dec. II. cap. 7. pag. 90. seqq. Tom. III. Dec. I. cas. VI. pag. 34. seqq. Tom. IV. Dec. III. cas. IV. pag. 167. seqq. & Tom. VI. Dec. V. cas. X. pag. 355. seqq.*

CAPUT V.

De Febre Semitertiana.

Theses Pathologicæ.

§. I.

*Semitertiana cō-
postea fe-
bris.* Inter epidemicas, quas jam exposuimus, intermittentes mali moris febres, haud raro occurrit, quæ ex tertiana intermittente & quotidiana continua confit, eamque ob causam Græco nomine *ἡμικτήριος*, & Latino, semitertiana vocatur.

§. II.

*Quomodo
incedat.* Accedit hæc plerumque ante meridiem, cum frigore & horrore gravi pulsque contracto. Succedit postea cum pulsum frequentia calor aliquot horarum, sudore erumpente tepescens, non tamen penitus intermittens. Intenditur potius, post refrigerationem lenem, circa noctem ætus, cum pulsum celeritate, & postero die lenior persistit, sine siti, donec vesperi, præcedente leviori horripilatione, denuo ingravescit. Tertio autem die horror iterum impetit, cum intensiore calore, eademque, ac primo die, ratione decurrit. Ut sic semper quidem adsit febris gliscens, vesperi ipsius exacerbatio, & tertio die mane hæc cum rigore maxime conspicua. Vires præterea sunt dejectæ, appetitus languet, somnus deficit, urinæ minguntur te-

nues crudæ, post tertianæ vero paroxysmum crassæ & tinctæ, exspuantur cum tussi pauca cruda, & dorsî, nec non abdominis dolor haud raro jungitur, cum hujus intumescencia. Plurimi accedente tertianæ paroxysmo nausea premuntur & cardialgia, quidam vomunt plane, nonnulli animi defectionem patiuntur, alii delirant prorsus.

§. III.

Ignota fere nostris hæc est febris & plerumq; intermittentem malignam esse putant. Sed multum ab hac utique discrepat, quum neque contagiosa sit, neque exanthematibus stipetur, neque etiam tam enormi virium prostratione, & præterea peculiarem tertio quovis die cum horrore habeat conspicuam exacerbationem.

§. IV.

Alii eam cum tertiana continua *Tertiana
continua.* permutant, perperam pariter: hæc enim secus ac semitertiana, tertio tantum die, non vero vesperi simul ingravescit, neque tota continua est, sed licet primum continuo calore impetatur, tertio tamen ut plurimum die vehementiam ponit, ac in tertianam intermittentem transit.

§. V.

Neque etiam cum tertiana duplici *Et ter-
tiana du-
plici.* confundenda est semitertiana: licet enim illa quovis etiam die accedat, insultus tamen alternatim sibi responderet, & febris ipsa perfecte intermittit. In hac autem nulla plane intermittio, sed tantum remissio, vespertino quotidie paroxysmus & tertio semper die duplex.

§. VI.

Composita igitur ex duplici febre *Continua
causa ex
mesente-
rio.* est hemitritæ febris, ideoque duplex omnino erit ipsius focus, causa duplex. Nimirum continuæ nidus in mesenterio, ex intercepto per ipsius compagem transitu sanguinis, ejusdemque hinc in contiguas tunicis nervosis oborta inflammatoria stasis. Ille autem alternis diebus accedens paroxysmus gravior, non secus ac ipsa tertiana,

tiana, sedem ac causam habet in intestinis, maximeque duodeno. In cuius flexuoso cavo, ex glandulis, hepate & pancreate, lymphatici & biliosi, ob mesenterii vitium pariter vitiosi humores, nec non ex stomacho crudi succi, confluentes, mineram conficiunt morbosam, quæ sanguini immixta & ad nervosas spinæ membranas delata, motum inducit præternaturalem febrilem.

§. VII.

Quibus ex causis accidat. Inter ea vero, quæ februi huic ingnenda apta, connumeranda omnia, quæ succos spissos & impuros reddunt, primamque potissimum regionem atque mesenterii vasa sordibus opplent. Eveniunt hinc quam maxime iis, qui salubris vitæ rationis incuriosi, cibos dulces, acidos & fermentescibiles, farinaceos cum butiro, saccharo & ovis frixos, ingerunt, vitam otiosam colunt & nimis sedentariam, parcius iusto bibere solent, vel vina dulcia nimis amant, & animi affectibus, præsertim tristitiæ, indulgent. Ex facili etiam eas incurrunt, qui brevi ex morbo convalescent, alvum habent strictam, qui crebrius utuntur purgantibus drasticeis, quibus etiam hæmorrhoides, vel menses suppressi. Autumno, qui ferax febrium perniciosarum, propter varietatem & inæqualitatem perspirationi saluberrime valde inimicam, præterea frequentior, quam aliis anni temporibus. Et haud raro accidit iis, qui corpori æstuanti frigidum ingerunt potum, aut sudantes in locum frigidum humidum concedunt.

§. VIII.

Quibusdam regionibus familiarior. In quibusdam quoque regionibus frequens magis esse observatur. De Italia testantur hoc cum Galeno, Spigelius atque Baglivus. Et certe regnans ibi interdum ætus acris recrementa gignit multa, frigidior noctu aura horum exclusionem impedit, & frigidus, quem amant, & vel injecta glacie incolæ parant, potus facit, ut subsistant in mesenterio, ubi minor

resistentia & languidior progressus, succi statim concipiant inflammatoriam & sic febris continua, intermittens vero a succis corruptis ex mesenterio ad intestina delapsis, gignatur. Idem evenit in Hungaria, ubi eadem cœli conditio & præterea usus vinorum dulcium spirituosorum liberalior, hanc febrem frequentissime accendit.

§. IX.

Quia igitur semitertiana hæc febris, præter communem intermittentium prima in regione causam, fundamentum habet inflammationem & indolem continuam, ut nec symptomatum adsit magna remissio, nec ad vires reparandas spatium, admodum anceps, & intermittente simplici longe est periculosior.

§. X.

Præcipitis etiam hanc ob causam *Brevi decurrit.* est decursus, & plerumque nono, aut decimotertio die finem attingit, vel in salutem, vel transitu in alium morbum facto, vel etiam in mortem.

§. XI.

Ubi longius extrahitur, aut in supurationem inflammatio, & morbus in hæticam potissimum, vel lentam febrem concedit, aut si firmior in mesenterio obstructio, in hydropem, aut, rarius tamen, oppleta nimium sordibus prima regione, in intermittentem simplicem quamdoque, quandoque duplicem.

§. XII.

Quando vero non modo declinante *Quomodo solvatur.* paroxysmo, sudor erumpit, sed & septimo critico die, aut post eum alvus turbatur, & fluxus oboritur vel biliosus ac pituitosus, vel etiam cruentus plane, bonum & morbi solutionem nunciat. Vel si etiam dolores in ventre acerbiores, certis plerumque horis ingravescentes, accidunt, iisdem discutitur morbus, aut subsequente postea diarrhœa saniosa & purulenta, aut sanguine copioso nigro secedente, solvitur.

§. XIII.

Contra ea, quando nihil horum *Mala si gna.* eve-

evenit, sed potius ardor circa præcordia, tensio & dolor in tota ventriculi regione, vomitus, singultus, inquietudo, jactatio & tremor manuum, animadvertuntur, malum præbent omen, & inflammationem latius ad ipsum quoque ventriculum serpsisse produnt.

§. XIV.

*Sphacelo
neat.*

Qui semitertiana decedunt, sub accessione gravioris paroxysmi, tertiana typum servantis, succumbunt, inflammatione late diffusa & in putredinem conversa. Quam etiam mortis causam *Spigelius* se semper invenisse testatur, *lib. de semitertiana. cap. XIV.* disertis verbis scribens: *quotiescumque mecum repeto, quæ in dissectionibus mortuorum a semitertiana observari, toties nil aliud potui agnoscere, quam putredines semper in vasis constituisse. Erant enim in dissectionibus cadaveribus inflammationes, ex sanguine bilioso & pituitoso factæ, circa jecoris cavam partem, in ventriculo, intestinis, tam crassis, quam tenuibus, mesenterio, omento, liene, & sæpius in una partium commemoratarum, aut pluribus, aliquando etiam in omnibus, quæ celeris mortis causæ erant, superveniente gangrena, vel sphacelo aliquo loco, etiamsi quandoque exigua esset, partium prædictarum.*

C U R A T I O.

§. I.

*indica-
tiones
curato-
rie binæ.*

Duplici potissimum fundamento semitertianis medendi methodus nititur. I. ut inflammatoria in mesenterii & intestinalibus tunicis hærens stasis, vitæ periculum intentans, promte vel discutiatur, vel, ne latius ferpat, impediatur. II. ut materia febris, quæ intermittit, corrigatur & placide evacuetur, servando simul motuum criticorum rationem.

§. II.

*inflam-
matio
quibus
discuti-
enda.*

Ad primum obtinendum egregie proficiunt pulveres diaphoretici, leniter nitrosi, parca, sed crebriori

manu dati. Formula esse poterit hæc: Recipe cerussæ, antimonii, matris perlarum, lapidum cancrorum ana drachmam, solutionis oculorum cancri, nitri depurati ana drachmam semis. M.F. pulvis, de quo tribus quibusvis horis quindecim grana propinari possunt cum decocto ex radicis scorzonæ uncii duabus, rasuræ cornu cervi uncia, passularum minorum tantundem, radicis cichorei uncia semis, in quatuor aquæ mensuris per horæ dimidium coctis. Idem præstant mixturæ resolventes & diaphoreticæ, ex aquis diaphnoicis & analepticis, liliorum convallium, galegæ, card. ben. scorzonæ, ceralorum nigrorum, cum aceto destillato, lapidum cancrorum, antimonio diaphoretico, mixtura simplici & syrupo cardui benedicti, ternis singulis horis, ad unum vel alterum cochlear exhibitæ.

§. III.

His contemperantur etiam & diluuntur primæ regionis sordes intermittente facientes, ad quas dein expurgandas omnium optima, soluta manna cum cremore tartari, nec non rhabarbari, cum passulis & salis polychrestii portione. Quippe quæ sine sanguinis commotione, sine stimulo nervosarum partium, sine virium dejectione, intestinorum canalem evacuant, & ad mesenterii quoque infarctum expediendum multum conferunt. Conducunt tamen etiam pilulæ balsamicæ, ex amaris extractis, gummatibus resinosis balsamicis & aloë rite depurata, cum pulvere præcipitante nitroso, moderate, sed frequentius usurpatæ. Si etiam subtiliores sordes per cutis poros aucta perspiratione evehendæ, essentia scordii, cum equali liquoris anodynii mineralis parte, nupta, tutissima pariter & efficacissima.

*Alvus &
sudor
quomo-
do mo-
vendus.*

Observationes & Cautelæ
Clinicæ.

§. I.

Omnis medicatio ita instituenda, ne

*Medica-
tio caute
institu-
enda.*

ne unquam motui critico salutari ob-
sit, sed eundem potius deficientem
juvet & excedentem moderetur.

§. II.

*Purgan-
tia no-
cent.* Hinc purgantia propinare, tanto
magis in principio, admodum pernicio-
sum. Exagitur enim inde mate-
ria nondum præparata, inflammatio
augetur, & morbus ad funestum citum
eventum disponitur.

§. III.

*Etiā
salina
deterfi-
na.* Ipsa salina deterfiva, per se data,
in hac febre locum non inveniunt,
præsertim in majori dosi, excepto ni-
tro antimoniato, cui recte multum
detulit *Baglivus*, cum sale poly-
chresto. Habent enim vim aperiti-
vam, diureticam, leniterque laxan-
tem, & commodissime ad grana vs.
in sufficiente quantitate decocti in-
terdum dantur.

§. IV.

*Alvus
clysteri-
bus pri-
mum a-
perienda.* Si tamen febris hæc invadit alvo
clausa, vel etiam sub ipsa hæc stringi-
tur diutius, clystere tantum, ex pa-
regoricis & emollientibus, femini-
busque carminativis cum sapone Ve-
neto, ducenda: quo a copia excre-
mentorum liberentur primæ viæ. Hoc
enim si negligitur, per superiora na-
tura viam affectat & vomitum movet,
præsertim ubi bile acris biliosi in
hepate ductus turgent.

§. V.

*Declina-
te febre
laxanti-
bus.* Declinante autem jam febre, natu-
ræ ductui, quæ sæpe eandem alvi flu-
xu solvit, insistendum, & superius
dicta laxantia & pilulæ balsamicæ
commodissime usurpantur.

§. VI.

*Emetica
caute
danda.* In emeticis propinandis maxime
cautus sit Medicus, ne vomitum &
singultum proritet, vel stomachum ad
inflammationem disponat. Si vero
materia per superiora os exturbanda,
ipsaque natura eo tendat, potus aquæ
tepidæ cum sale, aut levissimo stimulo
antimoniato, satisfacit.

§. VII.

*Vena se-
ñtioni ra-
re locut.* Sanguinis missio non facile locum
habet in hac febre, nisi eminens ple-

thora, urgens æstus, in corpore agili
adhuc & criticarum hemorrhagiarum
suppressionem affecto. Tum utique per-
necessaria ad lethalem inflammatio-
nem intestinorum præcavendam. Sed
in principio statim administranda, &
quo citius subtrahitur sanguis, eo ex-
peditius succedit sanatio.

§. VIII.

Vitanda dein omnia calida, essen-
tiæ alexipharmacæ & tincturæ bezo-
ardicæ, ipsum quoque regimen æstuo-
sum & potus copiosus calidus. Æstus
enim inde magis accenditur, criticus
mineræ morbi per intestina effluxus
turbatur, & vires inter largos sudores
dissipantur.

*Vitanda
calida &
æstus.*

§. IX.

Pulveres quoque adstringentes, ni-
mium fixi, terrei, testacei omittan-
tur his in febribus, nec non cortex
chinæ. Observavit enim jam *Bagli-
vus prax. pag. 51.* isdem vel inflam-
mationes lethales, vel lentas & hec-
ticas febres fuisse inductas.

*Adstrop-
gentia
& chinæ.*

§. X.

Si etiam dolor in abdomine exqui-
situs urgeat, vel crebriores quoque
dejectiones adsint, abstinendum ta-
men a sedantibus. Exterius tantum
succurrendum linimentis spirituosis
roborantibus, abdomini illitis, &
interius diaphoreticis tumultus com-
ponendus.

*Tormi-
nibus &
diar-
rhæa
quemodo
succur-
rendum.*

§. XI.

Potui ordinario egregie servit deco-
ctum sub curatione commendatum,
nec non decoctum avenæ sic paran-
dum: recipe avenæ mundæ lotæ li-
bram, radicis cichorei, farsaparillæ,
scorzonæ ana unciam, florum pa-
paveris rhæados pugillos sex, nitri
antimoniaci uncia semis, adde so-
liorum scabiosæ manipulum dimi-
dium, nitri puri drachmas duas, co-
que in quinque mensuris aquæ com-
munis ad consumptionem tertie par-
tis, dulcificetur syrupo cardui benedi-
cti, vel papaveris erratici, vel etiam
acetositis citri.

*Potus
que ser-
vians.*

§. XII.

§. XII.

Chamo-
mille &
millefo-
lium
profunt. Admodum præterea proficuum hac in febre deprehendi decoctum florum chamomillæ & summitatum millefolii, vel etiam confecta ex ipsis extracta. Spasmos enim, inprimis hystericos, sæpe complicatos tuto leniunt, simulque propter amaritatem, singularem tonicam antifebrilem possident virtutem.

§. XIII.

Recidi-
va quo-
modo ar-
cedenda. Quum vero vix ulla febris æque facile redeat ac semitertiana, post eam in diæta & vitæ regimine cum cura vitanda utique omnia, quæ superius in causarum procatacticarum numerum retulimus. Temperata tenenda omnia, alvi beneficium clementioribus servandum, creditatum proventus stomachicis præseindendus, & quod maximum, perspirationis successus omni modo custodiendus. Recidivæ enim, uti omnium febrium, sic etiam hemetritæ, longe deterioris, magisque refractariæ sunt indolis, ac primus morbus.

§. XIV.

Sic etiã
in conti-
nuis in-
termitt-
entibus. Hæc sunt generalia naturæ ductui & ratione innixa medendi præcepta, quibus observatis, curatio recte adornanda, & ex voto etiam perficienda. Individualem autem & specialissimam methodum, medici suggerat iudicium, quo pro diversitate circumstantiarum, ex morbi historia agnoscendarum, ordinem, dosin, tempus & usum remediorum, perite disponat ac dirigat. Quumque eadem omnino sint, quæ in medicatione intermittentium continuarum, quotidianæ, tertianæ & quartanæ, præcipi solent ac possunt, eadem in his etiam tenenda serio inculco, & de iis peculiarem tractationem instituere supervacaneum duco.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Semitertiana curata. Virgo nobilis viginti annorum, te-

nerior, vitæ sedentariæ & deliciis in victu impensius addicta, acetaria, fructus horæos, dulcia & lacticia crebrius assumens, autumno incipiente, quum jam per aliquot hebdomades albo laborasset fluore, corpusque motu exæstuat frigidiori nocturno aeri exposuisset, primum experta est languorem universi corporis, dorsif & capitis dolorem. Mane postea successit horror cum anxietate magna, nausea, vomendique & desidendi stimulo, quem excepit æstus, pulsu celeri, exiguo, & cuti arida stipatus. Mitescebat tamen cute demum madefcente, sed vesperi iterum, post levem frigoris sensum, ingravescebat. Die post meliuscule habebat, & urina secedebat cruda, tenuis, febriculam autem nihilo secius adesse, calor, quem persentiebat, internus & os siccum aridum prodebant. Post meridiem etiam increbescebat febris & altero die mane cum horrore novus accedebat insultus, eodem modo, ut primus, incedens atque decurrens. Alternatim hæc ad diem usque septimum persistebant, quo in abdomine oriebantur murmura, inflatio ventris & hypochondriorum tensio, & sequebantur plus quam decem defectiones mucidæ & morsicantes. Fluebat sic alvus ultra decimum quartum diem, ægra, inprimis noctu, mirum languebat, exteriora magis frigebant & algebant, interiora vero calebant, accedebatque tussis ægram violenter exercens, cum somni & appetitus defectu. Medicus, quod a principio fecerat, insistebat absorbentium, refrigerantium nitroforum usu perpetuo; nolebant autem pathemata cedere, sed potius cum ventriculi inflatione cardialgica augebantur. Postulato igitur meo consilio, dedi mixturam hanc diaphoreticam: recipe aquæ liliorum convallium, scorzonæ, cerasorum nigrorum ana unciam unam semis, theriacalis cum vino unciam, lapidum cancrorum, antimonii dia-

pho-

phoretici, diascordii Fracaſtorii ana-
drachmam ſemis, mixtura ſimplicis
guttas 30. ſyrupi cardui benedicti, quā-
tum ſatis. M. Qua bihorio quovis ad
tria cochlearia data, dejectiones pau-
ciores factæ, & cutis calido madore
perfuſa. Inſuſum etiam theiforme ex
veronica, ſcabioſa, floribus chama-
millæ vulgaris & ſemine aniſi potum,
& loco ordinarii potus, decoctum
cornu cervi & hordei citratum. Cum
quo ſubinde aſſumptus pulvis, ex ſolo
antimonio diaphoretico & lapidibus
cancrorum, addita ſolutione oculo-
rum cancri & pauſillo nitri. His intra
binas hebdomades ſymptomata, tuſ-
ſis, alvi crebrior dejectio, virium la-
bes, aſſidua vigilia & internus æſtus,
ſublata. Quomodo vero metus eſſet febris
lenta, ob glſcentem diutius inter-
num calorem, præſertim poſt pa-
ſtum, ad præſcindendam hanc datæ
pilulæ noſtræ baſſamicæ, cum pulve-
re ſalino aperiente & elixirium no-
ſtrum ſtomachale, ſelici pariter cum
ſucceſſu.

Epiſiſis.

Febris hæc exacte ſervavit ſemiter-
tiana typum, & ſeptimo etiam die ſa-
lutarem habuit excretionem per al-
vum. Interim tamen ſemper etiam
in hac febre ratio habenda cuticularis
excretionis. Perperam igitur a primo
medico crebriori refrigerantium & ni-
troſorum uſu perſpiratio fuit impedita,
motuſque humorum ad inteſtina con-
verſus, ex quo omnia pathemata.
Mixtura autem leniter ſudorifera ad
ſuperficiem corporis ſuccos egit, hinc-
que egregie profecit.

OBSERVATIO II.

*Semiter-
tiana cū
purpura
ſanata.* Generoſa ſœmina quadragenaria,
tenera, mobilis valde atque ſenſibilis,
purpuræ præterea autumnæ ab aliquot
annis obnoxia, poſt corporis refrige-
rationem & animi commotionem, ſu-
periori anno, veſperi horripilatione,
capitis & doſi dolore corripiebatur,
ſuccedente æſtu ſedecim fere hora-

rum. Vix inde ſeptem aut octo ela-
pſæ erant horæ, quomodo gravis impete-
ret horror cum præcordiorum anxie-
tate, vomendi conatu & virium pro-
ſtratione, qui paroxyſmus cum ſub-
ſequentæ æſtu ad viginti fere horas
producebatur. Superato hoc, melius
quidem habebat, dormiebat etiam,
ſed exactis vix ſex horis, denuo extre-
morum eveniebat refrigeratio, cum
anxio æſtu magnaue debilitate, vehe-
mentia tamen ſymptomatum non
tam gravi, nec vomendi conatu. Vo-
cabar in conſilium, ſemitertianam
agnoscebam, ſed ob notam mihi æ-
græ diſpoſitionem purpuræ, hanc ſi-
mul ſubſeſſe ſtatim conſiciebam, in pri-
mis quomodo inſignis præſto eſſet pecto-
ris anguſtia & oppreſſio. Injeçtus igitur
primo clyſter, & poſt hunc ad ex-
pellendam purpuræ materiam, hanc
ante paroxyſmum & remittente eo,
ad aliquot cochlearia porrexi mixtu-
ram: recipe aquæ cardui benedicti,
galegæ, ſcorzonæ, ſorum ſambu-
ci ana uncias duas, aceti diſtillati un-
ciam, lapidum cancrorum, antimo-
nii diaphoretici ana ſcrupulos duos,
cinnabaris ſcrupulum unum, ſpiritus
nitri dulcis, mixtura ſimplicis ana
guttas 30. ſyrupi cardui benedicti dra-
chmas duas. M. Hinc quidem ſympto-
matum atrociam mitigata, febris ta-
men priſtinam adhuc, & veſperi, &
alterno die, ſervabat incurſionem, &
accedeſſe præterea abdominis dolor
cum alvi adſtrictione ſummaque an-
xietate. Indicio hoc mihi fuit viſcidas
& bilioſas multas ſordes primis hoſpi-
tari in viis, eoque inductus, ſuaſi,
ut remittente paroxyſmo, decem ex
pilulis noſtris baſſamicis, cum doſi
pulveris abſorbentis nitroſi ſumeret,
& præterea elixirio noſtro viſcerali in
decocto pro potu crebrius uteretur.
Sequuta inde placida alvi ſolutio, &
continuatis iſdem remediis per ali-
quot dies, foetidiffimæ ſeceſſerunt
feces pariterque copioſæ. Hoc fa-
cto, mixtura ſuperius dicta iterum u-
ſurpata, nec non pulveres bezoardi-
ci,

ci, cum paulillo pulveris corticis chaccarillæ. Sic demum molestus in universo corpore obortus pruritus, purpura effloruit, urina sedimentum posuit, ac intra tredecim dies febris discessit, & postea vires etiam recuperatae.

Epicrisis.

In omnibus fere morbis epidemicis complicata subesse solet ejusmodi materia exanthematica, qua ad habitum corporis, sub macularum, vel aliarum efflorescentiarum forma propulsa, febris, quæ præsto est, insigniter mitigatur; non fallaci testimonio, eandem ante ab acri subtili humore ortam fuisse. In hac vero historia commemorabile, quod materia scorbutica salino-acris in corpore delitescens, non statim a mixtura sudorifera ad cutis extrema fuerit expulsa, sed tum demum, quum natura arte adjuncta a sordium sarcina primam liberasset regionem.

OBSERVATIO III.

Semitertiana dysenterica fuisse.

Quum anno 1727. autumnio initiantur, circumiret dysenteria, concessit in villam suam vir quinquagenarius, robustus, plethoricus, cibis duris ac salis cum vini potu assuetus. Eo delatus, plurimos ex villicis maligno hoc fluxu decumbere percepit. Hinc terrore percussus est haud levi. Bene tamen pransit & bibit, in horto etiam post prandium deambulavit, leviter tantum vestitus, licet aer regnaret frigidiusculus. Vesperis horrere coepit ac frigere, torminibusque ventris affligi cum æstu, qui per totam fere noctem perstitit. Mane post misit, qui medicum vocarent, interea vero novum expertus est frigoris accessum, cum nausea, anxietate & ventris tensione, subsequente calore. Medicus epidemicam luem subesse ratus, ad præscindendum ipsius fomitem, purgans dedit pharmacum. Quo vel quinquagesies deiecit cum acerbis torminibus æger, alvumque in latrina,

torrenti domum alluenti superstructa deponens, ad ventrem frigus incautus admisit. Accensa hinc magis febris, alternis semper diebus gravior, alvus perpetuo fluxit cruenta, demum cadaverosi foetoris, somnus periit, æger de ardore interno conqueri, corpus jactare & delirare coepit, donec sexto morbi die convulsus periret.

Epicrisis.

Est hæc febris dysenterica inflammatoria, semitertianæ typum habens, inducta a terrore, cruditatibus primarum viarum, refrigeratione & purgante, nec mirum, conspirantibus tam multis causis, brevi in funestum morbum fuisse adductum hominem sanum atque robustum. Hæc vero quam maxime proficua fuisset sanguinis missio, quam in dysenterico morbo mirifice commendat Sydenhamus, Botallus, Amatus Lusitanus, cum aliis. Et hac sola, adjunctis medicamentis diaphoreticis, leniter nitrosis, inflammationem discuti, sphacelum arceri, & firmum alias virum servari potuisse, ego quidem arbitror.

OBSERVATIO IV.

Quadragenarius vir, tenerioris & biliosæ constitutionis, multum delectatus dulcibus, & in prandio, loco vini, subinde sumens aquam sic dictam vitæ, jamque ante annum ictericus, incidit autumnio in semitertianam cum magna debilitate, occipitis dolore, siti, calore, ciborum nausea & crebrioribus ventris torminibus. Septimo die solvebatur alvus & per aliquot dies largiter fluebat, febrisque mitescbat. Nihilominus medicus ad sistendum fluxum exhibebat pulverem, cum terra catechu, quo constitit. Sed factus æger ictericus, flavescente per totum corpus colore diffuso alvus obstipata, excrementa alba, urina nigra & oleaginosa. Interim sub icteritia hac priora symptomata cessarunt omnia: rediitque appetitus cum viribus. Icterus etiam discussus pul-

Semitertiana icterica fuisse.

pulvere rhabbari cum ſpeciebus diacurcumæ & liquore aperitivo, ex ſale tartari, terra foliata tartari & arcano duplicato, compoſito. Sicque æger penitus convaluit.

Epicriſis.

Orta procul dubio hæc febris a copioſis ſordibus bilioſis ſtagnantibus, & poſtea ad inteſtina delatis, quarum affluxu cum pulvere adſtringente ad interiora reſreſſo, iſteritia ſupervenit. Adſtruitur hinc veritas effati Hippocratis & Celſi: iſteritiam febri ſuccedentem, eam ſæpe tollere.

C A P U T VI.

De Febre Catarrhali Benigna.

Theſes Pathologiæ.

§. I.

Febris
catarr-
halis
quid ſit?

EX febribus lymphaticis & ſeroſis eſt excutienda nunc catarrhalis, in qua motu ſolidorum & fluidorum adaucto, ſerum, ob perſpirationem interceptam, ſuperfluum & impurum, per glanduloſa, faucium præſertim, narium & bronchiorum organa, critice quaſi & ſalutariter ejicitur.

§. II.

Ejus hæ-
ſtoria.

Incipit hæc, veſperi ut plurimum, cum cutis inhorreſcentia, extremorum, inprimis pedum & plantarum refrigeratione, alvi ſiccitate, ſtimulo ad mejendum, ſed parco miſctu, capitis debilitate, languore univerſi corporis & appetitu adaucto, quaſi ſpurio, nec non ſiti, difficili deglutitione, ſtimulo in larynge, narium & faucium calore, ſequitur ſternutatio, peſtoris gravitas, & calor circa noctem cum pulſu celeri auctiori, tuſſis violenta, cum coryza, ardore faucium, ſomno inquieto, mane ſudor, gravitas & torpor totius corporis appetitusque proſtratio.

§. III.

Cauſa
immedi-
ata &
ſedes.

Immediata horum pathematum cauſa eſt ſerum, ſeu lymphæ, acris

Tom. IV.

cauſtica, in tunicis glanduloſis ſubſiſtens, eaſdemque inflammans, cum dolore, tumore & rubore. Contingit hoc in tota narium, palati & faucium regione, tota etiam arteria aſpera, cum ramis bronchialibus, qui immo ipſo œſophago, ventriculo & inteſtiniſ. Haſ enim ſimul affectas eſſe partes, raucedo, tuſſis, ſcreatus materiæ viſcidæ, ſternutatio, peſtoris gravedo, item nauſea, quandoque in vomitum erumpens, ardor in præcordiis, tormina ventris, & ſubſequens ſalutaris alvi fluxus, teſtantur.

§. IV.

Hanc autem ſeri ſubſiſtentiam in-<sup>Frequens
cur vete-
& autu-
mno?</sup> ducit potiſſimum interceptus perſpirationis ſucceſſus. Hinc enim eſt, quod vere & autumnō, æquinoctii tempore, frequentiſſimus hujus febris incurſus. Tum quippe maxima tempeſtatum viciffitudo, ex calido in frigidum, ſiccō in humidum & vice verſa, tam varie corporis corticē afficit, ut ſuccedens ibi evacuatio graviter turbetur.

§. V.

Eandem ob cauſam catarrhi frequē-<sup>Sub aeris
mutatio-
ne</sup> tiſſime accidunt iis, qui ſubito aerem mutant, ex calido loco in frigidum, vel ex frigido in humidum concedunt; qui corpus autumnali, vel nocturno frigido humido aeri incautus committunt: qui veſtitum hybernū vere cito nimis deponunt, vel autumnō ſe-<sup>poſt vene-
ſectionē</sup> rius reſumunt; qui etiam æquinoctio ſanguinis miſſionem paſſi, vel aliâ criticam largam hæmorrhagiam experti improvide in aerem liberum frigidiuſculum ſe conferunt.

§. VI.

Neque alia ſub eſt ratio, quod cor-<sup>Phlegma-
tica &
viciis &
inſempe-
ritatibus</sup> pora ſpongioſa, laxa, phlegmatica & ſanguinea, infantes, pueri ac ſemina, longe frequentius febri catarrhali pateant, quam adulti, viri, ſtrictioriſ magisque bilioſæ conſtitutionis; quod etiam magis eadem afficiantur, qui vigiliis indulgent, crapulam ſectantur, vinoque aut vini ſpiritu corpus exaſſuantes, humidiori & frigidiiori aeri poſtea illud exponunt.

E

§. VII.

§. VII.

*Post repul-
sas in
cure ef-
floreſcit.
tias.* In iis quoque, qui post crustam la-
team & tineam capitis, nec non sca-
biem præposere siccitam, post incu-
riosius, aut mala medicatione exce-
ptam coryzam & tussim, febrem in-
currunt catarrhalem; nulla utique
alia potest suggeri causa, quam repul-
sum ex ambitu corporis ad interiora
serum acre & rodens, inflammationi
inducendæ aptum.

§. VIII.

*Ex acris
vitio epi-
decima.* Non tamen dubitandum, quin quan-
doque in aere hospitetur subtilis cas-
tica ejusmodi materia, quæ inspira-
tione hausta, locis, quæ pertransit, glan-
dulosi sese insinuat, eademque do-
lore, tumore & rubore afficit, & fe-
brem accendit catarrhalem. Prompta
certe ejusmodi acris materiæ genesis
vere ineunte, quo liqueſcente nive &
regelata glacie, solum aqua inundatur
effusa, quæ passim stagnans & putre-
ſcens, noxia in aerem mittit effluvia
multa. Quo etiam fit, ut febres hæ-
tum ut plurimum sint epidemicæ, &
plures uno tempore invadant.

§. IX.

*Quando-
que con-
tagiosa.* Quod autem catarrhi & catarrhales
febres contagiosæ etiam sint & alios
propinquos atque dispositos contagio
inficiant, eam utique fit ob causam,
quod lymphæ potissimum vitio debentur,
eodem modo ac notum est, omnes
qui contagio propagantur morbi,
lymphæ corruptionem, vappescen-
tiam, vel putredinem, habere cau-
sam.

§. X.

*Differt a
quotidie
acceden-
tibus a-
liis.* Sic incedit & generatur catarrhalis
febris benigna, & hæc qui novit,
ex facili eandem distinguere poterit
ab aliis quotidie accedentibus febrium
paroxysmis, lenta, hecticæ, quoti-
diana, tertiana duplici & quartana
triplici.

§. XI.

*A vene-
reis &
scorbuti-
cis fau-
cibus.* Facili etiam negotio discrimen per-
spiciet inter illas glandulosarum in
faucibus & naribus tunicarum affectio-
nes, quæ ex lue venerea & scorbuto,

& quæ ex catarrho eveniunt. In illis
enim sola erosio & ulceratio, a mate-
ria caustica lymphatico-serosa, sine
febre; in hac vero, præter arrosio-
nem, inflammatorii quid subest, ex
subtiliori sanguinis parte stasim concipiente, cum febre.

§. XII.

*Arthri-
matismo.* Obvia quoque erit differentia, in-
ter catarrhalem, & eam febrem, quæ
rheumatismo accedit. Quum in illa
tunicæ glandulosæ internæ afficiantur,
& excretio subsequatur; in hac autem
externæ musculorum tunicæ patian-
tur, & morbus evacuatione critica non
solvatur.

§. XIII.

*Acatar-
rhali
maligna.* Paulo difficilior autem benigna di-
scernitur a maligna, imprimis ab ini-
tio, ob plurima, quæ ambæ commu-
nia habent symptomata. In eo tamen
differentia, quod hæc, secus ac illa,
ingentem & subitam inferat virium
prostrationem, cum vigilia perpetua,
quam mentis turbatio sequitur, quod
contagiosa magis sit, & plerumque et-
iam petechias & maculas habeat jun-
ctas, uti pluribus infra dicitur.

§. XIV.

*Longior
et gra-
vior in
scorbu-
ticis.* Ceterum, quo major sanguinis &
seri impuri copia, eo graviora adsunt
pathemata, eoque diutius trahitur
morbus, uti potissimum obvium est
in scorbuticis, nec non ubi purpuræ
materia intus delitescit.

§. XV.

*In hypo-
chondri-
aciis.* In hypochondriacis, præter diutur-
nitatem, ob labefactatum ventriculi
& intestinorum tonum & proclivita-
tem ad spasticas stricturas & flatulen-
tias, gravia varia jungi solent pathemata,
anxietates præcordiorum im-
primis, spirandi angustia & inquietu-
do, cum inflativo & pressorio in hy-
pogastrio dolore.

§. XVI.

*In ple-
thoricis
et
intempe-
rantibus.* Qui sanguine abundant, intempe-
ranter vivunt, vina non adeo bonæ
notæ largius potant, & acidis salis ci-
bis delectantur, majorem circa vespere-
ram experiuntur ardorem & tussim
sic.

siccam ferinam, cum somno inquieto.

§. XVII.

Nec non
in men-
sum sup-
pressionem
laboran-
tibus.

Neque minus feminæ, quæ terro-
re, vel alia ex causa mensium sup-
pressionem laborant, magnas in hac fe-
bre experiuntur præcordiorum anxie-
tates, intercurrentibus lypothymiis,
universi corporis notabilem debilita-
tem, & alternantem frigoris & caloris
in cute sensum, quæ noctu potissimum
ingravescent.

§. XVIII.

Per se
periculi
expers.

Per se tamen hæc febris benigna
omnino est, & omni periculo, si dex-
tre in medicatione excipitur, vacat,
& intra septem, aut quatuordecim
dies, ut plurimum discedit, omni las-
situdine sublata. Quin aliæ etiam ca-
pitis passiones, cephalalgia inprimis
& hemicrania, succedente catarrho
& naribus bene fluentibus, optime
solvuntur.

§. XIX.

Excretio-
nis
solvitur.

Solvitur sæpe in principio statim
aucta perspiratione per sudorem. In
aliis post aliquot demum dies, vel
copioso sreatu materiæ viscidæ, vel li-
berali feri mucosi & naribus stillicidio.
In quibusdam etiam per crebras alvi
dejectiones, & in nonnullis, quando
urina tenuis antea & parca, larga
nunc manat & pondere gravis, ut mi-
nimum duplo majorem materiæ soli-
dæ quantitatem contineat, ac in na-
turali statu.

Præservatio & Curatio.

§. I.

Præser-
vatio
quomodo
institu-
nda.

Quod igitur ad arcendum catarrho-
rum insultum attinet, vitanda incul-
co omnia, quibus induci eosdem su-
pra dixi, & suadeo, ut vere & autu-
mno, tempestive sanguis mittatur,
modicus eibus sumatur, perspiratio
custodiatur, & corpus subinde motu
exerceatur. In iis autem, qui laxio-
ris humidioris naturæ ac ætate juve-
nes sunt, & ob id, norante jam
Hippocrate Sect. VI. aph. 2. frequen-
ter exercentur catarrhalibus deflu-

xionibus & rheumaticis affe&ibus,
ego multoties cum fructu usus sum hac
methodo, qua præcepi, ut per qua-
draginta dies decoctum ex radice chi-
næ, sarsaparillæ, cortice ligni sassa-
fras, cum passulis & paucis cinnomo-
mo, biberent, ac interea ex cibis ni-
hil fumerent præter carnem assatam,
cum amygdalis tostis & pane bis co-
cto, simul etiam aliquoties ad alvum
subducendam uterentur ptisana man-
nata, demum finita hac cura, elixit
stomachale, ad XXX. guttas, cum
aqua & vino, quotidie ante prandium
ulurparent.

§. II.

Medicatio dein catarrhalium fe-
brium, triplicem hunc sibi præfixum
habet scopum: I. ut acrimonia illa sa-
lina acris lymphæ obtundatur ac tem-
peretur; II. ut perspiratio turbata,
quæ primaria congestionis serosæ ad
interiora causa, promoveatur ac in
ordinem iterum redigatur; III. ut in
fine excretio muci viscidæ crassæ pro-
moveatur, ejusdemque ulterior ge-
neratio impediatur.

Indica-
tiones
curatio-
nis.

§. III.

Acredinem contemperant, præter
pulveres sic dictos bezoardicos abfor-
bentes, humectantia omnia & oleo-
sa, instar omnium oleum amygdala-
rum dulcium, dein sperma ceti, bu-
tyrum rubrum, lac, cremor lactis,
emulsionem ex amygdalis, vel pineis,
cum semine papaveris albi, decoctum
avenaceum, raparum, hordei, ju-
scula caponum, gallinarum, cum vi-
tello ovi. Ex dulcibus liquiritia, ejus
infusum, essentia & succus Hispanicus,
siccus quoque & passulæ. Si subtilis ni-
mis & rodens est acrimonia, leniora
anodyna locum habent, inter quæ
aliis palmam præripiunt papaveracea,
crocus, item pilulæ Wildegansii, dia-
codium Montani, pilulæ de ityrace,
quarum compositio & usus antiquissi-
mus pariter ac probatus est, uti patet
ex Tralliani lib. V. pag. 247.

Acrimo-
nia quo-
modo sa-
peranda.

§. IV.

Ad excretionem, præsertim omnium

Perspira-
tio quomodo
promove-
nda.

ſaluberrimam cuticularem, faciunt infuſa calida theiformia, ex herba veronica, hyſſopi, radice liquiritiæ, floribus ſambuci, papaveris rhœados & ſemine fœniculi. Proſicui etiam ſunt pulveres diaphoretici fixiores, imprimis cum aquis diapnoicis & antiſpaſmodicis ſumti. Nihil quoque ad purgationem ſeri per cuticulam utilius ipſa exercitatione & motione corporis, quæ ab *Hippocrate lib. de in ſomn.* §. 4. item de *viſitu acut.* §. 67. mirifice ad ſudorem eliciendum, mane poſt friktionem, commendatur.

§. V.

Mucus quibus educendus, faucibus. Educendæ demum, quæ reſtitat materiæ lentæ, ex faucium glanduloſo periſtromate, ſerviunt pectoralia, ficus & paſſulæ, cum ſpiritu vini accenſe, & in ſyrupum quaſi redacte, baſamum pectorale *Meibomii*, item elixir pectorale, ex gummi ammoniaco, myrrha, radice liquiritiæ, enulæ, croco, benzoe & oleo aniſi, cujus reſolvens virtus addita tinctura tartari, vel ſpiritu ſalis ammoniaci vinoſo, adhuc poteſt intendi. Ad fundendam autem ſtagnantem in narium cavitatibus pituitam, nihil præſtantius ſale volatili ſalis ammoniaci ſiccò, cum aliquot guttulis olei majoranæ puri, non foetidi, nec adulterati, eſſentificato, crebrius naribus admoto.

§. VI.

Methodus utriusque remedium. De applicatione horum remediſorum id in genere tenendum: quod matutino tempore expediat perſpirationem promovere potu infuſorum ex herbis calidorum, nec non juſculorum & uſu pulverum temperantium bezoardicorum; circa noctem vero anodyna & demulcentia dare. Specialis autem medendi methodus, partim in ſymptomatum mitigatione, partim etiam in oblatione medicamentorum, ratione doſeos & ordinis, conſiſtit, & ad individualem corporum diſpoſitionem eſt accommodanda, de qua potiora in ſubjungendis nunc monitis practiciſ trademus.

Cautele & Observationes Clinicae.

§. I.

Febris catarrhalis leniter tractanda & caute. Sicuti omnis febrilis æſtus, ita etiam catarrhalis, leniſſime & placide tractandus eſt, æger quoque in moderato calore lecti & hypocausti ſemper ſervandus. Exulenti igitur omnia com-moventia calidiora & validiora, una cum regimine æſtuoſo, eo quod materiam acrem magis exagitant, calorem adaugent, & æſtuoſam partibus diatheſin conciliant. Vitentur vero viciffim omnia refrigerantia, acida & quæcunque perſpirationem turbant. Opiata etiam & theriacalia caute in uſum vocentur, tanto magis ſi caput debile & grave, ſi ætas ſenilis & alvus adſtriſta.

§. II.

Cibus & potus ſis. Cibus ſit paucus, potus tepidus & ſalubris, optimus decoctum hordei excorticati cum raſura cornu cervi, paſſulis & radice liquiritiæ, item decoctum avenaceum. Vinum autem, nec non vini ſpiritus, propter acidum ſtimulans & ſpiritum, qui calorem accendit, nullius in hac febre utilitatis. In declinatione tamen morbi, ſi excretionem jam adſunt, vinum bonæ notæ conduxiſſe, paulo largius etiam ſumtum, obſervatum eſt, eo quod circulum ſanguinis promovet & æqualem ſervat perſpirationem.

§. III.

Nitrum quando proſit. Si æſtus eſt impenſior, uti in plethoricis atque cholericis, fervor etiam internarum partium percipitur, nitri aliquot grana pulveribus bezoardicis cum fructu admiſcentur & emulſiones liberalius uſurpantur.

§. IV.

Alvus quibus educenda ſub febre. Quando alvus dura nimis & ſtriſta, ſub morbo, præter juſcula avenacea, mannata, prunata & paſſulata, nihil convenientius clyſtere emolliente. Egregium tamen quoque uſum præſtant pilulæ aloephangi-næ, vel Beccherianæ, ad X. vel XII. grana,

cum

cum granis 4. pilularum de ſyrace, ante lecti introitum ſumtæ, eo quod & alvum aperiunt, & violentam ſiccā tuſſim moderantur.

§ V.

*Item de-
clinante
febre.*

Si etiam declinante febre tuſſis humida nimis, copioſa & pertinax, ad humorem pituiſum derivandum & per alvum evacuandum, egregie proficit decoctum mannæ largiori doſi, ad uncias duas vel tres, ex aqua veronica. Tu quoque proſunt pilulæ balſamicæ *Becheri*, nec non *Ruſi*, ex aloe, myrrha & crocco, æquali portione commixtis, paratæ.

§ VI.

*In prin-
cipio pur-
gantia
nocent.*

In principio vero febris catarrhalis alvum ſtimulantia non conferunt, præſertim paullo acriora, quia humores ſerofos acres ad inteſtina invitāt, tormina & alvi fluxus, non ſine periculo febris lentæ, concitant. Quia a mercurio dulci cum reſina jalappæ ſic dato, in virgine plethorica inflammationem ventriculi inductam fuiſſe, novi.

§ VII.

*Tuſſis ſe-
rina qui-
bus com-
ponenda*

Ubi tuſſis ſerina & vehemens, componenda eſt oleo amygdalarum dulcium recenti, cum ſyrupo capillari Monſpeliienſi commixto, item hoc electuario: Recipe olei amygdalarum dulcium drachmas tres, ſpermatis ceti drachmam, ſacchari candi albi, ſyrupi violarum ana unciam, croci ſcrupulum, olei aniſi, macis, ligni ſaſſafras, ana guttas ſex, M. De quo ſubinde aliquid deglutendum.

§ VIII.

*Quid a-
gendum
in menſi-
bus ſup-
preſſis.*

Quando in ſceminis menſium ſuppreſſione affectus ſuperius dicta pathemata ingruunt, alvus congruis clyſteribus ducenda, & diaphoretica propinanda, quæ ſanguinis motum ad ſuperficiem corporis urgent, tumque pulveribus bezoardicis cum fructu ad- jici poteſt, croci granum unum, vel aliquot grana ſorum ſulphuris, abſtinendum vero ab omnibus expecto- rantibus & dulcibus.

§ IX.

*Item hy-
pochon-
driacis*

Quæ hypochondriacis accidunt inſolita ex ventriculi potiſſimum infla- tione ſymptomata, clyſteribus emol- lientibus & carminativis, nec non eſſentiis carminativis, cum pectora- libus nuptis, quam optime diſcu- tiuntur.

§ X.

*Laxitas
pulmonū
quibus
ſubma-
vendæ.*

Quando ſuperata febre pulmonum reſtitat laxitas, ut juſto largior ſit ſecreatus, pulveribus bezoardicis ad- denda aliquot corticis chaccarillæ grana, vel baſſamum noſtrum ſic dictum vitæ, circa noctem ad aliquot guttas ſumendum.

§ XI.

*Vene ſe-
ctio præ-
ſervato-
ria, nova
curato-
ria.*

Sanguinis miſſio, debito tempore & regime inſtituta, in plethoricis quam optime frequentem catarrho- rum inſultum arcet. Sed præſente jam catarrhali febre, penitus ab ea abſtinendum. Tum enim, experien- tia teſte, diuturnitatem catarrhi adducit.

§ XII.

*Pectora-
lia dul-
cia no-
cent.*

In tuſſi violenta & nimis diu daran- te, pectoralia dulcia, incrāſſantia, in nimia quantitate oblata, ad cache- xiam, immo ad phthiſicum affectum, diſponunt, appetitum & digeſtionis vim infringendo, & pulmonum tonum valde labefactando.

§ XIII.

*Recidiva
quibus
arrenda.*

Quamvis juxta *Hippocratem lib. 6. epid. ſect. III.* his, qui ex capite, gra- vedine & raucedine laborant, ubi febre correpti fuerint, minus recidivæ ſiant, ſi videlicet morbus cum de- fluxione recte fuerit ſolutus; nihilo- minus tamen ne via ſternatur ad alium morbum, pariter ex *Hippo- cratis l. c.* conſilio, ſuadeo, ut convaleſcentes victus & ventriculi rationem habeant, & præterea ad perſpirationem ſervandam, potum infuſi theiformis mane adhuc ali- quandiu continuent, uti pluribus ſupra in præſervatoriis monitis di- ctum eſt.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Febris catarrhalis in hypochondriaco promaligna male habitata. Vir macilentus, natura sensibilior, a multis annis hypochondriaci spathe-
matibus obnoxius, præter consuetudinem in convivio stomachum non modo variis edulis, sed & liberali vini potu onerarat. Aliquot horis post, noctu, sub aere vernali humido frigidiusculo, iter fecit, ac domum reversus, correptus est horrore, languore totius corporis, magnæque capitis gravitate. Sequuta ingens præcordiorum anxietas, tussis molesta & præternaturalis æstus, cum alvo tensa & adstricta. Suasu uxoris bibit decoctum Succoladæ, quod excepit intensior anxietas, inquietudo, suffocatoria quasi spirandi angustia, nec non inflativus dolor lateris dextri in regione hypogastrii. Vocatus hinc medicus, qui febrem non modo malignam, sed & peripneumoniaci quid subesse iudicavit, & tincturam bezoardicam cum spiritu cornu cervi, nec non mixturam ex aqua cardui benedicti, diascordio Fracastorii, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico & syrupo papaveris rhœados, exhibuit. Sed frustra & perperam: quarto enim die, quum ob alvum nimis strictam, clyster injiceretur, evanuerunt, quæ metum gravis morbi incusserant, symptomata omnia, & tussis tantum, gravativus capitis dolor, rauco & æstus vesperti increbescens, remanserunt. Ab alio igitur medico commendatum infusum ex veronica, liquiritia & foeniculo, circa noctem dosis pulveris bezoardici cum grano uno extracti croci & papaveris rhœados, alterno die vesperti dosis pilularum nostrarum pectoralium, interdum aliquot granis nitri & succini cum emulsione, & ad expectorationem electuarium ex oleo amygdalarum, spermate ceti, croco & oleo anisi. His procuratus sciretus

& lenis sudor, & reliqua adhuc symptomata fere omnia discesserunt. Venter autem mansit imbecillis, & cibo sumto, gravativum & pressorium fecit dolorem. Tussis etiam noctu fuit acris cum materiæ copiosæ ejectione, quæ interdum etiam vomitum proritavit. Sed quum corpus equitatione exerceret æger, pilulis nostris balsamicis & inter cibos sale volatili oleoso uteretur, & loco tenuis acceffentis cerævisiæ, biberet saturationem & amaricantem, successi-
ve pristina valetudini ex toto fuit redditus.

Epicrisis.

Fuit hæc febris nonnisi catarrhalis benigna, tum etiam popularis. Sed quia incidebat in hypochondriacum corpus, comparuere insolita pathemata. Stomachus etiam cruditatibus jam plenus non potuit non ægre ferre decoctum succoladæ in corpus sumtum, quo tunica villosa & osculis ductuum in ipsa obstructis, inflatio inducta, cui angustia spirandi, præcordiorum anxietas, dolor finistri lateris tensivus & inquietudo tribuenda. Medicus autem male consuluit famæ, quod præceps nimis in iudicando fuit, & hæc sibi imponere passus est. Et quod demum diutius hæc febris persistit, id utique omnibus evenire solet hypochondriacis, in quibus ventriculi robori imminuto convenientibus succurrendum est præterea præfidiis.

OBSERVATIO II.

Quum anno 1709. post acerrimum hyemale diurnum frigus, Martio mense leniori ex austro spirante vento, nives & gelu solverentur, Aprili & Maio initante, Berolini, quo tum degebam, & alibi, quam plurimos corripiebat febris cum horripilatione & æstu, summo languore, tussi ferina, nonnullis quasi suffocatoria, ingenti siti & ciborum nausea. Circa noctem invalescebant hæc omnia, & somnus inde mirum turbabatur: in quibus-
dam

Febris catarrhales epidemica.

dam extrema mox calebant, mox horrebant. Quidam diu decumbabant, præsertim ii, ubi ob præviam humorum diathesin, purpuræ scorbuticæ materia intus delitescbat, quæ etiam per vices crebrius maculis rubris & asperis in extrema cute comparebat, ex levi vero causa iterum evanescebat. In nonnullis quarto statim die exanthemata rubra morficantia, urentia, cum magno pruritu, quasi ab urticis inducta, quæ dicunt *die Nesselsucht*, erumpabant & tussis æque ac caloris mitigationem inferebant. Alii, præsertim scemine phlegmaticæ sanguineæ provecioris ætatis, exquisitos simul rheumaticos dolores patiebantur. Qui vix convalescentes, in publicum prodibant cito nimis, incurrebant ingentem capitis torporem, gravativum dolorem, vertiginem, gravedinem, *den Stokschnupfen*, languorem corporis cum spirandi angustia & difficili negotio iterum ad sanitatem redibant. Ubi etiam vetus jam erat in pulmonibus vitium ex hæreditate, febre hac discedente, tussis purulenta cum sanguine succedebat, sæpe vera phthisis. Qui porro ab imperitis chirurgis & pharmacopœis purgantes accipiebant pilulas, doloribus acerbis ventris affligebantur, mirumque debilitabantur, animi defectiones patiebantur cum frigido extremorum sudore, & gravius, & longius, decumbentes. Qui vero & proba victus & regiminis ratione, & dextra medicatione morbo occurrebant, ac pulveribus inprimis bezoardicis sedulo utebantur, cum uno, vel dimidio grano extracti croci, brevi convalescebant iterum.

Epicrisis.

Epidemicæ haud raro sunt catarrhales febres, tum maxime, quando ex tempestatum constitutione insolita ejusdemque subita vicissitudine, ob mutationem venarum, inprimis quando rigidum boream mox lenior excipit aura zephyri, subnascuntur. Pejoris etiam tum sunt indolis, & ægrius persanantur, qui dyscrasia san-

guinis & humorum, ab aeris intemperie introducta, foventur. Valde dissimilia quoque, pro dispositione habitus corporis, viscerum, ætatis, temperamentorum, nec non victus ratione, inferunt symptomata, magis, vel minus benigna. In curatione autem omnia, quæ criticum naturæ motum, feri superflui per glandulosæ emunctoria excretioni dicatum, turbant, morbum graviter exasperant & sanationem impediunt, uti potissimum faciunt purgantia cum corporis refrigeratione. Contra ea optimum utique consilium, corpus in perpetua perspiratione servare, & usurpare ea, quæ acredinem mulcent, leniunt, atque contemperant, ex medicamentis æque ac alimentis, & quod maximum est, ab omni cerevisia & vino abstinere & decoctum temperans bibere, sine quo refractari catarrhi difficulter, vel plane non, cedunt.

OBSERVATIO III.

Macilentus, nervosus & animo mobilis vir, quadraginta annos habens, quum Baccho & Veneri strenue subinde litaret, lauto vivendi genere uteretur, nec unquam tamen sanguinis missionem admitteret, a longo jam tempore, vere & autumno, crebrius affligebatur catarrhalibus defluxionibus, quæ cum horrore, æstu, extremorum frigore, capitis dorsique dolore, lassitudine totius corporis & inquietudine ipsum invadebant, & accedentibus artuum, coxendicis & nuchæ doloribus, sæpius per aliquot hebdomades detinebant. A me igitur salubre consilium ad arcedendum tam frequentem catarrhorum incursum rogans, obtinuit hoc: ut I. aliquot ante æquinoctium hebdomadibus, venæ sectionem cum debito regimine institueret; II. ut bis anno lac cum minerali leniori aqua, Selterana inprimis, ad mensē potaret, loco cerevisiæ biberet prisanam, III. ut bis hebdomadē, pulverem bezoardi-

cum absorbentem, paullo ante quam cubitum irer, assumeret, & mane post in lecto infusum veronicæ, cum liquiritia & semine fœniculi, sorbillaret, lenem postea expectando sudorem. Quæ omnia, quum per aliquot annos fecisset, liber fere degit a molestis catarrhosis defluxionibus, & animadvertit, eosdem illico infestasse, simul ac sanguinis missionem tempestivam neglexisset.

Epicrisis.

Per immoderatum vini ac veneris usum, adeo utique infirmantur corpora, ut postea levi ex causa ægrotent, & potissimum incidente subita cœli mutatione, vere & autumnio admodum solenni, catarrhos, gravedinem, coryzam & tussim incurrant, cum febricula. Idem quoque macilentis & plethoricis, post corporis refrigerationem contingere, docet experientia. Venæ sectio autem omnium optime ab his molestiis defendit; si enim sanguine nimis plena sunt vasa, ob difficilem circuitum, non rite depuratur. Hinc ferum fit & copiosum, & impurum. Et impedita postea per cutis poros diffatione, ad interiora, maximeque glandulosa loca, falsus agitur humor, catarrhum cum febricula serosa faciens. Ego certe multiplici confirmatum habeo experientia, catarrhis crebrius obnoxios, ab eorum insultu matura sanguinis missione fuisse liberatos. Observavi quoque eos, qui venæ sectionem, certo tempore sueram, intermiserunt, affectos fuisse catarrhali febre.

OBSERVATIO IV.

Catarrhalis febris cum colica V. S. sana.
50.

Dux quidam militaris quinquagenario major, sanguine & succis plenus, ex Italia ad nostras oras accedens, ob insignem aeris, victus & vinorum mutationem, frequentissime affectus fuit acerbis colicis in abdomine doloribus. Bibit hinc, meo ex consilio, præmissa venæ sectione & purgatione alvi per infusum manna-

tum, aquam Sedlicensem, per aliquot hebdomades, quo factum, ut per totum autumnum ac hyemem liber a tormentis ageret. Iterandam igitur hanc curam, medio vere, suasi. Sed antequam id faceret, vino se largius implevit, & corpus deambulatione per aliquot horas sub frigido cœlo admodum frigesecit. Inde incidit in febrem, cum coryza, capitis dolore, horrore extremorum, præcordiorum anxietate, æstu, inquietudine, tussi valida, & febre fere continua. Post tres tamen dies remisit febris impetus, sed horror cum subsequente æstu versus noctem accessit adhuc, & quod commemorabile, declinante semper paroxysmo, venter flatibus distendebatur & cruciatus in ipso facti, calore vero oboriente mitigati. Interdum etiam in paroxysmo deliravit paululū, & facies fuit rubicunda. Mane autem febris semper remisit. Consultus ego quarto morbi die, expensis curate cunctis, ex pulsu pleno ac magno iudicavi, venam esse secandam. Factum id remittente paroxysmo in pede feliciter. Alvus dein aliquoties clystere carminativo & emolliente subducta, & postea curatio, pulveribus diaphoreticis, temperantibus, leniter nitrosis, cum emulsione ex decocto cornu cervi, amygdalis & semine papaveris albi, sub moderate calido regimine, intra tres hebdomades ex voto confecta, alvo tamen interea bis decocto mannato soluta.

Epicrisis.

Venæ sectio in catarrhosis affectibus non quidem directe indicatur; interim tamen, si corpus est plethoricum, si sanguis a calidis & præsertim immoderati vini usu incaluit, & febris catarrhalis subito invadens continua videtur, non nocet, sed prodest, elapsis etiam jam aliquot diebus. De hoc in casu commemorabile, quod abdominis dolores, jam per annum silentes, accedente hac febre, fuerint resuscitati, & quidem tempore remissionis, discussi vero per febris

calorem. Quod quidem nullam aliam ob cauſam factum fuiſſe arbitror, quam quod ſaluſ & acris humor ad inteſtina delatus eadem moleſte affecit, ſub aſtu vero ad habitum corporis propulſus. Multoties quoque me docuit experientia, pathemata hypochondriaca, colica & ſpaſmodica, in iis, qui diu iſdem affecti, catarrhis, tuſſi, coryza & catarrhali febre fuiſſe revocata. Et hypochondriacos, eo tempore, quo alii catarrhis vere & autumnſe laborant, vehementes tum quaſi paralyſmos mali ſui experiri.

OBSERVATIO V.

*Febris
catarrhaliſ
ex uſu
aui
fulmi-
nantis
ſuneſta.*

Ver erat, quum virgo nubilis, tenerior, ſenſibilis texturę & ſpongioſi habitus, horripilatione, cum calore præternaturali, languore univerſi corporis, nec non præcordiorum anxietate corriperetur. Intumeſcebant circa tertium diem colli glandulę, faucesque levi afficiebantur inflammatione, aderat ſimul tuſſis cum gravedine & raucedine. Vocabatur medicus, qui auri fulminantis, minus puri, grana ſex, cum dimidio ſcrupuli antiſmonii diaphoretici propinabat. Sumto hoc pulvere, ſæviſſima inſequebantur pathemata, animi deliquium, ſumma anxietas & inquietudo, extremorum refrigeratio & conatus ad vomendum. Opponebantur quidem bezoardica, & fixa, & volatilia, ſed incaſſum. Sequebantur quatuor dejectiones viridiſſimę, & vomitu ejuſdem indolis materia rejiciebatur. Anxietates vero inde nihil minuebantur, ſed perſiſtebant perpetuę cum animi defectione, ardor etiam & conſtrictorius dolor in præcordiis fixus urgebat & quovis aſſumpto exacerbabatur, ſudor ſuccedebat frigidus, facies Hippocratica & ſeptimo die mors ipſa.

Epicriſis.

Miranda ſane, febris hujus minus periculofa primum viſa, ſubita catarr-

ſtrophe, demum ſuneſta. Orta hinc ingens controverſia: utrum per ſe fuerit maligna? an vero ſimplex catarrhalis uſu pharmaci facta fuerit lethalis? Id minimum verum: medicamina metallica non bene præparata & corroſivo ſale adhuc imbuta, quale eſt aurum fulminans non rite edulcoratum, veneni prorfus induere naturam, & funeſtum edere effectum in perſonis tenerioribus, & ubi jam ad lenem inflammationem, nervofas partes, & quibus etiam ventriculus, jam ſunt diſpoſitę. Aurum enim, ob gravitatem ſuam firmiter ventriculi tunicis inhærendo, eam, cui inſidet, partem vehementer exſtimulat, eandemque ſpaſtice conſtringit, haud ſecus ac venena, quę pariter ſtomacho ſpaſmum inducunt, qui poſtea per nervorum genus diſfunditur, totamque œconomiam motuum pervertit. Id quod tanto magis fit in corpore exquisitiuſ ſentiente, ubi jam adeſt febris, quę nihil niſi univerſalis fibrarum ſpaſtica eſt contractio. Dein id pariter certum: materiam cauſticam lymphaticam forſ ſecernendam, forti ejuſmodi ſtimulo retrahi ad ipſum ventriculum & ſolam ad inducendam ipſi inflammationem eſſe ſufficientem. Ne dicam, primam corporis regionem ſuccis corroſivis acidis bilioſis fuiſſe obſeſſam, teſte ipſo colore eorum, quę ſeceſſerunt. Hos autem ſolos corroſivitate ſua propria, multo magis corroſivo adhuc pharmaco adjutos, inflammationem parere poſſe, nemo negabit. Cautiſſime igitur mercandum cum medicamentis quodammodo corroſivis ex mineralium familia, ubi ſtomachus ad inflammationem diſpoſitus, & ſaburra erodente acido-bilioſorum humorum ſcatet. Tum enim medicamentum ab aliis ſine damno ſumtum, veneni naturam utique poteſt induere.

OBSERVATIO VII.

Literatus & vitę ſedentarię addi-
ctus vir, quadragenarius circiter &
cor.

corpore habitior, a multis jam annis vere & autumnis capitis defluxionibus, coryza, gravedini, tussi cum incalescentia quadam febrili fuerat obnoxius. Is initiante Octobre, quum poma cydonia cocta crebro & largiter edisset, & alvum inde obtinisset solito strictiorem, postea etiam per aliquot horas liberiori frigido aeri sese exposuisset, sequenti mox die, circa vespere, horripilatione, intercurrente aestu corripitur. Mane sensum tractorium admodum dolorificum percipit in humeris & nucha, necnon acutum in anteriori capitis parte, maximeque fronte, dolorem, naribus quidem calentibus, sed aridis & siccis. Datis medicamentis diaphoreticis, leniter nitrosis, cinnabarinis, mitescabant symptomata pedetentim cum aestu, dolor autem in fronte persistebat supra oculos omnemque fere adimebat somnum. Datum hinc consilium, ut crebrius naribus admoveret sal volatile Anglicanum siccum, quod ex sale ammoniaco & sale tartari paratur, oleo cephalico, uti est lavendula & majorana puro, essentificatum, non omissis infusis theiformibus, ex herbis cephalicis & diaphoresin leniter moventibus. Inde mitiora facta tormenta, & prater opinionem e naribus fluxit liquor flavescens viscidus ad aliquot drachmas, idque aliquoties de die, quo facto, post biduum omnis evanuit dolor, & æger perfecte convaleuit.

Epicrisis.

Hæc origo catarrhalis rheumaticæ febris cum gravi capitis dolore deducenda ab albo obstructa & perspiratione prohibita, in corpore, ubi caput debile & ad defluxiones catarrhales jam tum fuit proclive. Locus autem doloris in fronte supra oculos fuit in sinibus ossis frontis, qui intus tunica nervosa & pituitaria sunt vestiti. Huc si cum impetu ruit sanguis, a nimio ipsius affluxu & stagnatione oritur dolor, serumque acre transsudat, hocque efflu-

ente, dolor discedit. Ut adeo verum sit prisce Hippocratis effatum: *sect. 6. aph. 10. cui capite graviter dolenti, pus, aqua, vel sanguis e naribus profluit, is a dolore liberatur.*

C A P. VI.

De Febre Variolosa.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Variolosa febris est acuta, exanthematica, contagiosa, in qua *Variolæ quid?* motu quodam critico, materia valde tenuis, caustica, corrupta, inflammans & exulcerans, ad summam cutem propellitur, cum gravibus sæpe symptomatibus stipata.

§. II.

Febrem hanc imminenter indicant lassitudo corporis, virium languor, *Morbi historia.* somnus inquietus, ciborum fastidium, cum conatu vomendi, capitis dolor, pavor in somno, alvus clausa, stimulus ad tussim & horripilationem intercurrentes. Hæc per plures sæpe dies jam præstolantur, & postea succedit æstus per totum corpus, cum pulsu celeritate, siti, augetur capitis, lumborum & spinæ dorsii dolor. Infantes potissimum, sæpe ex improviso, epilepsia & rigor ac tremor artuum invadit. Ætate junioribus delirium familiare: corpus est inquietum & jactatur. Intra tertium & quartum diem conspiciuntur in facie & collo vestigia macularum rubrarum, quæ pedetentim numero plures efflorescunt, post faciem & collum, pectus, brachia, ac demum etiam abdomen, dorsum cum femoribus pedibusque occupantes. Durat hæc eruptio ad duos usque dies successive, ac interea decrescit febris cum symptomatibus, ut pulsus cum calore sexto die fere sit naturalis. Elapso autem quinto incipit fieri suppuratio, eodem modo ut eruptio gradatim a superioribus ad inferiora transiens, quæ ubi in vigore con-

constituta maximeque in facie manibusque succedit, ob ingentem ardorem & dolorem cutisque tensionem fere intolerabilem, accenditur nova symptomata secunda febris, cum siti, vigilia & præcordiorum anxietate. Quæ symptomata, ubi corpus impurum, pustulæ confluentes & virulenti genii, delirio & convulsionibus accedentibus, nono, vel undecimo die necant. Si vero pauciores & benigniores, pathemata remittunt & fit exsiccatio, donec undecimo & ultra decident & ager ad sanitatem redeat.

§. III.

Prima
origo ex
utero.

Corripiuntur hac febre tantum non omnes homines, cujuscunque sexus, ætatis, temperamenti, quin nationis sint; ideoque in proclivi utique judicare, causam ipsius esse universalem omnibusque communem. Unde vero origo hujus omnibus adeo infestæ materiæ repetenda, & ubi ipsius sedes, non æque expeditum. Veteres quidem natales ipsius a sanguinis menstrui, sub ingravatione retenti, immunditie fœtui communicata, duxerunt. Et vero utique simillimum, primordia hujus virulenti humoris non ex aere, victu, aut aliis externis causis, sed ex utero esse materno. Id enim experientia frequenti constat, infantes a matre minus sana & impuris succis scatente progenitos, variolis mali moris & quandoque exitalibus corripi, matre licet sub gestatione vegeta, ob succos prave in fœtum transeuntes. Vicissim etiam in comperto, gravidas, si proba victus ratione & affectuum moderatione, cacoehymia, & plethore convenienti sanguinis missione, saluberrimæ quoque per alvum & cutem excretioni prospiciant, infantes in lucem edere, qui variolis correpti, non adeo periculose decumbunt, sed paucas ipsas & benignioris indolis, nascuntur.

§. IV.

Sedes
causæ in
humori-
bus.

Sed neutiquam hujus maligni humoris sedes in ipsa sanguinis & humorum massa videtur ponenda. Etenim

quamvis per alios morbos exanthematicos, morbillos, purpuram, scabiem, apostemata, tineam capitis, febres quoque, tota succorum massa exagitata fuerit, dissoluta omniaque ipsi involuta extricata, variolarum tamen materia manet & nihilo secius corpus adoritur. Hinc ad veritatem utique proxime accedere videtur, ex succo quidem chyloso lymphatico impuro & corrupto matris, oriri primum subtilem hunc & virulentum humorem, sed viscositate quadam involutum, firmisque tubulis quibusdam impactum, delitescere tamdiu, donec in motum fermentativum sui multiplicativum ab aliis causis deducatur, succis insinuetur, & critica quasi despumatione e corpore exturbetur. Nec officit, quod post longum interdum tempus in noxam erumpat. Diu enim malignus quidam humor, in tubulosa partium, immo ipsius cutis substantia, tanquam in latibulo sine noxa hære, & postea demum in motum excitatus, universum systema nervosarum & fibrosarum partium pessime afficere, totamque motuum œconomiam pervertere potest. Testatur hoc cancer in glandularum substantia per longum tempus occultatus, testatur venenum canis rabidi, item miasma venereum, quod per lac nutricis infanti communicatum, post aliquot demum sæpe annos reviviscit, vel in adultis per gonorrhœam virulentam suppressam ad interiora pulsus, post longos haud raro annos prodit, & virulentiam suam exserit.

§. V.

Latibulum autem virulento huic, ^{Sed spinali medulla.} qui variolas facit, succo præbent, mea quidem sententia, medullæ spinalis tubuli quidam obstruunt. Probabiles minimum, quæ id evincunt, hæ sunt rationes. Spinalis quippe medulla cum capite omnium primo in utero formatur, & majus præ aliis partibus cito augmentum acquirit, quod aliter fieri nequit, quam per liquidum, quod per ejus minimos canaliculos fertur. Quod

Quod si stagnans obstruit quosdam, ex diuturna mora, ut omnis humor occlusus, valde alienam & perniciosam indolem contrahit. Talis humor compedibus postea liberatus, & sui juris factus, non aliam sæpe ac veneni naturam & vim prodit, humores fermentando, eorum texturam & crasin immutando, solidas vero partes vehementer stimulo, arrodendo & vellicando. Quod vero ex imis medullæ, maximeque illius portionis, quæ in inferiori regione spinæ, materia, quæ variolas efficit, prodeat, hæc confirmare videtur ratio, quod nullus fere morbus tam subito totum systema nervorum & nervosarum partium adoriatur, quam hic ipse. Testatur id febris acuta celeriter invadens, spasmus nempe totius vasculosi & nervosi systematis, quam ego utique a membranis spinalis medullæ deduco. Testatur idem dolor capitis, dorsi & lumborum, individuus fere comes. Testantur epilepsia, convulsiones, tremores artuum, deliria, quæ mox statim in principio, secus ac in ulla alia febre, adsunt. Testantur præcordiorum anxietates, item nausea, vomitus, cardialgia, quæ a spasmodicis substantiæ nervosæ ventriculi & orificiorum ipsius proveniunt: testatur alvus stricta & clausa, quæ semper fere primis diebus est. Testatur demum inquietudo cum vigilia, quæ non nisi molesta generis nervosi affectio & commotio est.

§. VI.

*Materiæ
indoles
caustica
& putrescens.*

Sed mittimus hanc paullo subtiliorem de prima origine & sede causæ variolarum theoriam, quia directe non pertinet ad artis usum & therapiam, quæ magis in eo versatur, ut naturam, genium, facultatem & potentiam operandi virulentæ istius materiæ probe indagemus. Indoles igitur hujus videtur mihi duplex, una acris & inflammans, unde dolor, ardor, rubor, tumor, arrosio & exulceratio, altera caustica & putrescens, quæ motu subtiliori intestino, crasin & unio-

nem partium mixtum constituentium destruit atque corrumpit, & hæc proprie ad ipsam malignitatem magis spectat, atque quam maxime sese in variolis malignis prodit.

§. VII.

Optime vero variolæ distingui possunt in benignas, malignas, & quæ sunt inter has mediæ naturæ. Benignæ his cognoscuntur indicibus: si non adeo copiosæ sunt numero; si debito tempore & ordine prorumpunt, suppurantur & exsiccantur; si non nimis profundæ; si bono pure refertæ, sufficienter elevatæ & circulum habent rubicundum; si facta eruptione in superioribus partibus, febris & symptomata notabiliter remittunt & omnia tranquille & placide fiunt. Hæc omni vacant periculo, immo sponte & solius sæpe naturæ beneficio curantur. Tales autem plerumque sunt, quæ temperato vere oriuntur, in corporibus non adeo impuris, nec sero & sanguine repletis, etiam in pueris. Nam acris & caustica materiæ qualitas non modo mediante succo rosco in corpore corrigitur, & ad expulsionem in cute, præparatur, sed & affluxu ejus, modifucci, in ipso suppuratorio actu plane mitis & blanda efficitur.

§. VIII.

Vicissim malignum & causticum in variolis subesse virus, inde concludendum: si vel nimis cito, vel nimis tarde prodeunt; si manent depressæ & supurationem renuunt: si plurimæ livescunt & quædam nigri coloris, vel limbum nigrum habent; si pulsus celer, etiam post eruptionem sufficientem, cum inquietudine persistit; si erecti animo facile liquuntur; si pustulæ sunt sanguinolentæ, vel diarrhoea cruenta, aut mictus cruentus supervenit. Lethifera hæc sunt indicia, & ex viginti vix unus evadit, qui ejusmodi symptomatibus afficitur. In corporibus demortuis hac specie variolarum sanguis fluidus est totus, nec in serum, nec in coagulum secedit, quod aliquoties observavi, manifeste indi-

*Triplex
variolarum
generis:
benigna*

Maligna.

indicio , putrefactione intima ejus
crasin plane esse colliquatam, & vincu-
lum feri & sanguinis destructum, &
hæc est causa ipsius mictionis, nec
non dejectionis cruentæ, & quod vari-
olæ sanguinem fundunt. Ejusdem
variolæ sunt indolis, quando pete-
chiæ sese miscent, vel etiam pustulæ
parvæ miliaris asperæ, quæ de inti-
ma corruptione sanguinis & lymphæ
testantur. In quibusdam porro tar-
dius maligna & putrefactiva variolosi
humoris indoles sese ostendit, dum
post exsiccationem febris manet lenta,
& in externis partibus, præsertim arti-
culis, in brachiis, manibus, pedi-
bus, tumores oriuntur & ex iis fiunt
fœda, exedentia, fistulosa & ossibus
cariem inducentia ulcera, quæ diffi-
cillime sanationem recipiunt, & pro-
cedente tempore lentam inferunt
mortem. Interim tamen in genere
tenendum, quod malignitas hæc gra-
du, jam majori, jam minori, dif-
ferat.

§. IX.

Ubi & quæ talis. Virulentæ ejusmodi variolæ sunt
plerumque epidemicæ, & nascuntur a
statu anni temporum plane irregula-
ri, anomalo, diurno, præsertim
sub coelo diutius nebuloso, pluvioso,
humido, ventis desstituto, longe ma-
gis post diluviones & inundationes
aquarum, quando diutius eadem su-
pra terram stagnant, & aer ob id, & in-
sectorum, & exhalationum putridarum
copia refertus est, tumque ut pluri-
mum simul grassantur, ipsisque etiam
variolis complicantur petechiales &
aliæ deleteriæ indolis non expertes fe-
bres. Deinceps uti variolæ in corpora
impura & cacochymica incidunt, &
ubi primæ vir magna impurorum fuc-
corum colluvie scatent, plus incre-
menti capit in malignitas. Observamus
porro miasma live contagium uno
tempore majorem virulentiam habe-
re, quam altero. Accidit hoc non
semper ob manifestam quandam sensi-
bus obviam causam, sed dubio pro-
cul ex perniciosi varii generis exha-

lationibus, quæ ex animantibus & ve-
getabilibus surgentes, cum aeris par-
ticulis salino-sulphureis sese miscent,
ut ipsa unione specificam quandam de-
leteriam virtutem nanciscantur, non
secus ac videmus in chymicis quod so-
la commixtione rerum, quæ per se
non sunt venenatæ, venenum ena-
scatur.

§. X.

Tertium genus est variolarum, quas
nos mediæ naturæ dicimus, quia non
sunt nec adeo malignæ, nec adeo beni-
gnæ, sed medio modo se habent, i-
deoque prudentem medicum & ido-
neam medicinam poscunt. Tales sunt,
quæ non sparsim, sed confertim, in
primis in facie & manibus, compa-
rent, & confluentes fiunt; item quæ
interiora, nares, fauces, interdum
etiam oesophagum occupant, ut acri
non bene deglutire possint. Anceps
etiam facit judicium, quando in sup-
puratione acris denuo oritur febris,
cum æstu, calore & ardore manuum;
si caput nimium intumescit & largus
salivæ fluxus est, si urinæ porro re-
nues, copiosæ minguntur, & corpus
largis sudoribus diluit. Neque mi-
nus ubi novæ semper exsiccatis jam
subnascuntur papulæ minores, & sup-
puratio atque exsiccatio nimis pro-
trahitur; ubi cutis tensior & pustulæ
profundius sedent, ætas juvenilis, vel
virilis, tempus autumnale & hyemale,
ætas etiam nimis fervida & sicca præ-
cessit, & præterea non adeo proba
victus ratio a decumbente observatur;
& hæc sæpius omnino, nisi sollicite
præcaveatur, alios relinquunt morbos.
Epidemicæ etiam ut plurimum gras-
santur, quom benigniores magis sint
sporadicæ.

§. XI.

In suspectis quoque signis est, quan-
do statim inter initia & ante eruptio-
nem, acuti & pertinaces dolores in
spina, brachiis, pedibus, lumbis, nec
non coxendice affliguat; si cito ni-
mis, primo illico, vel secundo die,
variolarum vestigia in cute compa-
rent,

*Et inter
utraq;
mediæ
naturæ.*

*Suspe-
ctæ aut
signa?*

rent, tanto magis quum exanthemata aspera, acicularum capita æquantia, interspersa; si stationem non servant, mox disparent, mox redeunt; si facies non intumescit die tertio vel quarto, vel mox detumescit iterum; si in juvenibus ante eruptionem grave delirium, necnon difficilis deglutitio; si in suppuratione sopor, & post hunc alienatio mentis & incongruus sermo; si etiam nimium salivæ stillicidium.

S. XII.

Alvi fluxus non adeo pertimescendus.

Alvi autem fluxus, licet copiosus, non adeo pertimescendus: eundem enim per totius morbi decursum sine ullo periculo successisse vidi, tantum abesse, ut eruptionem impediverit. Atque hanc in rem commemoratu dignum, quod scribit *Amatus Lusitanus Cent. III. pag. 234. pervenere hac æstate ad manus nostras plus minus CL. pueri variolis & morbillis affecti, e quibus omnes evacuati evaserunt, alii vero, quibus parentum ex culpa evacuatio facta non fuit, vitam cum morte commutarunt, numero tres; alii vero quatuor in ulcera difficillima & mala morigerata pervenerunt, quæ cum aphthis communionem habent, & facile in gangrenam abeunt. His similis superstes puer, qui ulcus cancriforme & malignum, cubitum dextri brachii occupans, multis foraminibus perforatum, habet. Scilicet sicuti in febribus malignis petechialibus, alvi profluvium morbi facit solutionem; sic etiam in mali genii variolis idem evenire experientia docet, quæ etiam *Ballonii in epid. & ephemerid.* sententia.*

S. XIII.

Quando & quomodo mors evenit.

Qui variolis moriuntur, criticis ut plurimum diebus, nono, undecimo, vel decimo quarto decedunt, & quidem maxime convulsionibus, quas exquisitissimus ardor, dolor ætensio in brachiis, manibus, & facie, præsertim si profundius sedent pustulæ, excitat. Quidam catarrho extinguntur suffocativo. In nonnullis, in primis si malignitas subest, quando in situ cre-

cto vel extra lectum sunt, animi obrepit deliquium, maculæ cum pustulis disparent, & convulsione superveniente, intra aliquot horarum spatium mors excipit. Vidi etiam variolis jam exsiccatis, juvenes quosdam subito insultu apoplectico esse extinctos, posteaquam in ipso morbo capitis gravitate, vigilia, & per intervalla mentis emotione laborassent. Novi quoque infantes unius aut duorum annorum, quum absoluta exsiccatione in vado prorsus esse viderentur, macula erysipelacea livido-nigricante maligna, quæ totam fere suram, vel pedis regionem occupavit, ex improvviso fuisse affectos & subito mortuos, manifesto sphacelationis & magnæ corruptionis in sanguine indicio.

S. XIV.

De iis autem, qui variolarum morbum superant, multiplici confirmationem habeo experientia, quod pueri, qui ante illum valetudine minus firma usi, variis oculorum & aurium defluxionibus, tinea capitis, doloribus artuum, imbecillitate pedum, rachitide & tabe, nec non adultiores mentium retentione laborant, postea integram sanitatem, corporis robur & nutritionem latiore acceperint. Vicissim vero novi etiam alios, qui antea sani & valentes, in variolis vero perverfa medicatione excepti, vel commissis in dicta erroribus, valetudinarii postea sunt facti, phthisin, febrem lentam, tabem & asthma incurrisse, visus vitia, ophthalmias, epiphoras, maculas & albugines contraxisse, aut ulceribus sordidis in facie & artuum juncturis fuisse affectos.

S. XV.

Ceterum ultimo adhuc loco probe tenendum: quod materia variolarum semper sit indolis fermentativæ & sui multiplicativæ. Unde vix ullus alius morbus, excepta forsitan pestilentia, adeo contagiosus, ac variolarum. Quo etiam fundamento nititur, cum fructu ab Anglis potissimum instituta variolarum infectio, qua purulento ex-

varioloſo decumbente humore in ſau-
ciatam ſani variolas nondum experti
hominis cutem immiſſo, protinus i-
dem hic morbus, cum febre omnibus-
que, quibus ſtipatur ſymptomatibus,
ſuſcitatur atque inducitur.

CURATIO

§. I.

Indica-
tiones
curato-
rie na-
ture du-
ctui con-
formes.

Natura, per quam partium ſolidarum & fluidarum corporis ad motus vitales & excretorios diſpoſitionem intelligimus, tam exactum in hoc morbo, ſi moratus, quam in nullo alio ſervat ordinem & tempus, & haud raro ſponte, citra artiſicioſam medicationem, eundem percurat, quando videlicet crasſis ſanguinis & humorum viſcerumque conditio, ita comparata, ut correctioni materiae cauſticae & expulſioni ejusdem non obſtent. His naturae viis merito inſiſtendum medico, nec aliud agendum, quam ut eidem in opere correctorio, expulſorio & ſuppuratorio congruis auxiliis ſubveniat. Igitur ita inſtituenda medicatio, ut I. materia acris, vitioſa, cauſtica contemperetur, & ex veterum loquendi more coquatur, ſimulque effrenes in vaſorum & nervoſarum partium ſyſtemate primis diebus motus ad moderamen traducantur; II. ut eruptio ſecundetur, & languentes circa eruptionis tempus motus erigantur, quo omnis ad corporis habitum pellatur materia, accedens autem in ſuppuratione ſecundaria febris moderata ſervetur, & graviora arceantur pathemata; III. ac demum declinationis & exſiccationis tempore ſanguinis & humorum maſſa ſub morbo dyſcrasia & impuritate affecta, repurgetur, ſicque oriundi ex reliquis morbi tempeſtively praecindantur.

§. II.

Quid ſa-
ciendum
ante e-
ruptionem.

Acredinem materiae mulcent ſimulque nimiam ſanguinis exſtuationem, ipſam excretionem impediendent, blande componunt pulveres tempe-

rantes, leniter diaphoretici, cujus generis hic eſt: recipe cornu cervi philoſophice preparati, uſti, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, matris perlarum ana drachmam, cinnabaris rite paratae drachmam ſemis, nitri puri ſcrupulum. M. ſ. pulvis, de quo pro diverſitate aetatis dandum, & doſis ſumma eſt dimidia drachma. Propinatur commodiſſime in vehiculo ex aqua ſcorzonerae, nucleorum ceraſorum, florum ſambuci, acaciae, herbae cardui benedicti & ſcabiola. Dein eundem in ſinem utilia decocta humeſtantia & temperantia, avenaceum tenue, cum amygdalis in emulſionem redactum, ſerum lactis dulce, noſtra methodo paratum, aqua hordei cum ſicubas decocta. Item emulſio ex decocto ſcorzonerae & cornu cervi, amygdalis ſeminibusque quatuor frigidis cum ſaccharo. Cui ad motuum vehementiam moderandam, commode adjuicitur ſyrupus papaveris albi.

§. III.

Quando natura ſegniſ in expulſione ſub eruptionis tempore, danda haec emulſio: recipe ſeminis napi, cardui Mariae, aquilegiae ana drachmam, aquae florum ſambuci, galegae, cardui benedicti ana unciam ſ. l. a. emulſio, adde antimonii diaphoretici drachmam ſemis, ſacchari perlati quantum ſatis eſt. M. Efficaciter etiam expellit liquor bezoardicus ad mentem Buſſii paratus, cum tripla portione liquoris noſtri anodynii mineralis nuptus. Item elixirium alexipharmacum, ſine ſpirituſo menſtruo ſic conſectum; recipe radicis dictamni, angelicae, vincetoxici, contrayervae ana unciam ſemis, herbae ſcordii, cardui benedicti ana manipulum, fiat extractio in aqua ſcordii libra medica, & liquoris anodynii mineralis unciiſ prius, additis prius ſalis tartari, croci & myrrhae ana drachmis duabus; de quo viginti minimum, & ad ſummum quinquaginta guttae praebenda.

In eru-
ptione.

§. IV.

§. IV.

*Et sup-
pura-
tione.* Eadem profunt, quando suppuratio lenta nimis, & pustule elevari renuunt. Tum quoque utilis hæc mixtura: recipe myrrhæ electæ drachmam dimidiam, croci salis tartari ana scrupulum, aquæ scorzonæræ uncias duas, coquatur, coletur & usui servetur. De hac dimidium, vel unum cochlear in emulsione, ex aquis analepticis & diapnoicis cum seminibus quatuor frigidis, præsertim circa noctes, porrigendum.

§. V.

*Et exsic-
catione.* Sub exsiccatione demum propinanda sunt remedia, quæ putredini resistunt, item quæ sordes relictas, vel sub morbo genitas, per congrua emunctoria evehunt. Utiles tum pulvis ex lapidibus cancerorum, antimonio diaphoretico, pauxillo myrrhæ, succini, & croci. Proficuum quoque infusum theiforme ex herba scordii, summitatibus millefolii & semine scniculi, cui si pestus simul affectum, veronica cum liquiritia addenda. Potissimum hoc tempore interponenda blanda laxantia, balsamica simul indolis, uti sunt instar omnium pilulæ Beccherianæ, vel ad earundem exemplar paratæ.

*Cautela & Observationes
Clinica.*

§. I.

*Quibus
vomitus
& epi-
leptia
compe-
scenda.* Evenit haud raro, ut in principio, præsertim infantibus, accidant crebræ & anxie vomitiones. Ad has compescendas, & spasmus ventriculi laxandum, egregie proficit liquor noster a-nodynus mineralis, vel solus, vel cum aliquot guttis spiritus bezoardici Bussiani remixtus. Idem hic noster liquor eximii usus, si convulsio epileptica, in lactantibus maxime & difficulter dentientibus periculi non expers, urget nimis. Conducit etiam pulvis Marchionis, cum cinnabari & pulvere lumbricorum terrestrium. Et alvus clystere molliente solvenda, qua clausa in principio, epilepticum malum augescit.

§. II.

Quando æstus acrior, nitri dosis in pulveribus augenda, & tuto etiam præbenda tinctura rosarum, quatuor florum cordialium, cum phlegmate vi-trioli parata, cui multum *Waldschmidtus* atque *Doleus* tribuerunt. Nec male, quum in corporibus juvenilibus sanguineis, maximeque ubi variolæ mali moris ad putredinem prone grassantur, ratione & experientia teste apprimè proficit; licet non omnem malignitatem extinguat, neque universale adversus copiosas variolas sit præservativum.

§. III.

Frequens juvenili in primis ætati symptoma est salivæ fluxus, qui suppurationis tempore ut plurimum effusior accedens, non modo hanc, sed & somnum, non sine periculo, impedit. Moderandus igitur, tam per alvi apertionem mediante clystere emolliente, quam diaphoreticum bezoardicum medicamentum, cui aliquot grana florum sulphuris addenda, & bibendum desuper infusum theiforme ex betonica, veronica & floribus chamomillæ officinalis, quo aucta sic perspiratione, a salivæ fontibus divertantur humores.

§. IV.

Obsident pustulæ variolarum semper fere interiora faucium laryngem & pharyngem, ibique ardorem, dolorem & difficilem deglutionem, quandoque etiam aphthas, excitare solent. Molesto huic accidenti succurrendum gargarismate demulcente, ex decocto hordei & rob diamoron, adjecto pauxillo lapidis prunellæ, quo sæpius os eluendum. Utile quoque decoctum avenaceum, cum butyro infusum, syrupo violarum vel granatorum, & nitri tantillo. Et ad mulcendam ardorem, pustulæ & aphthæ subinde tangendæ, & illinendæ mucilage seminis cydoniorum, cum aqua rosarum facta.

§. V.

Oculos quoque nonnunquam oc-
cu-

*Æstus
mitigā-
dur.*

*Salivæ
fluxio mo-
deranda.*

*Ardor
& dolor
faucium
mulcenda.*

cupant pustulæ & suppurantes vitium eisdem inducunt. Hinc sub eruptione statim ab iis defendendi, quod optime fit linteo duplicato, cui spiritus rosarum, in quo camphora cum croco macerata, instillatus, quod tamen ante applicationem in loco calido tantisper siccandum, quo potior spiritus portio avolet. Mihi frequens, aquam rosarum & florum sambuci, adjectis aliquot liquoris nostri anodynæ mineralis guttis & momento camphoræ adhibere, eademque palpebras inungere. Quod si vero a pustulis pellicula relicta, cito eadem post declinationem absumenda hoc liquore: recipe aquæ rosarum unciam, reginæ Hungariæ drachmas duas, vitrioli cyprini grana quatuor, sacchari saturni grana duodecim. M. quo frequentius cum subtili penna tangenda est excrecentia. Idem hic liquor, omisso tamen vitriolo, egregiæ virtutis in oculorum acri, calida & ardente defluxione, cum rubore, quæ variolis crebro succedit.

§. VI.

Pulsuum vehementia & robur, faciei rubor, capitis lumborumque gravitas ac dolor, venarum turgescencia, ætas juvenilis, ingenii activitas, diætina vinosa, sanguinis missio sueta, & evacuatio critica suppressa, sanguinis subtractionem in variolis, primo, vel secundo statim die, indicant. Sic evanescunt mox pectoris anxietates & oppressiones, maculæ confertim in cute efflorescunt, nec adeo gravia post eruptionem metuenda pathemata. Sæpius enim observavi, nimiam sanguinis redundantiam sufficientem materiæ variolosæ ad corticem corporis propulsionem impedire, & efficere, ut discretæ tantum prodeant pustulæ, intus autem relicta materia circa declinationem varia symptomatica spasmodica, convulsiva, deliria, catarrhos suffocativos, quin apoplexiam, inducat. Contra ea, ubi pulsuum durities, humilitas & exilitas, vasa minus turgent, vires languent,

Tom. IV.

temperamentum phlegmaticum, ætas infantilis & puerilis, corpus obesum, vomitus in principio adest, tussis & alvi fluxus, laborans etiam aliàs sub sanguinis missione facile animo linquitur, vena non pertundenda, ne nimia sanguinis copia subtracta, materia intus detineatur & eruptio ad plures dies, non sine periculo, protrahatur.

§. VII.

Hand levis inter Medicos est controversia: utrum emetica in principio variolarum prosint, nec ne? Nos ita censemus. Quum variolæ circumeunt, ad præservationem expedit utique dare ea, quæ sordes copiosas & crudos succos non modo ex primis viis, sed & biliosos & vitiosos humores ex hepate eliminant, quibus retentis, justus metus est, ne graviores reddant morbum. Primo etiam invasionis die locum adhuc habere possunt, quando turgere primam regionem vitioforum succorum colluvie adsunt indicia, ex egri potissimum voracitate incongruorum liquidorum & solidorum, nausea, oris amaritie & ructibus, desumenda. Tum omnino lene emeticum, tartarus emeticus, solutus prius, ad unum vel duo grana in adolescentibus in aqua menthæ, vel cinnamomi, additis aliquot mixturæ simplicis guttulis, cum fructu datur, evanescens postea quæ eruptionem impediunt anxietatibus, ut pustulæ intra tertium & quartum diem promte erumpant. Si alvum simul expurgandi intentio, tartarus emeticus cum infuso mannæ dandus, in infantibus ad quartam vel dimidiam partem, aut pondus unius grani. Promiscue autem tale remedium alternis diebus porrigere, empiricum est consilium.

§. VIII.

De purgatione per alvum hæc monenda. Ante morbi insultum omnino sunt utilia laxantia, non vero fortiora purgantia; neque etiam mercurius dulcis, præsertim in infantibus & pueris tenerioribus. Optimum decoctum

F tama-

Emetica in principio præsumenda.

Alvus ante eruptionem tuto subducitur.

Et vitio affligi summandi

Vene sectione quando proficit

Et nocet.

tamarindorum cum rhabbaro, vel manna: & si suspicio, crassa intestinalis duris esse facta, præmittendum clystma emolliens & stimulan. Sub totius etiam morbi decursu nunquam permittendum, ut alvina secessio nimis diu, ad octo vel decem dies resistet. Si secus sit, inde potissimum in infantibus, vel suffocativi accidunt catarrhi, vel purpura variolas, aut erumpentes comitatur, aut suppuratis iisdem, non sine insigni virium iactura & symptomatum vehementia, excipit. Neque hanc ob causam eveniens & per totum sæpe morbi decursum durans cum bonis ægrorum rebus alvi fluxus est compescendus. Eruptionis autem tempore, etiam si, uti ordinario fieri suevit, alvus sit siccor, ab omnibus eam moventibus abstinendum, ipsis etiam enematis, quæ tum retineri, retenta angustias parere maximas, & demum post aliquot dies reddi, novi.

§. IX.

An suppurationis tempore in febre secundaria proficua sint alvum ducantia? inter Medicos Anglos fuit disceptatum. Freindius peculiari scripto adstruxit variis observationibus utilitatem, ita tamen, ut non nisi decoctum mannæ admittat. Nos etiam hanc methodum non improbamus, si adsint, quæ purgationem indicant, alvus nempe per totum morbi decursum sicca fuit & constricta, copiosa in suppuratione salivatio, & pectus copia humorum obsessum, ut anxia inde & difficilis sit respiratio. Sed ego semper laxantibus præferre soleo clysteres, emollientes alvinas duras feces & educentes. Qui si non sufficiunt, laxantia mannata præsertim in infantibus, quibus prima regio & præcordia crassis viscidis humoribus obfessa, commodam omnino locant operam. Quin novi, me infantibus lactentibus, unius anni, vel ante eruptionem, vel in suppuratione, quum ob difficultatem & angustiam spirandi suffocationis metus esset,

cum præsentaneo levamine porrexisset lenem emeticum, ex sexta, vel quarta parte grani tartari emetici, soluti in aqua veronicæ, addito pauxillo syrupi violarum. Cæterum, quam utilia mannata in principio & incremento variolarum, tam perniciose esse aliquoties observavi, post declinationem, morbo soluto. Ingentes tum enim creant flatulentias, pectus lentis viscidis succis obruunt, anxietatesque efficiunt, quandoque etiam ut ulcerationes sequantur in ipsa cute, faciunt.

S. X.

Ante pustularum eruptionem, & sub ipsa etiam, improbanda porro merito omnia calidiora expellentia, tam quæ vulgo dantur semina nasturtii & aquilegiæ cum stercoreis, succus nimirum stercoris ovilli & equini, quam etiam tincturæ bezoardicæ, alexipharmacæ, nec non spiritus cornu cervi, cum æstuoso, quoad lectum & conclave, regimine. Inde enim sanguinis & humorum massa mirum excitatur, æstus, anxietas, convulsiones, spasmi, quin delirium, si adest, exacerbantur. Inde materiæ variolose major inducitur acrimonia atque subtilitas, ut ex benignis facile fiant malignæ. Et tantum abest, ut his equalis & constans eruptio procuretur, ut potius cito nimis minus præparata foras agatur materia, stationem non servatura, sed cum majori damno mox iterum ad interiora reversura. Quin potius tantum calidos, infusa theiformia & decoctum fabarum coctæ, liberalius usurpata, experientia edocti, rejicimus. Nimum enim sanguinis massam dissolvunt, & materiam roscidam nutrientem cum viribus inter largos sudores dissipant. Temperatum igitur sit regimen, remedia temperata. Semper tamen distinguendæ naturæ, quæ si segniores, expulsionem juvantia, partitis sed vicibus data, prosunt utique, & circa sextum etiam & septimum diem, eruptionem regimine tantisper calidiori secundare licet.

S. XI.

§. XI.

*Avis-
purita-
ti stu-
dendum.*

Pariter in variolis oppido nocivum decumbere in loco humiliori, ubi plures eodem morbo detenti. Nam ibi aer, qui pabulum vitæ, impuris ac scæridis exhalationibus est refertus, quæ respiratione attractæ, organa subeunt vitalia, & internam humorum corruptionem adaugent. Hæc etiam subest, cum regimine calido, ratio, quod ex plebeis plurimi, variolis, licet bonæ aliæ sint indolis, occumbant. Hinc præstat, uti sæpius cum fructu suasi, aerem gravem, contacto prius probe ægro, ex apertis fenestris emittere, purioremque immittere. Neque minus ad corrigendum inquinatum aerem, expedit collo appendere camphoræ frustulum, vel si caput odorem ferre nequit, in remotiori conclavis loco illud reponere.

§. XII.

*Lintea-
mina
caute
mutan-
da.*

An corpore sudore perfuso linteamina, indusia & lectum mutare liceat, non levis ad curationem momenti est quaestio. Ego, uti largissimos sudores in variolis nunquam sine periculo esse, si diu perseverant, observavi: ita longe majus imminere discrimen, expertus scribo, ex mutatione linteorum, quæ humidum & frigidiusculum aerem adhuc fovet. Cavendum itaque, ne facile ager in alium lectum transportetur, nisi prius diu in hypocaufto calefacto steterit. Neque linteamina & indusia mutanda, nisi prius calore sint probe siccata, vel ab alio gestata. Si hoc negligitur, in exquisitè sentientibus ejusmodi corporibus, qualia sunt, quæ effusius sudant, cutis quam facile frigescit, maculæ & pustulæ disparent, & cum vitæ discrimine recedunt.

§. XIII.

*Recedē-
tes qui-
bus ex-
pellen-
da.*

Quandocunque pustulæ, vel ob deficiens naturæ robur, vel ob terrorem, refrigerationem, aut situm extra lectum diuturniorem erectum, subito concidunt, ager in vitæ discrimine versatur certo, & nisi prudens medicus illico analeptico & expellente reme-

dio succurrat, mors in propinquo. Ego cum fructu tum dedi liquorem cornu cervi succinatum, cum liquore anodyno minerali, in aqua cinnamomi sine vino & cardui benedicti, sorbillare jussi poculum infusi theæ, idque aliquoties iterare, & præcordiis pedibusque calida applicare fomenta.

§. XIV.

Mictus sanguinis, alvus cruenta, hæmorrhagia narium & sanguinolentum ex pustulis serum manans, magnam sanguinis humorum acrimoniam & colligationem indicant, ac pessimum, plerumque lethale, præbent omen. Hæc ubi præsto sunt, acidula, refrigerantia & acrimoniam demulcentia, uti lac ebutyratum & serum lactis, plus opis præstant, quam cetera omnia exquisitissimi artificii remedia.

§. XV.

Periculosum symptoma est, si gravida variolas nanciscuntur, & circa eruptionis tempus, vel etiam in suppuratione, abortus accidit. Sanguis enim cum impetu utero effertur. Majus adhuc periculum ipsiusque mortis iustus metus, si foetus non cito exturbatur. Vehementius enim sanguinis fit profluvium, sub quo animi accedit deliquium, expulsionem materiæ adversum. Si etiam sanguis parcius emanat, ejus motus ad caput convertitur, subsequente inflammatione & delirio. Neque periculo vacat, quando menses primis diebus, vel in suppuratione erumpunt copiosiores, id quod eam plerumque ob causam accidit, quod sanguinis missio neglecta.

*Abortus
incidēs
pericu-
losus.*

*Omne
fluxus
fluxus
copio-
sus.*

§. XVI.

Observavimus, si æstas nimis sicca & diu arida, variolas maxime esse inflammatorias, & alvi fluxu quam facile stipari; qui tamen nullo modo sistendus, sed tantum demulcentibus & terreis diaphoreticis excipiendus. Vitanda tum quoque omnia calida expellentia, cum regimine æstuoso, vitanda vero etiam refrigerantia & corporis

*Alvi
fluxus
saluta-
ris.*

refrigeratio. Neque alvi profluvium nocet, quando petechiæ pariter obvalde irregularem temporum anni constitutionem complicantur, ut potius remedio sit, & malignos humores optime expurget, ideoque providum ac peritum desideret medicum.

S. VXII.

*Conflu-
tes quo-
modo
arcescunt.* Quum variolis benignis non facile quispiam, nisi ex Medici, aut proprio delicto, pereat, sed confluentibus, præsertim si mali moris fuerint; excentum autem vix unus sit, qui variolas non experiatur: ego certe ut funestæ hæ arceantur, non certius novi consilium, ac eo tempore, quo male indolis variolæ grassantur, exquisitam victus & vitæ rationem servare, succos corporis convenientibus evacuantibus & decoctis pro potu temperantibus & mundificantibus a sordibus liberare, & ad futurum forsan morbi insultum præparare. Eundem in finem commendabile novum illud inventum insitionis, seu inoculationis variolarum, quod ex oriente in Europam translatum, numerosis admodum exemplis ab Anglis potissimum medicis cum successu celebratum, ea tamen lege, ut pus variolosus ex papulis maturis & benignis promatur, corpusque ante operationem probe prius præparetur.

S. XVIII.

*Vesicatoriorum
usus.* De vesicatoriorum peculiari in hoc morbo efficacia, quam nostro hoc ævo Angli in primis Medici mirifice collaudant, pro certo ego quidem affirmare possum nihil. Rarus enim eadem adhibui; nisi ubi pueri, vel adulescentes, in ingentem soporem ac torporem inciderant, aut finito morbo, vitium oculi contraxerant, rubore ac deflusione affecti.

S. XIX.

*Foveæ
& cicatrices
quibus
avertenda* Quum variolæ præsertim confluentes & profundiores faciem rugis, foveis & cicatricibus mirum deformare soleant; puellæ in primis pulchritudini studentes enixe ut hoc avertatur rogant. Multi quidem ut faciem a va-

riolis defendant, primis statim diebus ex invento *Sylvii* suadent, ut pedes frequentier pediluvio immittantur, & sic materia ex superioribus ad inferiores partes trahatur. Sed ego, ne quid dissimulem, nunquam periculum feci, nec ea propter certum quid de experimento hoc affirmare possum. Interim non penitus rejiciendum censeo, sed frequentibus & circumspectis id commendo observationibus. Longe minus iis assensum præbere possum, qui papulas in facie pinguibus, & oleosis, inungere jubent. His enim pori oblinuntur, difflatio impeditur, profundiores reduntur abscessus, & vestigia cicatricum longe magis conspicua. Optimum potius consilium, quando præter superius dicta interna sanguinem depurantia, exterius, antequam penitus arefcant papulæ, linimentum applicatur ex humana axungia, spermate ceti, cera alba, pauillulo balsami de Copaiva & camphoræ. Favet etiam nitori, ac ruborem tollit aqua florum fabarum, rosarum, radices sigilli Salomonis, tribus partibus remixta cum una parte aquæ sic dictæ sclopetariæ.

S. XX.

Accidit haud raro, ut exsiccatis jam, quæ primum effluerant pustulis, ultimis diebus novæ & minores compareant aliæ. Hæ neuiquam negligendæ, & refrigeratione aut improba victus ratione excipiendæ. Si enim recedunt, præter spem fieri possunt funestæ. Hinc curandum, ut sub moderata & æquabili perspiratione hæ pariter & maturefcant, & arefcant.

S. XXI.

Superatis tandem variolis, providendum est, ne alii peioris indolis, supra jam nominati morbi, succrescant. Hunc in finem in primis necessarium, ut prima regio a sordibus, tam in morbo, quam post eum ob languidam digestionem contractis, non semel, sed aliquoties repurgetur, & quidem per laxantia balsamica, acori & corruptioni resistentia, inter quæ eminent rhabarbarina, pilulæ *Avi-*

*Novæ
pustulæ
succrescentes
non negli-
gendæ.*

*Morbi
ex reli-
quis
quibus
præ-
cedendi.*

venne, Ruffi, & quæ in curatione commendavimus Beccherianæ, quæ commodissime prius in aqua destillata, ut menthæ, solutæ, propinantur. Dein convalescentes non nimis cito in publicum prodeant, sed aliquandiu adhuc vitent aerem liberum, tanto magis humidum & frigidum. Servent potius constantem perspirationis successum, eundemque secudent, tam per pota mane in tula theiformia ex herba veronica, scordii, semine fœniculi & anisi, quam etiam pulveres leniter diaphoreticos, per aliquod postea tempus alternis diebus vesperi usurpatos. Fugiant frigidum potum cum gravis materiæ & insalubribus alimentis cunctis, & ad perfectam sanguinis depurationem, abstineant a cerevisia, & bibant aliquandiu decoctum temperatum ex radice scorzonera, cichorei, farsaparilla & semine fœniculi. Neque omitant inter cibos uti iis, quæ languentem stomachi digestionem, ad novos bonos succos ingenerandos necessariam, fulciunt ac firmant.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Variola epidemica anni
MDCXCVIII.*

Constitutio
aeris præcedens.

Insolita plane per aliquot ex postremis superioris sæculi annos fuerat tempestas constitutio. Æstas in primis, propter crebriores boreales vêtos, humida ac frigidior, autumnus fere naturam gesserat, ut raro etiam fructus & uvæ recte potuerint maturefcere. Autumnus effusus pluviis & subinde nivibus, cum pruinis ac nebulis incedens, tempus sordidum, aerem densum, cœlum obscurum & modice frigidum attulerat. Et hyems regnarat mirum mutabilis, squalida, sine constanti & acriori gelu. Accesserat præterea vere anni 1698. maxima in tractu nostro ex torrentibus inundatio, & ob stagnantes

Tom. IV.

passim alveis elapsas aquas, aerem insigniter vitiat. Ut sic perfecta esset ubiq; ad epidemicum morbum dispositio.

Irruebat igitur hoc anno mense Septembri maxima cum vehementia variolarum morbus, & infantes, pueros, adultos utriusque sexus, gravidas item puerperas atque nutrices, inquilinos ac hospites, adoriebatur, ut non facile immunis maneret unus, qui non prius morbo hoc defunctus, & variolorum numerus fere ad bis millesimum, in nostra hac urbe ascenderet. Nonnullis sine, plurimis ex contagio accidit. Ex illis fuerunt potissimum improbo victui, intemperantiæ & computationibus dediti, iracundia commoti, terrore ex aspectu agrotantium maxime aut mortuorum perculsi, timentes & horrentes morbum, necnon qui circumventibus jam variolis, præsertim in domo, quæ ipsos tenebat, purgantibus illarum incursum arcere susceperunt. Contagium vero penetrans maxime & effica x fuit, quod ex sanie jam suppurantium pustularum venit, idque non tantum in eadem domo commorantes infecit, sed in alias ædes, quin remotiora etiam loca translatus, perniciosam suam vim in dispositis corporibus exseruit, infestum potissimum personis constitutionis sanguineæ, phlegmaticæ, pituitosæ, spongiosæ & mollioris corporis habitus.

Sic autem incescit, & sic decurrit epidemica hæc variolarum lues. Antequam in conspectu prodiret exanthema, omnes fere conquesti sunt de dolore dorsi, capitis, lassitudine corporis, calore præternaturali, intercurrente horripilatione, cum pulsu frequenti, appetitus prostratione & somno inquieto. In nonnullis infantibus, rarius in adultis, incepit enormibus vomitionibus, quæ per aliquot interdum persisterunt diès. Qui non vomuerunt, continuum tamen persenserunt conatum vomendi, nauseam & anxietates præcordiorum, modo graviores, modo mitiores. In adultis quibusdam

Variola
paulatim
ex &
sine cō-
tagio.

Sym-
ptoms.
ta an-
tecedē-
tia eru-
ptioni
beni-
gnæ.

& infantibus alvus fluxa, eruptionis tempore iterum consistens; in aliis primum adstricta, & tertio, vel quarto die demum aliquoties sine damno fluens. Frequens etiam multis mingendi stimulus, paucioribus urina, sine damno tamen, per aliquot dies suppressa. Tenelli & lactantes inter continuos ejulatus, pavoribus in somno, alvi adstrictione, vel profluvio, corporis calore & circa finem tertii diei levioribus, quandoque epilepticis insultibus fuerunt affecti. Serosis solennis fuit somnolentia, pruritus corporis, ardens & pruriginosus palpebrarum dolor, illacrymatio & sternutatio. Multis compunctiorius in dorso & pectore sensus. Pueris circa tertium diem nares sæpe sanguinem stillarunt. Ex his etiam primis diebus magnam ascaridum copiam excreverunt nonnulli sine, nonnulli cum periculo. Adulti mirum fuerunt impatientes, subinde aliena multa loquuti delirarunt plane; quod tamen sufficienti narium stillicidio mitigatum, insufficienti vero adauctum.

Malignarum

Hæc pathemata præcesserunt ut plurimum benignas, ubi vero peioris indolis suberant, alia adhuc fuerunt præsto. In infantibus clamores intensissimi, nulla requies, tremores, extremorum mox frigus, mox intensus calor, cum insueto languore, in pessimis fuerunt. In adultis dolor artuum immanis, nec non lumborum, nephriticum & ischiaticum mentiens, gravis præcordiorum angor, delirium cum diarrhoea, punctiorius exquisitus in pectore, vel hypochondrio sensus, tremores, horrores, membrorum incurvatio & contractura. Virium autem a primo statim insultu notabilis prostratio, vertigo, vigilia assidua, sub erecto situ lipothymia, pulsus debilis & frequens, effusus sudor, copiosa urina, salivatio & insolita muci e naribus ejectio, malignam plane prodiderunt indolem, licet interdum nec dolor, nec calor notabilis, nec anxietas, nec sitis adessent.

Signa bona

Intra tertium & quartum diem in

benignis contigit eruptio. Nox antecedens plerumque gravis existit & inquietas, anxietatibus, tremoribus, phantasiis, hæmorrhagiis, quin non nunquam epilepticis commotionibus, quidam etiam bis vel ter deiecerunt. Tum comparuerunt primum maculae rubrae, magnitudine differentes, quandoque exiles & successive incrementum, quandoque latae, in distinctas postea pustulas coeuntes. Factum id primum in superioribus, postea manibus pedibusque copiosissime, tum cruribus pectore ac dorso parcius & in abdomine parcissime. Cum iis in facie effloruerunt simul in faucium, & laryngis internis, labiis & lingua, tumque obortus dolor, ardor, pruritus ac tensio harum partium. In ipsis quidem oculorum tunicis vidimus nullas, sed in superciliis & palpebrarum interna æque ac externa facie collectim consistentes. Unde acerbus oculorum dolor, pruritus & ardor, & sexto die, accedente faciei intumescencia, eorum occlusio ad suppurationem usque durans. Interim promte satis successit eruptio, & ubi pauciores, quinto, ubi copiosiores, sexto die penitus fuit absoluta, symptomata vehementiam posuerunt, pulsus antea concitatissimus, nunc tranquillius, æqualis & fere naturalis, somnus placidus, mens sibi constans, & pectus ab angore liberum redditum.

Malum autem fuit, quando protinus secundo, vel in principio tertii diei, variolarum apparuerunt in facie vestigia, vel his interjectæ pustulae varos referentes, vel etiam exanthema miliare, rubrum aut album; & vicissim quando septimo demum vel octavo die, novæ eruperunt ob materiam copiam & naturam imbecillitatem variolæ. Mala etiam fuerunt, quæ non rubicunda, sed livida, pallida, aut fusca, sessiles item, dura & arida, cum fovea in medio. Pessimæ, quæ facta eruptione, symptomatum non attulerunt levamen. Seri præterea copiosa effusio, sive per sudorem,

*Et max
le eru-
ptionis.*

dorem, sive per urinam, in adultis per alvum, sive salivationem, cum morbo incipiens, & sub eruptionis æque ac suppurationis tempore durans, ut plurimum observata funesta. Mictum tamen cruentum, frequens alias malignarum symptoma, non annotavimus, sanguinem autem ex sinistro oculo, mirum statim tumescente, in puero quinto die mortuo, manasse, novimus. Quibus prævia horripilatione, sub erecto corporis situ, vel ob animi commotionem, disparuerunt variolæ, ingens accidit anxietas corporisque debilitas, & haud leve vitæ periculum. Qui mortui, quinto, sexto, vel septimo die obierunt, vel delirio cum convulsione, vel sopore cum convulsione, aut tetano, posteaquam prævio notabili horrore, evanuisent cuncta ferme exanthemata.

Suppuratio non incipit, sed successus in benigna.

Sexto die in benignè indolis inchoavit suppuratio, ac uti eruptio, gradatim a superioribus ad inferiora processit, nono die ut plurimum, in copiosioribus undecimo, quindecimo demum septimo die, desinens. Elevatæ tum sunt sensim pustulæ, molles, albæ, rotundæ globosæ comparuerunt, limbum rubicundum & pus bonum ex albo flavescens contraxerunt, cutis interjecta tensa, facies & manus, rarius pedes, intumuerunt, & vultus quidem adeo, ut palpebræ clauderentur. Successit ardor, rubor, dolor & tensio in facie potissimum & manibus, accensa denuo febris cum pulsus celeritate, inquietudine & præcordiorum anxietate, in quibusdam, licet innoxie, extremorum tremore. Fuerunt symptomata hæc jam mitiora, jam vehementiora, pro majori, vel minori, papularum in partibus præsertim extremis copia. Leniora etiam eadem observata, in infantibus, feminis, sanguineis, sanguineo phlegmaticis, sero abundantibus & laxiori cutis habitu præditis. Graviora vicissim in adultis, cute stricta, tensa ac dura, & ubi pustulæ profundiores. Nonnunquam in adultis complicata frequens

salivæ ejectio, in infantibus diarrhœa, ut quotidie ter quater deicerent, interdum cinerei coloris, interdum purulenta planè, sine damno tamen. In vigore suppurationis, in iis maxime, quibus alvus per aliquot dies clausa, prodierunt aphthæ, cum ardore & dolore inflammatorio & viscosorum humorum in os confluxu, externis ut plurimum tempestive discessit.

Contra ea mali ominis fuit, quando pustulæ non elevatæ, nec sanie repletæ, sed depressæ manserunt, vacuæ, instar corticis pisi, item si livide, cinereæ & viridescentes aut in medio foveola nigricante conspicuæ. Quod postremum quidem non semper lethale indicium fuisse notavimus, aliis benignis symptomatibus concurrentibus; minimum tamen alieni coloris papulæ profundius subiectam cutem eroderunt. Periculosum dein animadvertimus, si in facie, vel manibus, tumor exiguus, aut planè nullus, aut etiam subito iterum disparens: quando saliva non bene fluxit, sed viscosa fuit, & circa decimum, vel undecimum diem pectus cum suffocationis metu oppressit: neque minus in ancipiti versati, quibus saliva a primo morbi insultu eo usque copiose effluxit, quibus licet rarius id factum, diarrhœa accidit, cruentus vomitus, aut alvi secessus. Maximum periculum imminuit a graviore inflammatione, acerbiori dolore sicco, tensione, pulsu cito, intensa inquiete & anxietate stipata; tanto certius, quando frigore & horrore interpolata, ægri de interno ardore & siti & externo frigore conquesti, inflammatio hæc ut plurimum mortis fuit causa. Febrim enim accendit maxime æstuosam, delirium fecit, vigiliam perpetuam, inquietudinem maximam & corporis in lecto jactationem, quæ demum excipit horror notabilis, pustulas albas reddens, ac demum convulsio letifera. Factum id maxime in adultis, die nono, undecimo, aut decimo quarto. Infantes autem plerumque

Et maligna indolis.

perierunt suffocatione, procul dubio, quod fauces interius copiosis pustulis obfessa & variolosi humoris acrimonia ipsos nervos pneumonicos tunicasque nerveas in spasmodicam exitialem adduxit contractionem.

*Singula-
ria in
suppu-
ratione.*

Ex singularibus observatis fuit, quod sanguis ex papulis suppuratis stillare visus in binis infantibus, uno trium, altero octo annorum, illo evadente, hoc decimo sexto die mortuo, posteaquam die quinto cutis utriusque manus, & die nono crurum, colorem ex atro brunum contraxisset, in luculentum sanguinis subsistentis in sphacelum proni indicium. Duo etiam alii fervati, qui non debita perfuncti suppuratione, sed ingentem copiam furunculorum ardentium loco hujus in universo corpore nati, simul passim efflorescentibus maculis latis, rubicundis, ardentibus.

*Exsiccationis
pericula
pericula.*

Qui suppurationem superarunt, in iis, si clementes pustulae, nono, si copiosiores, undecimo, si copiosissimae, decimo quarto die, detumuerunt iterum partes, ardor imminutus, pulsus sedatior, somnus quietus, pustulae sanie turgidae factae, maturuerunt, & vel sponte dehiscientes, vel perforatae, pus fuderunt coctum. Id eadem ratione ac in eruptione & suppuratione, factum primum in facie, postea in manibus, ac tandem in pedibus. In dorso autem & pectore molliores semper manserunt, nec tanta copia puris repletae sunt, nec crustas crassas conceperunt, forsan, quod ob poros magis aperti, & calorem, materia non tam glutinosa & arida fieri potuerit. Maturae pustulae dein sunt corrugatae, fossulam in medio natae, exaruerunt demum & deciderunt, non sine ardore & pruritu relicto. Quod, quo citius confectum, eo minus subiecta cutis exesa est, & foveis deformata, quo tardius, compactis in unum crustis, extus aridis, subtrus saniem putridam habentibus, eo magis naevi & cicatrices deformantes superfuerunt. Contigit id maxime in iis, quae tem-

pore suppurationis & exsiccationis cinerea & viridescens apparuerunt, nec non ex aegrotis his, qui scalptu intempestivo minus maturas lacerarunt, earumque debitam exsiccationem sic impediverunt.

Absoluta exsiccatione, orti in quibusdam furunculi & abscessus minuti, omnem corporis ambitum cum dolore, ardore & febrili calore obsidentes. Aliis accidit temporaria manuum pedumque imbecillitas, vel contractura, balneis & linimentis spirituosissimis promte in plurimis quidem abacta, in nonnullis tamen cacoehymicis & maturam opem negligentibus, transiens in ulcera circa articulorum epiphyses ægerrime sanabilia, quae incongruis remediis in pessimas & tabificas fistulas degenerarunt. In serolis & cataractis successerunt tumores glandularum, in primis colli, insignes, duri & renitentes, emplastris tamen emollientibus & discutientibus feliciter cedentes. Infantibus praesertim & adolescentibus, post variolas frequens fuit malum epiphora, sive continuum lacrymarum stillicidium, cum dolore, rubore & luminis intolerantia. Cui, nisi cito occursum, turbidi reddituri oculi, & tennes in cornea enatae tunicae, visum quodammodo imminuentes. Qui nimis cibos gravis materiae assumerunt, vel carnes avidius comederunt, aut praemature lecto surgentes, corporis experti sunt refrigerium, incurrerunt de novo anxietates, vomitus, immo diarrhoeas, magna quidem cum debilitate, sed sine periculo.

*Et post
eam pa-
thema-
ta.*

Jam in debellanda epidemica hac lue ita sum versatus: incursum quidem ipsius arcere ab iis, qui nondum experti, per remedia fuit irritum, id tamen observatum, vitae temperantiam, victum laudabilem, naturae cujuscumque accommodatum, abstinentiam a liquoribus spirituosissimis & calidis inebriantibus, & animum tranquillum, tantum effecisse, ut paucis be-

*Penitus
arcevi
non po-
tuerunt,
sed mi-
tiores
redidi.*

nignæ, & periculi ut plurimum expertes variolæ in cutem exiverint. Tanto certius, quando frequens usus pulveris absorbentis, præcipitantis, nitrosi, adjunctus. Ii quoque, qui primam regionem aliquoties a sordibus repurgarunt, minus copiosas minori periculo sunt nacti. Sed clementibus, rhabarbarinis, tamarindinatis, manatis & tartareis, non vero aloeticis, colocynthiacis, acribus & resinosis, id fuit perficiendum, optime ante morbum, priusquam sanguis a miasmate infectus; licet id sine damno etiam factum noverim, quum præstolo jam essent symptomatum nonnulla. Vomitoriis autem uti, interdixerunt ut plurimum circumstantia, licet alio tempore eadem alexipharmacis nupta apprimè proficua deprehenderim. Neque universalis fuit illa variolarum copiam arcendi methodus, quam post Sydenhamum, Waldschmidius alique celebres in Hassia Medici dilaudarunt, per crebriorem spirituum mineralium acidorum bene præparatorum, ante infectionem, vel etiam primis morbi diebus, usum, sub temperato tantum regimine. Non enim potuit hoc remedium, omni etiam diligentia adhibitum, extinguere malignitatem in nonnullorum sanguine, nec variolas numerosas declinare. Quin observavi, complures ex illostribus, aliquot antivariolosi liquoris absumsisse ante & post invasionem uncias, nihilo tamen fecius copiosis conspersos fuisse pustulis, vehementissimis symptomatibus stipatis. In quibus id præterea singulare fuit, quod papulæ siccæscientes magnam exteruerint corrosivitatē, profundius serpendo & depascendo subjectam carnem, insigni cum dolore, ardore & inquietudine.

Qui igitur morbo affecti, his æquabile caloris temperamentum commendavi, & suavi, ut quamdiu vires ferrent, lectum vitarent, aut minimum culcitris ex corio, minus calentibus, uterentur. Ab omnibus etiam calidis, expellentibus, sic dictis alexipharmacis & bezoardicis, volatilibus, ipsa bezoardica tinctura, abstini, præse. im in juvenili & florida ætate, in sanguineis atque plethoricis. Laudatissimus inventus spiritus nitri probe dulcificatus, (cujus loco jam inventum a me liquorem anodynum mineralem; majori adhuc cum fructu, usurpare soleo) cum anatica portione syrupi papaveris erratici mixtus, additis aliquot mixturæ simplicis guttis. Frequens etiam fuit usus pulveris temperantis, ex matre perlarum, antimonio diaphoretico, cornu cervi sine igne parato, cum tantillo nitri puri. Et vehiculum præbuit aqua scordii, scabiosæ, florum tilia, sambuci, papaveris rheados & cerasorum nigrorum. Eadem quoque usurpata, ubi malignitatem prodiderunt symptomata, & præterea pulveri pro una dosi adjectum vel dimidium granum theriacæ cœlestis, vel momentum camphoræ, cujus præstabilem virtutem cum nitro in malignis variolis semper deprehendi.

Ingruente eruptione, præscripta ut plurimum emulsio, ex aquis florum sambuci, acaciæ, scæniculi, scabiosæ, scordii, cerasorum nigrorum, seminibus napi, aquilegiæ, cardui mariæ, cum matre perlarum & julpio rosaceo. Tum etiam corpus curatius a frigoris accessu defendere jussi, & calorem, præsertim die quinto & circa noctem, tantisper intendere, ita tamen ut subjecti semper haberetur ratio, nec non diversæ ætatis, temperiei, copiar vel motus sanguinis. Docuit enim experientia, deficiente calore externo sufficiente, eruptionem, in infantibus potissimum & phlegmaticis, minus expedire successisse, pustulas jam protrusas iterum collabi lenteque refugere capisse, relicta quadam præcordiorum anxietate. Hinc quando in cutem jam plenius ivissent variolæ, ad expellendas reliquias, essentia scordii probe saturata, vel liquore bezoardico Bussiano, cum liquore anodyno minerali

Sub eruptione.

Quid scilicet an-
te eru-
ptionem.

remixto, cum fructu sum usus, tanto magis in malignis.

*Suppurati-
one.* Exulcerationis tempore, si ob natu-
ræ segnitiam pustulæ manserunt de-
pressa, & elevationem tenuerunt, præ-
stans fuit facultas myrrhæ, aliquot
granis, cum pauxillo croci & pulvere
bezoardico oblata. Sed non nisi in
principio: in statu enim suppurationis
inflammatoria febris a myrrhatis
increvit. Neque unquam usurpata
hæc, ubi suppuratio sponte recte suc-
cessit. Urgente in exulcerationis vi-
gore æstu & ardore, emulsione insti-
ti, substituto in locum seminis napi,
semine papaveris albi, & in locum
julepi rosarum, syrupo papaveris.

*Exsic-
catione.* Absoluta suppuratione, sicciscen-
tibus jam in facie & manibus pustulis
& febre deservescente, proficuum ob-
servavi pulverem ex lapidibus cancro-
rum, antimonio diaphoretico, myr-
rha electa & croco, qui exsiccationem
& consolidationem, balsamica &
temperante sua virtute egregie pro-
movit. Per totum præterea morbi
decursum, loco cerevisiæ, decoctum
ex cornu cervi raspatum, radice scorzo-
neræ, hordeo mundo, semine fœni-
culi & ficubus, tepefactum bibere
jussi, cum emolumento; sed infusa
calida herbarum veronicæ, sca-
biosæ, herbæ theæ, eruptionis &
suppurationis tempore, liberaliter
pota, minus proficua deprehendi.

*Sympto-
matum
melica-
rio, hæ-
gmorrhæ-
iæ.* Ex symptomatibus narium hæ-
morrhagia caute fuit excipienda: si
enim principio statim repressa, san-
guis cum impetu ad caput latus, phre-
nitidem, vertiginem, deliria,
aliaque horrenda symptomata intulit.
Si nimium excretum, defecit
vis ad expellendam extrorsum va-
riolarum materiam. Optimum igitur
sub profluvio pedes a refrigeratione
defendere, interius usurpare
diaseordium *Fracaistorii* cum nitro,
& externe, si effusior excretio,
naribus attrahere & collo atque
temporibus tepide apponere acetum
rosaceum cum camphora.

Ad delirium in eruptionis puncto
nimis atrox, nec emissis jam in cutem
variolis cessans, componendum, ne
in phrenesin mutetur, expertæ virtu-
tis fuit spiritus vini camphoratus,
cum oleo ligni Rhodii, tam naribus
haustus, quam tepide iterato fronti
& temporibus admotus. Adversus
præcordiorum anxietates, tremores,
inquietudines, pavores in somno,
convulsionem, horrores, & variolarum
retrocessionem, probati usus hoc: re-
cipe essentia castorei paululum inspif-
latae chachnam unam, camphoræ
grana tria, extracti croci granum
unum. Quo præsentissimum ægris
levamen allatum.

*Diarr-
hææ.* Diarrhœas sistere periculosum fuit;
si tamen vehementia & virium defe-
ctus urgit, pulvere bezoardico cum
chaccarillæ cortice, id præstitum.
Nec prætereunda nitri in compescen-
dis his alvi fluxibus facultas, expe-
rientia, contra vulgarem sententiam,
multoties confirmata.

*Fauciū,
narium
& oculo-
rum pa-
thematū.* Faucium, laryngis & cesophagi ar-
dorem ac dolorem ab insidentibus pu-
stulis, lenire & ab ulteriori infessu de-
fendere jussi decocto florum sambuci,
liquiritiæ, ficuum, nec non solo la-
cte calido, cum ficubus & croco deco-
cto. Si anginosa subsuit inflammatio,
juvit aqua florum sambuci, cum rob
diamoron, nitro & croco. Aphthæ
& labia dolentia inuncta mucilagine
seminis cydoniorum. Eadem mucila-
go cum aqua florum sambuci & rosa-
rum extracta, adjecto croci & cam-
phoræ momento, mirifice profuit in
pruritu, ardore & rubore oculorum,
nec non ad eos, si clausi, aperiendos,
Nares obturatæ litu olei amygdala-
rum dulcium, vel lini, adaptatæ.

*Cutis vi-
riorum.* Crustæ papularum duræ emollitæ,
& cutis subtus ab acri humore exesa
consolidata linimento ex tinctura tar-
tari, essentia myrrhæ, oleo amyda-
larum dulcium & camphora. Ad de-
lendas, decisis crustis, cicatrices, con-
ducibile fuit unguentum ex axungia
humana, spermate ceti, saccharo sa-
turni.

turni, magiſterio biſmuthi & oleo tartari per deliquium. Reſſitantia demum ulcera unguento de ceruſſa camphorato utiliter tractata.

Obſervatio de venæ ſectio- ne opia- tis & pa- paveraceis. Cæterum ſanguinis miſſio, neque ad præſervationem, neque ad curationem, utilis obſervata. Ab opiatīs & ſoporiferis interius abſtinui, aliorum medicatione edoſtus, inde in variolis copioſis majores obortas anxietates, & ante exquiſitum ſuppurætionis tempus, periculofum ſoporem cum tremore & membrorum ſuccuſſione fuiſſe ſuſcitatum. Papaveracea autem leniſſima, ſemen papaveris albi in emulſione, aqua papaveris rhœados ejusdemque ſyrupus, utique fuerunt ſaluberrima.

Concluſ. Atque hæc eſt illa methodus, & hæc ſunt remedia, quibus ego uſus ſum in magno ægrotantium, centum minimum & quinquaginta numero, e quibus aliquot illuſtriſſima multique generoſa ſtirpe geniti, hac in academia tum commorantes. Felix etiam fuit per DEI gratiam ſuccellus, maxima pars evaſit, & vigelima vix mortua, & ex his maxime, qui malignis affecti. Servavi poſtea eandem ſemper mendi rationem, & triginta qui inde elapſi ſunt annorum experientia confirmatum habeo, vix ulla alia in variolarum morbo proficua eſſe atque accommodata.

OBSERVATIO II.

Pathemata in ſolita ex alvo obſtruſta in variolis. Generoſus adoleſcens, exquiſiti ſenſus, activæ indolis & macilentus, ſuperiori anno variolis affectus eſt, quæ ſine vehementia ſymptomatum, plane ſatide ſatis & ordinate in conſpectu venerunt. Quum vero circa ſextum diem ad ſuppurætionem accederent, præter opinionem miris afflictus eſt præcordiorum anxietatibus, conqueſtus ſimul de dolore abdominis, inquietus fuit, ſomnum capere non potuit, & deſiderandi ſtimulus ipſum dimidia quavis hora e lecto ſurgere coegit, ſed ſine ſecellu. Licet autem hæc ultra diem & no-

ctem urgerent, æſtus tamen nec intensior, nec pulſus celerior factus. Ego accerſitus in conſilium, inquiſivi, num ſub morbo jam deſeceriſſet reſponſum tuli: nec in morbo, nec, quantum quidem recordari poſſet, tri- duo ante ipſum id eſſe factum. Illico igitur injicere juſſi clyſterem emollientem, oleoſum, cum modico ſalis, flatuum vero & excrementorum reniſus non totum, ſed tertiam vix partem admiliſi; ad ſellam tamen expertus eſt inſtinctum, ibique perſenſit in- hærens oriſicio ani ſtercus durum & grandi mole, licet egerendi irritus eſſet conatus. Hinc iterato enema in- fundere juſſi, & interius dare non dubitavi piſanam mannatam, cum cre- more tartari & oleo amygdalarum dulcium. Soluta inde alvus & per ali- quot ſedes incredibilis fere ſcybalorum indurætorum copia egeſta, æger etiã a prioribus ſymptomatibus liberatus, ſomnum recepit, variolæ rite ſuppurætionem ſubjere, & cura reli- qua ex voto ſuccellit.

Epicriſis.

Quale ſit alvi beneficium, in omni morbo quærendum: ſi enim quis in morbum, maximeque in variolas & morbillos, in quibus ordinario primis diebus alvus adſtriſta, incidit, & in- teſtina jam tum ſtercorum copia ſar- cta, magna non poſſunt non inſequi pathemata, quorum cauſam medicus vix perſpicere valet. Hinc in quocun- que morbo ab initio ſtatim proſpiciẽ- dum, ut alvus ab excrementis ſit de- pleta, ſive id commodiſſime fiat per enema, ſive per laxans internum.

OBSERVATIO III.

A matre hyſterica, inordinate vi- vente, ſub graviditate autem optime ſemper valente, procreati erant tres *Variolæ mali mo- tis ex vi- cio ma- terni ſucci.* infantes. Hos anno 1718. cor- ripuit variolarum morbus publice graſſans. Is licet non adeo mali eſſet in aliis moris, in his tamen inſolita habuit pathemata. In uno quippe, puero

puero quinquenni, eruptio, licet febris cum consuetis symptomatibus adesset, per octiduum duravit, & suppuratio etiam longius quam fieri suevit, potraeta fuit. In altero, puero quatuor annorum, secundo statim die prodierunt, interspersis maculis asperioribus quasi purpuraceis, æstus & pulsus per totum morbum fuit idem præternaturalis, pustulæ manserunt sessiles, pus non conceperunt, & plurimæ punctulo nigro fuerunt conspicuæ. Et in forore, puella septenni, variolæ confertim occuparunt fauces & guttur, ut vix solidi vel fluidi quidpiam deglutire, quin spiritum trahere posset. Nihilominus usu convenientium & tutissimorum remediorum, temporis beneficio, discessit hic morbus. Sed quum appetitu redeunte, plus ingererent, quam debile corpus ferre posset, nec rigidam & ventosam auram vitarent, factum est, ut in tribus his infantibus passim orirentur dolores & tumores in articulis, junctura præsertim cubiti, in digitis manuum, plantis pedum, ipso etiam in collo, cum febre lenta. Medicus & chirurgus omnem quidem contulerunt operam; nihilo tamen secius nata inde ulcera ferina, carnem exedentia & ossa cum nigrore corrumpentia, accessit tabes & virium maxima prostratio, ut etiam pueri bini sub initio tertii mensis satis cederent. Puella autem, non adeo malignis ulceribus affecta, servata: ego quippe in consilium vocatus, pro potu suasi emulsionem ex decocto hordei, seminibus cucurbitæ & melonum cum saccharo. Sumtus cum hac pulvis noster bezoardicus, crebriori, sed parciore dosi, adjectis quandoque aliquot granis reguli antimonii medicinalis, quandoque nitri. Ad alvum laxandam datus syrupus rosarum solutivus cum extracto rhabarbari & mercurio dulci, omniaque hæc per aliquot hebdomades continuata interius. Exterius vero ulceribus putridis injectum balsamum nostrum vulnerarium, cujus

principale ingrediens balsamus sulphuris antimoniatus, cum oleo terebinthinæ paratus, idque potissimum, remixtum cum essentia myrrhæ, succini & balsamo Peruviano, miram præstitit opem in ulcere quatuor foraminibus in olecrano hiante. Tumori- bus quoque indolentibus ac duris, quibus pedes passim obsessi, impositum emplastrum *Vigonis* de ranis, aucta mercurii portione & admixtis floribus sulphuris. Quibus demum intra aliquot menses ex mortis faucibus erpta puella.

Epicrisis.

I. Femina valetudinaria, si uterum gerentes minus ægrotant, infantes edere solent infirmos, & potissimum in variolis & morbillis graviter decumbentes, & credibile, in embryonem impuros matris succos defluxisse.

II. Variolarum morbus in se satis mitis est, si benignos in corpore offendit succos, earumque materia non adeo est virulenta; contra ea, quando in corpus incidit impurum & fermentum a prima nativitate contractum malignum, pessimi generis emergunt variolæ, licet tum in aliis admodum sint benignæ.

III. Ubi exanthemata variolosa malignæ ex symptomatibus cognoscendæ sunt indolis, nunquam iis fidendum, etiam si jam aruerint & lapsæ sint pustulæ. Ita enim sanguinis & humorum massam inquinare solent, ut accedente improba victus ratione, perspiratione intercepta & neglecta repetita primæ regionis & ipsius sanguinis repurgatione, postea insequantur gravissimi & lethales morbi, apostemata, abscessus in internis partibus, in mesenterio maxime & pulmonibus, cum febre lenta & hæctica, in externis vero pessima & foeda ulcera cancrofa, exedentia.

IV. Quæ autem tum variolas excipere solent mala, non aliter oppugnanda, ac morbi, qui extremæ humorum corruptioni debentur. Unde

me-

memini, a peritis medicis & chirurgis ejusmodi maligna ulcera inunctione leviori cum hydrargyro, item mercurio dulci cum laxante dato, nec non decoctis temperatis, cum antimonio crudo, fuisse perfanata, modo febris abfit.

OBSERVATIO IV.

Scabies, furunculi, morbilli & variolæ in uno successivæ.

Juvenis literarum studiosus, victus & vivendi rationis incuriosus, scabie humida & pustulosa per aliquot menses laboravit, liberatus decoctis & linimento, quod pro basi habebat flores sulphuris. Non ita multo post correptus est morbillis, tum epidemicis, quos pariter evasit. Sed post binas hebdomades effloruerunt sensim in universo corpore furunculi copiosi, quorum nonnulli insigni inflammatione stipati, in profundos ægre sanabiles abscessus abierunt, donec decoctis mundificantibus, laxantibus appropriatis, maxime mercurialibus, & lenioribus diaphoreticis, sanarentur tandem. Elapso inde circiter mense, denuo in variolarum incidit morbum, gravibus symptomatibus incidentem. Erant enim maxima ex parte confluentes, septimo vix die, licet febris adesset, comparuerunt, ægre quoque subierunt suppurationem, depressæ potius manserunt, nec post eruptionem pulsuum frequentia ex toto remisit. Egregium tamen levamen æger obtinuit solutione myrrhæ & croci in dilutiore liquore salis tartari, a cujus usu ad sensum successit suppuration, & variolæ cum symptomatibus ad legitimum decursum tractæ. Continuatus igitur longius hujus remedii usus, siccatis etiam jam & decidentibus pustulis, & notabile fuit, sub ipsa suppuratione alvum quotidie sponte vel lepties fluxisse, æstumque febrilem, quatum aliàs auctior, fuisse mitigatum. Quo etiam factum, ut juvenis hic integram penitus recuperaret sanitatem.

Epicrisis.

I. Variolarum & morbillorum materia, sive, ut ita loqui liceat, fermentum, neutiquam in malsa sanguinis & humorum delitescit, neque etiam a sola impuritate, sive cacochymia humorum venit. Aliàs enim repurgatis in hoc juvene per scabiem & furunculos sanguine & succis, non amplius potuisset habere locum. Hinc potius credibile, materialem horum exanthematum causam infixam esse firmius tubulis partis cujusdam stabilis, ibique, haud secus ac cancri & canis rabidi virus, tam diu oculi, donec a contagio, vel specifico quodam liquido, vel aere in actum deducatur & sui juris fiat.

II. Alvi fluxus, non, uti vulgaris est sententia, in hoc morbo adeo est pertimescendus, nec suppurationem semper impedit, nec materiam ad interiora vocat, sed in variolis etiam mali moris, sæpe, expurgando excrementitios succos, in salutem cedit, haud secus ac febres malignas diarrhœa haud raro solvi novimus.

III. Solutio myrrhæ, cum croco, in liquore alcalino minus spirituofo, egregia omnino ad sanguinis depurationem, sulphur blandum & balsamicum vappidis humoribus reddendum, & ad præscindendos multos, qui variolas excipere solent, graves affectus.

OBSERVATIO V.

Binæ puellæ gemellæ quatuor annorum, quarum una habitior, grandior, animo segnis & torpida, altera macilentior, statura minor, animo autem magis sentiens & vegeta, uno tempore eundem variolarum morbum incurrerunt, sed in alterutra diverso modo & eventu succedentem. In utraque erant confluentes, sed in obesiori illa tardo admodum, die septimo, prodierunt, pus contrahere noluerunt, in facie & manibus fuerunt sanguinolentæ, & apertæ serum plorarunt sanguineum, ægram inte-

rim

rim miræ disruciuntur anxietates, cum febre & siti continua fomique defectu, donec undecimo die exspiraret. Altera vero omnia habuit mitiora, tertio die venerunt papulæ, nono aruerunt, deciderunt, & ipsa mox convaluit.

Epicrisis.

Infantes hæc eodem succo matris nutritæ, eodem victu & regimine usque, eodem morbo implicite, eodem contagio infectæ, eadem methodo iisdemque medicamentis tractatæ sunt, plane dissimili tamen successu & eventu. Patescit igitur, sanitatem corporis, animi viriumque integritatem, morborum originem, decursum & finem, non tam a causis externis, cibo, potu, aere, regimine, quin medicamentis, dependere, quam potius a peculiari, & specifica partium solidarum structura, proportionem & dispositionem, & hanc ob id omnino magis a Medico esse considerandam, quam solam conditionem fluidorum horumque naturam.

OBSERVATIO VI.

*Variola
primo die
funesta.*

Juvenis succulentus & sanguineus, generosus, cujus familiæ variolarum morbus maxime fatalis, degerat ruri & autumnali tempore venationi, & mane, & in seram usque noctem, plus justo sub cælo pluvioso ac nebuloso indulserat, & postea huc delatus, crapula ex vino & esu ostrearum corpus debilitarat, & stomacho vim fecerat. Altero die post incidit in variolarum popularem eo tempore morbum. Invasit quippe eundem primum horror & vehemens anxius æstus, in sequente nocte admodum inquieta. Die post impatiens fuit, conquestrus de exquisito spinæ & capitis dolore, delira & absorta multa protulit, & alvus fuit adstricta. Injunctus hinc ad avocandos a capite humores clyster, quo alvus respondit. Data quoque æstum refrænantia, acidula, nitrofa, pulveres præcipitantes & absorbentes. Inde

mitigatum delirium, & intra tertium & quartum diem eruperunt in facie maculæ exiles, aciculæ capitis magnitudine, simulque pustulæ asperæ miliares albæ & rubræ. Quinto die manus & pectus occupant pustulæ, tam numerosæ, ut vix spatium inter ipsas esset relictum. Hoc facto, remiserunt quidem symptomata cum æstu, pustulæ autem ægre maturuerunt, facies justo minus intumuit, pulsus semper mansit frequens, & septimo die tam exquisitus ardor & dolor tensus in manibus abortus, ut plane esset intolerabilis; lectum & locum mutare voluit æger, frigidaque ad manuum incendium restringendum contrectare; somnus aderat nullus, spiratio vero anxiosa & difficilis, & pectus obsessum humorum copia, suffocationem minitante. Applicata enemata, exhibitæ emulsiones cum pulveribus bezoardicis ac temperantibus, sed omnia incassum, eodem potius die accidit extremorum refrigeratio, subsequente convulsione & brevi post ipsa morte.

Epicrisis.

Haud adeo infrequens est, variolas certis familiis magis esse infestas atque funestas, cujus tamen causa minus cognita. Id vero in comperto, multum ad pessimam variolarum naturam conferre corporis refrigerationem, ingluviem incongruorum & ebrietatem. Quæ si præcesserunt & paullo post morbus impetit, expedit omnino, antequam tota œconomia motuum turbetur, colluviem ex primis viis idoneo laxante vel emetico exturbare. Primæ enim regionis sordes mirifice impediunt materiæ variolosæ salutarem exitum, immo vim morbi augment. Et si tum natura alvi movet fluxum, egregie pro sanitate est. Ut plurimum vero variolosi moriuntur convulsione, quæ suscitatur ab intolerabili æstu ac dolore in suppuratione pustularum, inprimis si cuti profundius insident, corpus juvenile est ac tenerioris texturæ.

OBSERVATIO VII.

*Variola
in lactan-
te cum
diffinitione
sanata.*

Subito corripiebatur infans lactans unius anni motibus epilepticis, qui singulis horæ quadrantibus impetentes, per 24. horas insistebant. Pro- rumpebant inde dentes canini & aculeos visui & tactui sistebant, die post comparebant etiam variolæ, non ut ordinarie solet, sed primum in manibus & pectore, & postea in facie. Nutrici magis quam tenello dabantur medicamenta. Huic quidem præter pulverem Marchionis, cum specifico cephalico *Michaelis*, fere nihil, & illi pulvis bezoardicus noster cum precipitante remixtus, elixir pectorale crocatum & liquor ex myrrha, croco & salis tartari solutione. Quibus & dentitio & variolæ successerunt feliciter.

Epicrisis.

Non mirum eruptionem, & dentitium, in primis caninorum, & variolarum, tam atroces præcessisse insultus epilepticos. Quod autem variolæ serius in facie effloruerint, id præcubio tribuendum spasticis tractionibus & strictionibus ex dentitione in hac regione vigentibus, poris inde nimium coarctatis, materiam impuram non admittentibus. In lactantibus tenellis variolis affectis, medicamenta magis nutrici sunt præbenda talia, quæ acrimoniam imbibendo, succum chylousum & nutrimentum dulcem ac roscidum reddunt, quo materia caustica, quam optime cicuratur ac temperatur.

OBSERVATIO VIII.

*Variola
maligna
post hunc
erectum
arthralia.*

Adolescens generosus incidit in variolas, non quidem confluentes, nec nimis copiosas, nec intensa febre, nec aliis gravibus symptomatibus stipatas; pulsus tamen absoluta etiam ferme eruptione debilis & frequens mansit, somnolentia adfuit fere continua, æger semper & a somno magis languit, pustulæ elevatae quidem, sed pelluci-

do humore plenæ, in medio compianatæ, & nonnullæ punctulo nigro insignitæ. Nonno die, æger e lecto, ab adstantibus sternendo, levatus, sellæ in conclavi calido & stragulis tectus impositus est, sed per quadrantem vix horæ erectus sedens, rogavit, ut in lectum ipsum cito transferrent propter obrepentem animi defectionem. Factum id. Conciderunt tamen subito papulæ, pedes frigefacti, pectus oppressum, spiritus interclusus, & subsequuti motus convulsivi, quibus post aliquot horas æger extinctus.

Epicrisis.

Malignitatis characteres habuerunt hæ variolæ a principio statim, pulsus, somnolentiam cum virium lapsu, pustulas pellucidas, in medio depressoas & nigricantes. Sub ejusmodi morbi facie & virium languore, semper admodum perniciosum, ægrum paullo diutius in erecto situ servare. Languidior enim cordis pulsus non sufficit ad trudendum perpendiculari via versus caput sanguinem, unde animi fit deliquium, sub quo motus sanguinis elanguescit, ad interiora convertitur, cor obruitur, extrema frigent, cutis contrahitur, materia virulenta ad interiora & nervosas partes repellitur, in capite sanguis stagnat, & convulsionem demum facit lethalem.

OBSERVATIO IX.

Generosa virgo, quatuordecim annorum, grassantibus variolis de ingenti capitis & lumborum dolore conquirebatur, cum æstu præternaturali siti & corporis lassitudine, cutis mox horrebat, mox calebat. Medicus vocatus, variolarum morbum subesse conjiciens, mixturam ex spiritus natri dulcis & tincturæ bezoardicæ ana-drachma & scrupulis duobus syrupi papaveris rhœados, singulis horis, ad quadraginta guttas porrigebat, sed ægra post hujus usum alimenta omnia

*Emetico-
laxans in
eruptione vario-
larum cum
fructu
datum.*

vomitum rejiciebat, & inquietudo cum anxietate & virium prostratione admodum urgebat. Dabatur igitur hæc mixtura: recipe aquæ florum sambuci, acaciæ, cornu cervi citratæ ana unciam unam semis, theriacalis drachmam semis, lapidis bezoardici orientalis scrupulum, spiritus salis ammoniaci guttas X. croci grana tria. Qua binis vicibus assumpta, ægra stragulis obtegebatur, & in hypocaufto calido ad sudorem cogeatur. Sedabatur vomitus, & intra secundum & tertium diem cum æstu intensissimo prodibant maculæ. Sed quum ob calorem ardentem strata removerentur, mox corripiebatur horrore, & maculæ illico disperebant, insequente summa inquietudine, anxietate & vomendi stimulo. Eveniebat hæc vicissitudo aliquoties quotidie, ut bis vel ter aucto calore comparerent, & diminuto disparerent iterum. Medicus certior factus præcessisse malam diætam & ingluviem fructuum horæorum dulcium, lacticiniorum, casei & acetariorum, ventriculum & primum intestinum multa obfessum esse saburra ratus est, ideoque, quum præterea alvus per quatuor dies fuisset strictior, hanc in usum vocavit potionem: recipe mannæ electæ drachmas sex, tartari emetici granum, aquæ cardui benedicti uncias duas, mixturæ simplicis guttas decem. M.D. Assumpta hac, plus quam decem sequuti vomitus, pituitæ viscidæ & subviridis, nec non aliquot feces. Postea data essentia theriacalis, cum aqua liliorum convallium, paulisper spirituosæ, qua vomitus & alvi fluxus sedatus, anxietates omnes remiserunt, & diffuso per universum corpus calore æquabili, copiosissimæ cum impetu quasi in facie, manibus, pectore & pedibus erupunt variolæ, stationem servantes & suppurationem quam optime subeunt, sine sævis symptomatibus. Inprimis plantæ pedum variolis fuerunt refertæ, sub cute ibi crassiori delitescen-
tibus, & sub exulceratione graves fuscis

tantibus dolores, qui tamen spiritu vini camphorato cum oleo amygdalarum dulcium deliniti, secedente in exsiccatione cute totius plantæ.

Epicrisis.

Nil certe pejus est, ac si variolarum morbus invadit corpus, in quo ventriculus & primæ viæ cruditatibus colluvie obfessæ. Inde enim augentur anxietates, spasmi invalescunt, & ad extremam cutem diffusi, horripilationem ibi faciunt, ejusque constrictionem. Inanis hinc labor est, tum expulsiōnem internis & calore extremo urgere, quin noxius ante debitum eruptionis tempus, eo quod vi pulsæ variolæ admodum sunt instabiles, & cum pathematum exacerbatione iterum recedunt. Utile potius ventriculū convenienti laxante & emetico a saburra deplere, quod etiam ipsa natura per nauseam & vomendi desiderium innuit. Patet igitur, emetica, ante eruptionem data, non tam facile nocere, sed potius, levata ab onere natura, eandem promovere. Sed imperitus non facile imitetur heic facta cum fructu. Semper enim distinguendum est inter vomitum & conatum vomendi, qui ab illuvie vitioforum humorum prima in regione, & inter illum, qui ab acrimonia subtili caustica nervosis tunicis in hærente oboritur. In illo utilissima vomitoria, in hoc nocentissima.

OBSERVATIO X.

Puer quadriennis, grassantibus in Noxe ex parentum domo variolis, iisdem calore re- quibus invadere solent, afficitur pathematis. Mater hinc ipsum includit hypocaufto & lecto calido pedibus-
que lagenam aqua fervente plenam admovent. Medicus senex consultus omnia habet rata, & præterea ob pavores & ad promovendam eruptionem spiritum cornu cervi cum essentia castorei porrigit. Sed secundo die insul-
tus

tus accedunt epileptici, cum anxia & quasi suffocatoria respiratione, somno terroribus pleno, maximaque inquietudine. Me igitur advocant, qui adveni-
niens fenestras provide aperire & stragula nimia remove- jubeo, & loco spiritus cornu cervi, spiritum nitri dulcem, cum syrupo papaveris rhœados, item pulverem Marchionis, cum nitro & cinnabari exhibeo. Inde post paucum tempus symptomatum vehementia mitigata, penitusque remisit, maculae placide & copiose prodierunt, totiusque morbi curatio ex voto successit.

Epicrisis.

Pessimus, vulgi inprimis, mos est, variolosos calidissimo regimine excipere, & pessimum consilium expellenti-
tia & sanguinem exagitantia offerre. Pereunt enim hac ratione plures, vel minimum in gravia adducuntur pathemata. Memorabilis de eodem hoc cornu cervi spiritus est casus in *Amanni Medicina critica*, de tribus liberis, a paullo liberaliori ejusdem dosi, enectis. Hinc laude merito dignus *Sydenham*, qui primus fere hunc errorem detexit, & contrariam plane suavit methodum, temperantia nempe, motum sanguinis nimium sedantia, anodyna & acidula temperata, cum moderato regimine.

OBSERVATIO IX.

Cancrofa corruptio in labio post variolas lethalis. Diu admodum tertiana laborat puella quindecim annorum, qua demum discedente, variolae publice circum-
euntes successerunt, ut illa in has tantum non mutata videretur. Prodi-
bant interim feliciter & sanabantur. Sed ellicatis iisdem, remanebat macula rubicanda acerbè dolens in labio inferiori, quae aucto paulatim rubore, cum acri ardore in tumore plane elevabatur. Imposito a balneatore cataplasmate ex albumine ovi & bolo Armena, nigra cum vicina carne com-
parebat, sine omni sensu. Sphacelum igitur adesse ratus, applicabat deco-

Tom. IV.

ctum sic dictum nigrum, ex herbis amaricantibus, foliis quercus, cum aceto & vitriolo, sed malum longe magis invalescebat, & brevi adeo putrida in-
crescebat corruptio, ut labia cum gingivis penitus absumerentur, ipsique dentes nigrore inficerentur. Admove-
bantur quidem alia putredini efficaci-
ter resistentia, una cum internis alexipharmacis, sed frustra plane, ægra ob id, consumtis post aliquot hebdomades viribus, miserrime pereunte.

Epicrisis.

Causa horrendæ catastrophes vix alia, quam quod variolæ inciderunt in corpus, in quo per diuturnam febrem & calorem vires consumptæ, & benigni ac temperati succi dyscrasiam viscidam, impuram, excrementitiam contraxerunt. Quum enim ipsæ variolæ jam ejus sint indolis, ut roscois corporis succos consumant & putres ulcerationes ob id sæpe relinquant, mirum non est, cancrasiam corruptionem in tam imbecilli & impuro corpore fuisse subortam. Discant autem hinc medicinam facientes, variolas in sordidis & infirmis corporibus circumspicere esse tractandas, & superatis iisdem, eo quæ maxime enitendum, quo dyscrasia humorum per laxantia, diaphoretica, decocta & infusa, tollatur penitus. Plures hac de re legantur observationes in *Consil. medicis tom. 2. sect. 4. 197.*

CAPUT VIII.

De febre Morbillofa.

Theses Pathologicae.

§. I.

Morbillofa febris est catarrhalis exanthematica, ut plurimum epidemica, qua motu vitali cordis & arteriarum aucto, materia acris, caustica, inflammans, ex interioribus, nervosis maxime partibus, sub forma macularum rubrarum ad cutem pellitur.

Morbillofa febris descriptio.

§. II.

In scholis & scriptis medicorum ple-
rumque quidem morbilli simul cum variolis pertractantur. Nec negan-

Ejusdiagnosistifficentia a variolis.

G dum,

dum, multum utriſque eſſe affinitatis. Utraque enim febris exanthematica, contagioſa & epidemica, omnibus fere hominibus perpetiendâ; utraque certis temporibus magis, vel minus benigna, & ſequitur quam maxime athmoſphæræ ſtatum, corporis diſpoſitionem ac temperamentum. Sed mihi placuit morbillorum morbum ſeorſim perquirere, quum inſignis tam quoad cauſam & genium, quam diagnoſin & prognôſin, utriſque intercedat differentia. In morbillis quippe materia non tam pernicioſa, non tam cauſtica, nec exulcerans ut in variolis, febris etiam totuſque morbus ob id longe mitior, nec tam multos jugulat. Ante eruptionem morbillorum adſunt quidem pariter inquietudines, pavores in ſomno, cordis palpitaciones, facta effloreſcentia ceſſantes, ſed materia magis infeſta eſt pulmonibus, ideoque id ſingulare habent, quod indivuſus comes ſit, tuſſis violenta; ſerina, qua infantes ſepe per quatuordecim & longius ante dies excruciantur. Præcedit etiam ut plurimum ſeroſi humoris per nares & oculos cum ſternutatione & palpebrarum intumeſcentia ſecceſſio. Et hæmorrhagiæ quoque tam narium, quam in feminis per uterum, cruentus quin vomitus, morbillis longe magis ſolennes, quam variolis. Præterea non modo mitius, ſed & citius decurrit morbillorum morbus & ſæpe primo die, ut plurimum tamen poſt tertium diem, prodeunt maculæ, pro varia corporum ſuccorumque diſpoſitione diverſæ, in aliis minores, in quibuſdam inſtar morſus pulicum, modo rubicundi & purpurei, modo pallidioris & magis plumbei aſpectus. Maculæ hæ non elevantur in puſtulas, ut variolæ, ſed lenticulari aliquali eminentia planam cutis ſuperficiem excedunt, facies & cutis in extremis minus intumeſcit, & brevi tempore, quinto interdum vel ſexto die, ruborem ſenſim exuunt, & ſub auctiori perſpiratione iterum evaneſcunt. Quumque nulla eveniat ſup-

puratio, neque dolor & ardor perſentitur, ſed inſignis declinante morbo pruritus in genis, labiis & toto corpore, ægros ad ſcalptum excitans. Neque etiam ſordida relinquunt veſtigia, neque ulcera in articulis & partibus externis, ſed ſuperſunt communiter ſquamulæ furfuraceæ, ſucceſſive decedentes.

§. III.

Hæc qui novit, morbillos ex facili ab aliis cutaneis effloreſcentiis diſcernere poterit. Petechias enim amplitudine & elevatione tantisper notabiliſſimi ſuperant, longe mitioribus etiam ſymptomatibus ſtipantur, & malignitatis ut plurimum ſunt expertes. In purpura alba, ſecus ac in morbillis, ex maculis puſtulæ exiguæ pellucidæ ſurgunt; in rubra eminentiæ miliareſ ſunt, duræ & aſperæ. Rubeolæ & roſalia ad eryſipelaceam magis indolem accedunt, febreſ habent irregularem, & præterea in illis exanthematicæ maculæ minoris amplitudinis, ac morbilli, in hiſ vero majoris, ut in ſtatu univerſum corpus quaſi eryſipelate affectum, videatur. Et ſcorbuticæ maculæ latiores ſunt ac morbillo- rum, coloris obſcure rubicundi, ut plurimum ſine febre.

§. IV.

Unde vero hujus omnibus communis morbi origo, hæud ſecus ac de variolarum cauſa admodum eſt obſcurum. Si tamen probabili ratione concludendum, veri omnino ſimile eſt, materiam morbillorum eſſe excrementis primi ſucci nutriti in utero, vel materni lactis extra uterum, glandulis quibuſdam forſan firmius impactis & ex longiori mora corroſiva plane indole imbutis. Sed bona fide hæc ignorare poteſt medicus, etiam rationalis, dummodo pernicioſam indolem ex effectibus ex quo pacto hiſ obviandum, ſciat.

§. V.

Interim morbilli per ſe minus periculoli habent, & ſæpius, poſitiſſimum in laſignis plebeiis, ſine medici ope, debito tantum

Aliis que
exanthematis.

Ejus ori-
go unde?

Que ma-
cula ſigna.

CURATIO.

tum regimine, iterum discedunt. Interdum tamen, ob præcedentem anamalam, insalubrem, diuturnam temporum constitutionem, malignam habent, epidemici inprimis, indolem. Vel accidentales etiam possunt accedere causæ, ægros in discrimen adducentes. Malignitatem autem prodir virum impenia prostratio, extremorum frigus, inquietudo summa, vomitus, deglutitio difficilis, mentisque alienatio. Malum dein, quando aliæ maculæ, virulentia non expectes, uti petechiæ, purpura, vel etiam pustulæ scorbuticæ, complicantur, vel in fine cum vitæ discrimine superveniunt. Tussis porro continua, cum alvi profluvio & inquietudine magna, infauftum prælagire solent eventum. Neque boni ominis sunt sudores largi, præsertim in provectionibus, qui ob malam dietam & spirituosorum potum, calidum alunt & impurum sanguinem; ex facili enim admissio levi frigore, maculæ, funesto plerumque eventu, recedunt. Finito etiam morbo, si tussicula cum raucedine persistit, nisi cito idoneis succurratur remediis, in phthisim, & hecticam fit transitus.

§. VI.

Quomodo nocet. Qui autem morbillis occumbunt, maxime ex infantibus, nono plerumque die suffocantur, evidenti indicio, nervosa & glandulosa pulmonum bronchia, ob copiosam inflammantem materiam, spasmis & stagnatione humorum fuisse affecta, & ex nimio feri affluxu demum suffocationem indutam. In quibusdam superato morbo remanet alvi fluxus ad aliquot hebdomades durans, talem cum morte demum inducens. In nonnullis etiam, præsertim plebeiis, febris succrescit lenta, cum atrophia & abdominis tumore, funesta, ubi post mortem ut plurimum glandulæ mesaraicæ magnæ, & pulmones latentibus vomice obfessi,prehenduntur.

Medicatio morbillorum, iisdem quam variolarum perficienda, acrimoniam nimirum temperantibus, diluentibus & demulcentibus, cum iis, quæ sub moderato lecti & hypocausti calore, materiam hostilem acrem ad corporis extima agunt. Prostant igitur pulveres absorbentes & diaphoretici fixiores, leniter cinnabarini, item emulsiones & decocta. Quæ, quum præcedenti capite jam sint uberius descripta, specialia autem in cautelis dicenda, plura de iis heic afferre supervacaneum.

Cautela & Observationes Clinica.

§. I.

Si suspicio est in infantibus primam corporis regionem copiosis & crudis succis redundare, expedit in primo insultu leni emetico, uti ex dimidio tartari emetici grano, cum syrupo de cichoreo cum rhabarbaro, eandem deplere. Quando etiam lumbricis laborant, & metus est incursum epidemice jam grassantis morbi, ere est, ut intestinorum canalis prius a vermifera progenie liberetur, quod commodissime perficitur pilulis *Rufi*, cum mercurio dulci & semine fantonici. Quod si negligitur, difficulter morbus luperatur. In provectionis autem ætatis personis, si sanguis redundat, ut primis statim diebus subtrahatur necesse est. Declinantur sic non modo hæmorrhagiæ ominosæ, sed vidi etiam, hoc facto, remissæ illico anxietates cum inquietudine, & per universum corporis ambitum exanthemata prodire.

§. II.

Sicuti impenitus calefacientia, cum nimio externo calore, materiam deterioriorem ac subtiliorem reddendo, æstum cum anxietate augendo & vires dissipando, nocent; ita vicissim nitrosa & nimium refrigerantia, in ætate

maxime infantili, oppido damnosa. Retardant enim eruptionem, & retenta materia, ad sphacelum fit dispositio.

§. III.

*Hysterici
spasmi
mitigandi.*

Quando morbilli accidunt sceminis, quæ spasmis hypochondriaco-hysterici obnoxia, vel mensium instat fluxus, haud raro animi deliquia, spirandi angustia, cum gutturi constrictione & ingenti precordiorum anxietate, jungi solent, quibus materia in cutem exitus præcluditur. Igitur tum neutiquam pellentibus calidioribus eruptio urgenda, sed potius adhibenda ea, quæ spasmos leniunt, enemata ex paregoricis & carminativis parata, interdum venæ sectio, nec non pauxillum castorei & nitri pulveribus bezoardicis admixtum: sic brevi post inspectum veniunt maculæ.

§. IV.

Tussis. Molestissimum in morbillis symptoma est tussis ferina, ad quam complacandam nihil utilius oleo amygdalarum dulcium, recenter ex non rancidis expresso, cum syrupo capillari remixto, & in decocto avecaneo ad dimidium cochlear crebrius porrecto. Conducit etiam pulveribus absorbentibus & diaphoreticis admiscere dimidium granum extracti croci, & uti infuso rheiformi, ex herba veronicæ, radice liquiritiæ, floribus papaveris rhœados, & semine sceniculi.

§. V.

Diarrhoea.

Diarrhoea si concurret, provide eadem tractanda, nec facile compescenda. Solvit enim sæpe morbum, & multæ ac copiosæ sordes e corpore per ipsam secedunt. Ex tutissimis tum ad eluendam ex intestinis acrimoniam, clysteres ex puris demulcentibus parati. Si vero finito morbo pertinacius insistit diarrhoea, commode pulveribus bezoardicis admiscenda aliquot chaccarillæ corticis grana, vel etiam tantillum theriacæ cœlestis.

§. VI.

*Quibus
medendū
hemor-
rhagia.*

Quam sanguinis profusiones nimia mali sint omnis, & plerumque malignitatis indices, easdem cum bonis æ-

grorum rebus moderari non minime res est prudentiæ. Exulent omnia positive adstringentia, item eminentius opiata & anodyna. Ego quidem sæpius cum fructu usus sum hac mixtura: recipe aquæ florum acaciæ, sambuci, tiliæ ana uncias duas, theriacalis drachmas tres, antimonii diaphoretici, diascordii Fracastorii ana drachmam semis, spiritus vitrioli guttas 20. syrupi papaveris rhœados drachmas duas. M. Liqueor quoque noster anodynus mineralis cum pulvere præcipitante nitroso sumtus, exoptatam sæpius præstitit opem. Per amuleta vero fluxum hunc compescere velle, noxium potius, quam salutare deprehendi. In sita enim propria virtute nihil operantur, sed tantum impensiori animi impressione, quæ tamen in periculosis ejusmodi affectibus omni studio evitanda.

§. VII.

Ubi malignioris sunt indolis, appri-
*Maligni-
tati.* me ex usu est pulvis noster bezoardicus, cujus basis bezoardicum minerale, qui non modo sudorem & eruptionem blande elicit, sed simul etiam humores corruptos imbibendo, sedem movet, cum euphoria. Præstabilem etiam sæpe deprehendi virtutem sulphuris antimomialis, nostra peculiari methodo preparati, & ad dimidiam, vel quartam grani partem oblati.

§. VIII.

Si sudore corpus nimium diffundit, ut
Et sudoribus. linteamina ex toto madescant, provide eadem sunt mutanda, prius probe exsiccanda & leniter calefacienda, ne ab eorum frigore materia exanthematica cum periculo certissimo recedat. Idem in mutatione lecti tenendum. Maximopere etiam cavendum est, ne quis subito ex calido in frigidum concedat. Mortem enim inde intra aliquot horarum spatium vidi.

§. IX.

Quum plures, qui finita febre & post mor-
*Post mor-
bum fa-
cienda.* discussis jam maculis præmature liberiori aeri sese committunt, & salubrem victus vitæque rationem spernunt, ob retentas sic & adauctas impuras mor.

morbi reliquias, in peiores morbos incidunt, aſthma, vel ſuffocativum catarrhum, phthiſin & tabem, quin uti obſervavi in contraſturam; ſerio monendi ſunt convaleſcentes, ut per aliquot adhuc hebdomades perſpirationem ſollicite cuſtodiant & eum in ſinem utantur infuſis theiformibus, leniter diaphoreticis & ſanguinem mundificantibus, interpoſito nonnunquam, ad ſordes per alvum evehendās, baſmearum pilularum uſu. Viſtum vero habeant tenuem, & aliquandiu a cereviſie potu abſtineant, bibantque decoctum temperans & diluens, ex radice ſcorzonerae, ſarſaparilla, cichorei, liquiritiae, hordeo mundo, cortice ligni ſaſſafras, vel ſemine foeniculi. Quod ſicuti in omnibus fere morbis, ſic etiam in febribus exanthematicis, utile eſt & maxime ſalutare.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Conquerebatur g  nerofa puella, duodecim annorum, de laſſitudine, inappetentia, languore virium & doloribus lancinantibus in cruribus & brachiis, pr  terea lividum & plumbeum faciei offerebat aſpectum. Octiduo poſt corripiebatur horripilatione, ſubſequent   aſtu & gravi dolore capitis lumborumque. Tertio die poſt in conſpectum veniebat macula morbillorum, tum epidemiorum, tuſſis ſimul affligebat moleſtiſſima, & propter capitis oculorumque dolorem continuum, nec ſomnum capere, nec lucis ferre poterat aſpectum. Quinto die ſenſim iterum evaneſcebat macula ex totius fere corporis ambitu, ſed dolor capitis & oculorum remanebat, & pr  terea alvus a primo morbi inſultu erat ſiccior, ut nonniſi clyſtere ſollicitata reſponderet. Quum ſic jam declinare videretur morbus, pr  ter ſpem de novo accidebat ſumma pr  cordio-

Tom. IV.

rum anxietas, cum aſſu totius corporis, ſiti, virium proſtratione & difficili reſpiratione, prodibat poſtea purpura rubra, intermixta alba, ſive miliari, & dolor in oculis & capite ſupra frontem pertinaciter inſiſtebat. Pugnabatur quidem contra h  c tam gravia mala iis, qu   acredinem humorum cum ſpaſm   mulcere & eruptionem placide promovere poterant. Senſim quoque remittente capitis dolore, puella convaleſcebat; ſed ſuperato morbo viſio erat imminuta, & ſenſim incrementum ſumens, intra menſem in veram guttam ſerenam tranſiit, ita, ut nihil plane viſu diſcernere poſſet, licet oculi integri, & pupilla tantum duplo naturali amplior, comparerent. Multa & probata adverſus hoc oculorum virium adhibebantur remedia, ſed fruſtra. Eruptibus autem decimo quarto anno primum menſibus, ſplendorem aliqualem receperunt oculi ruſus. Hinc in conſilium vocatus, ſuaſi, ut temperatis baſmearum menſium negotium ſecundaretur, veſicatorium mitius aliquandiu geſtaretur, oculi erebrius quotidie pinguedine viperina recenti inungerentur & cum cibo nonnunquam aliquot guttae baſami noſtri vit  e aſſumerentur. Quibus non quidem in totum, ſed tamen in tantum reſtitutus viſus, ut ſub certo oculi ſitu obſecta, & quidem tantum dimidiata facie, conſpicere poſſet, ceterum optime valeret, ingreſſa haud ita pridem matrimonium.

Epicriſis.

Semper ſuſpectum in variolis & morbillis, quando   gri diu ante eruptionem male habent & de doloribus artuum, vel certam partem pertinacius inſtantibus conqueruntur. Heic ſuccedit morbillis evaneſcentibus purpura, tam rubra, quam alba. Aut igitur duplex ſpecific   indolis materia impura intus delituit, qu   non ſimul critico motu, ſed deſinito & ſucceſſivo fuit expulſa. Aut purpur   materia forſan per ipſum febrilem in morbillis

G 3 ſan-

sanguinis motum de novo fuit progenerita. Dein nunquam etiam non suspectum, si gravis capitis & oculorum dolor, alias facta eruptione cessans, per totum morbum durat: grave enim ut plurimum capitis vitium relinquere solet; in hac guttam serenam. Quæ quidem insanabile semper fere vitium, in infantibus tamen & tenerioris ætatis puellis, accedente menstrua purgatione, & immutata per hanc totius corporis, quoad solida & fluida, natura, discutitur iterum, præsertim si natura sanationem moliens arte juvetur.

OBSERVATIO II.

*Morbilli
retrocedentes
alvi fluxu
soluti.*

Juvenis cholerica & sicca constitutionis, qui per aliquot annos in academia plus Veneri & Baccho, quam Musis litarat, commovebatur aliquando vehementi ira, die post afficiebatur æstu insigni cum languore artuum & dorsi dolore, noctem transigebat insomnem, & tussi exercebatur valida, quæ ferina plane fiebat, & comites habebat anxietates & cardialgias. Datis ardorem nimium temperantibus, post tertium diem comparebant maculæ numerosissimæ inter 14. horarum spatium universum corporis ambitum occupantes. Mirum autem inquietus erat æger & impatiens, corpus jactitabat, tantum temperatum etiam læti calorem respuebat, & admissa subinde aura frigidiori, ut maculæ omnes brevi iterum evanescerent, faciebat. Oboriebantur hinc anxietates cum magna inquietudine & siti inexhausta, ut intra diem & noctem quatuor minimum pituitæ & emulsionis amygdalatæ epotaret mensuras. Porrigebatur quidem ad revocandam extus materiam lenè diaphoreticum, sed propter agri impatentiam & jectigationem nihil proficiebat, sitis potius reddebatur intensior, ut vix posset extinguere, & æger vel septem mensuras liquidorum absumeret. Inde incidebat in alvi fluxum &

vel decies intra diem deiciebat, urina etiam effuse fluebat, ægro tamen de interno ardore, siti & anxietate conquerente largissimeque potum ingurgitante. Fluebat sic alvus per quinque dies, calidus potus cum medicamentis spernebatur, neque maculæ amplius comparebant. Nihilominus symptomata sensim mitiora fiebant, æger melius habebat, & præter spem intra 14. dies convalescebat.

Epicrisis.

Singularis planè hic est casus largi alvi fluxus, quo morbillorum morbus, & quidem retrocedentium, solutus. Jam quidem nullum est dubium, quin materia morbillorum sit caustica & inflammatoria indolis, quæ exitu precluso intus retenta, vel expulsa retrocessit, firmiterque nervosis partibus impacta est, graves, immo exitiales, efficere possit affectiones. In nostro ægro inledebat utique ori, faucibus, ventriculi & intestinorum tunicis, ac sitim & ardorem cum leniori inflammatione ibi concitavit. Liquidorum vero & quidem accommodatorum copioso potu, caustica materia, tam intra tunicas hærens, quam in succis hospitans, mitigata atque correctæ fuit, & proritus alvi fluxus, quo impuri ex universo corpore succi eo confluerunt & evacuati sunt. Ego quippe crebrius observavi, in variolis & morbillis, ob impuros & redundantes corporis succos, malum genium exhibentibus, sponte obortum alvi profluvium, non modo sine periculo, sed & admodum salutare fuisse. Neque etiam facile in periculi plenius morbis desperare debet medicus, licet ægri magnam potus copiam appetant, modo per alvum, urinam & sudorem iterum emittatur. Plures enim sine, quam cum liquidorum appetentia, occumbunt.

OBSERVATIO III.

Infans decennis, feliciter, ut videbatur, superarat morbillos, sed tamen

Post morbillos alvi fluxus, ut mors.

ea restitabat alvi laxitas, ut quævis assumpta citissime per inferiora transirent, aderantque præterea tormina ventris cum dolore pedum, qui tactu semper erant frigidi. Ad compescendum hunc fluxum, medicus minus peritus porrexit pulverem ex radice tormentillæ, terra de catechu & uniconu fossili, cum paxillo laudani opiatum. Inde enim alvus quidem constitit, sed acerbissimus dolor occupavit tibiam sinistram in malleolo, quem mox tumor excepit durus & renitens, qui tandem suppuratus & apertus sanguinem cum copioso ichore fudit. Successit postea serpens ulcus, totum ferme pedem depascens, cui febris cum tussi & difficili respiratione supervenit, quumque ob nimium pectoris infarctum infans non libere spirare posset, suffocativo demum catarrho fuit extinctus.

Epicrisis.

Sæpius notavi, in infantibus alvum per totum variolarum & morbillorum morbum, & etiam post eum, sine periculo fluxisse. Neque alia utilia deprehendi, quam diaphoretica fixa, ut cornu cervi philosophice præparatum, ustum, antimonium diaphoreticum, lapides cancerorum, succinum præparatum, quibus paxillum corticis chaccarillæ admixtum. In usum quoque vocavi juscula ex carnibus cum ossibus contusis, item cornu cervi parata, adjecta semper olei amygdalarum dulcium recentissimi portione quadam. Neque minus clysteres emollientes, ex decocto raparum exsiccatarum una cum butyro insulso, admodum fuerant proficui, qui omnium optime acredinem humorum, coli membranæ potissimum in ejusmodi diarrhœis insidentem, contemperant ac mulcent. Contra ea periculosum omnino, alvi hunc fluxum adstringentibus sistere. Sic enim materia acris caustica, intus remanens & succis redita, ad alia sæpius loca relegatur, ubi postea atrocía ciet mala.

OBSERVATIO IV.

Lactans infans unius anni incidit in calorem præternaturalem, cum pavore in somno & vomitu. Die secundo eruperunt morbilli numerosi, sed asperi & cutem quasi stringentes. Die quarto accessit summa respirandi difficultas & pectoris angustia cum anxietate, inquietudine, vigilia & pavoribus. Dedi sextam partem grani tartari emetici, cum drachmis duabus aquæ florum tilie & quatuor guttis essentia castorei. Hinc quinquies deiecit infans viridissimam instar glutinis materiam, eoque facto vigor accessit toti corpori, respiratio facta liberior, & morbilli rubore perfusi magis. Oblata postea ad calorem temperandum gelatina cornu cervi in tenui decocto hordei, & feliciter evasit tenellus.

Epicrisis.

Colluvies vitiosorum humorum in ventriculo, morbillorum processum turbare & gravia symptomata iis adicere potest utique. Omnia enim, quæ circa quartum diem, quos alias morbus remissior, hoc in infante præsto fuerunt pathemata, non ex morbillis, sed cruditatibus acido viscido-biliosis prima in regione stagnantibus atque corruptis, ortum traxerunt. Hinc exterminatis iis per lenissimum emeticum, symptomata non modo protinus conquieverunt, sed & ipsa natura gravi onere levata, eo felicius ipsi potuit succurrere morbo. Quin patet, nec quarto & critico die, ejusmodi in calibus leniora & prudenter exhibita evacuantia nocere, inter quæ emetica, in infantibus præsertim lactantibus, merito primas tenent.

OBSERVATIO V.

Puer undecim annorum, rubicundus facie, ingenio alacris, sanguine plenus & constitutionis calida, correptus est immani astu, dorsi capitisque dolore, datis tamen temperantibus

Emetica in morbillis proficiunt.

Morbilli cum hæmorrhægia lethalet.

nitroſis pulveribus, altero die habuit meliuſcule. Tertio autem rediit urens æſtus & quarto die ſequutum narium ſtillicidium. Hoc quinto remiſit, ſexto vero effuſus reverſum. A ſeptimo ad decimum mitiora erant ſymptomata, & ſanguinis fluxus ſiluit, erumpentibus paſſim morbillorum maculis. Sed breves induciæ. Undecimo quippe die, ruſus copioſa e naribus facta hæmorrhagia & maculæ evanuerunt. Duodecimo largius adhuc fluxit ſanguis, ita ut vires mirum corruerent, & æſtus internus invaleſceret. Decimo tertio die mitiora pathemata iterum, die autem poſt cum hæmorrhagia recruduerunt, donec conſumptis prorsus viribus, decimo quinto die æger efflaret animam.

Epicriſis.

In variolis & morbillis deterioris ſemper notæ ſymptoma eſt, effuſior ſanguinis, per quæcunque loca, fluxus. Indicat enim vehementes ſpaſticas internarum partium, præſertim viſcerum abdominis, ſtriſturas, quibus inæqualis redditur ſanguinis progreſſus, & ex uno loco in alterum cum impetu urgetur. Per nimiam etiam profuſionem virium inducitur jaſtura, & minorum ad extima excurrentium canalium, per quos in cute eruptio fieri debet, exinanitio & ſubſiſtentia. Unde materia cauſtica retenta, novos ciet ſpaſmos novaſque hæmorrhagias, ac demum funeſti eventus fit cauſa. Magnæ itaque prudentiæ eſt, hæmorrhagias in morbis, quorum materia per cutem excernenda, moderari perite, ne deficiat expulſionis facultas. Ego quidem tum commendare ſoleo, ut omne frigus & frigidus potus vitetur, & partes extremæ, manus & pedes, quæ ordinario frigida exiſtunt & contremiſcunt, calore bene foveantur, & vel lecto probe obtegantur, vel etiam aquæ calido vino mixtæ immergantur, quo revulſio ſanguinis a capite fiat, ſimulque ſpaſtica fibrarum contractio laxetur. Dein eo quam maxime annitendum, quo cauſtica materia foras mittatur, eum-

que in finem danda diaphoretica cum temperantibus, cujus generis hæc mixtura: recipe aquæ cardui benediſti, florem ſambuci ana uncias duas, theſiacalis unciam ſemis, diſcordii Fra-caſtorii, antimonii diaphoretici, nitrî ana drachmam dimidiam, mixturæ ſimplicis guttas 20, ſyrupi acetofiſtatis citri drachmas duas. M. D. de qua bina, binis quibuſvis horis, cochlearia ſumenda, ſuperbibendo ſemper calidum hauſtum. Et ſi præterea æſtus junctus nimius, interponendus eſt pulvis bezoardicus nitroſus.

OBSERVATIO VI.

Vir generoſus, macilentus & fibroſæ corporis ſtructuræ, triginta ſex annos habens, aulico miniſterio fungens, ab aliquot jam annis, vini potui liberaliter indulſerat, & ſæpe inter potatores egerat tantum non heroem. Incidit is in morbillorum, aulicis tum familiarem, & ab ipſo nondum ſuperatum morbum, ſub quo ipſum præter immoderatum æſtum & inquietudinem, violenta tuſſis & ſummæ anxietates præcordiorum, noctu æque ac interdiu affligerunt, corpore a principio ſtatim ſudore diſfluente. Medicus aulæ ordinarius in conſilium vocatus, quatuor quibuſvis horis, triginta guttas eſſentiæ alexipharmacæ admodum calidæ porrexit, & ad ſitim extinguendam liberalem potum cereviſiæ valde ſpirituosa conceſſit. Interim expulſis maculis anxietates remiſerunt & ſpiritus liberior meavit. Quum autem induſſim ſudore totum madefcens & frigidum mutaturus, a miniſtro imperito recens minusque calefactum acciperet, illico omnes omnino, quibus corpus conſertim obſeſſum maculæ diſparuerunt. Inde tanta ſequuta inquietudo, anxietas cum virium jaſtura, ut omnibus morti videretur proximus. Ego tum temporis præſens accerſitus exhibui illico pulverem meum bezoardicum cinnabarinum cum aqua

*Morbilli
retroco-
dentes
funeſti.*

aqua analeptica, nec non liquorem anodynum mineralem cum tinctura antimonii temperata & aliquot guttulis spiritus Buffiani, quibus paullo post & sudor & maculae redierunt, æger melius habuit, & pulsus antea inæqualis, celer & debilis, plenior ac æqualis redditus. Sed septimo die, quum sudor effusus adhuc manaret, & æger in alium lectum ob maiorem se conferret, rursus cuncta evanuerunt exanthematica, extrema frigida facta, accessit anxietas maxima & spiratio difficillima, pulsus etiam contractus & parvus redditus, & brevi post, præcedente rigore & convulsione artuum, est extinctus.

Epicrisis.

Morbilli, non secus ac alii morbi exanthematici, sequuntur maxime constitutionem solidarum & fluidarum partium corporis ægotantis, adeo, ut quo intemperatior hæc, eo pejor indolis sit ille. Potissimum, de vini potui deditis, ceteris confirmatum habeo experientia, quod raro ex febribus exanthematicis evadant, eo quod febrilis illa intestina partium sanguinis commotio, in plenariam tandem dissolutionem abit, cuius index largissimus sudor cum insigni virium lapsu. Medicus igitur, calida essentia, quæ æstum magis accendit, nocuit potius, quam profuit. Si quoque dissolutorius talis humorum vitalium est status, levis etiam in rebus externis error, uti refrigeratio, linteaminum mutatio, situs erectus, immedicabilem possunt inducere noxam. Et quo languidiores sunt in exanthematicis vires, eo plus semper metuenda retrocessio materiæ exanthematicæ, qua vitæ nihil est insensius.

OBSERVATIO VII.

*Morbilli
ex resfri-
gerantiis
nitrosorum
abusu la-
ebales.*

Puelli tres, unus sex, alter quinque & tertius trium annorum, filii viri perillustri Senerissimo Duci in Saxonia inferiori a consiliis, corripiebantur successive morbillis. Commenda-

tione generosæ scemina in consilium vocabatur novellus Medicinæ Doctor, qui intempestivo nitri amore a præceptoribus imbutus, larga & repetita dosi, præter pulveres refrigerantes nitrosos, exhibebat nihil. Inde retardabatur macularum eruptio, spiratio fiebat angusta & difficilis, tussis continua sine scretu, accedebat asthma intensum, & intra septem dies, tres pueri occumbabant, cum ingenti parentum luctu.

Epicrisis.

Non ex unius, sed plurium fide dignorum relatione, de tragico hoc casu certior sum factus. Crebrior ac liberalis refrigerantium nitrosorum usus utique taxandus est. Nam licet nitrum purum merito principem teneat locum inter ea præsidia, quæ æstum extinguunt, & spasticas commotiones componunt, & ego etiam jam ante quadraginta annos eodem frequentius usus fuerim, quin forsitan primum, testantibus id variis scriptis, tum dissertationibus, tum *notis ad Poterium*, salubrem nitri facultatem perspexerim & exposuerim; nihilo tamen fecius usus ipsius, haud secus ac aliorum magnæ virtutis remedium, peritum ac prudentem exigit medicum, & ex ejus abusu, ab iis, qui medicinam rationalem nec callent, nec exercent, damna inducta novi, & plura, & gravia. Certe, in morbis exanthematicis, ubi non nimius urget æstus, in febribus catarrhalibus, item malignis, in quibus humorum potius corruptio, quam exæstuatio metuenda, in corporibus maxime humidioribus & infantilibus, omni modo a liberali nitri usu abstinendum. Ob nimiam enim refrigerationem remanet intus foras excernenda insensæ indolis materia, atque ut putredinosa dissolutoria humorum corruptio magis augeatur, facit. Et quum materia morbillorum maxime insensæ hujus sit indolis, ut firmiter insideat nervis pneumonicis & tunnicis pulmonum nervosis, nullum omnino est dubium, quin in his puellis non em.

emota, ibi impacta hæſerit & ſuffocatorias humorum ſtaſes ſuſcitarit. Cæterum hoc loco monendum duxi, me in infantibus, quando morbilli prodire noluerunt, ipſorumque materia altius inſidens pulmonum bronchiis ſuffocativum intentavit catarrhum, inſigni cum fructu uſum eſſe veſicatorio, quo ſopiti canalium ad expulſionem neceſſarii motus, quam optime reſuſcitantur.

OBSERVATIO VIII.

*Morbilli
in hypo-
chondria-
co ſana-
ſi.*

Comes illuſtriſſimus, viginti annorum, cholerico ſanguineus, nondum venæſectionem paſſus & pathematibus ſpaſtico-hypochondriaciſ, cum ſtomachi inflatione & crebriori poſt cibum vomitu, obnoxius, graſſantibus epidemice morbillis languere cœpit & conqueri de anxietate præcordiorum, dolore capitis, dorſi ac pedum, tuſſi ſicca, interno æſtu, intercurrente horripilatione, cute arrida & ſicca. Tercio die comparuerunt in fronte ſtigmata rubicunda nonnulla, pathemata tamen noluerunt remittere, nec plures etiam poſtero die effloreſcere maculæ, pulſu interim pleno cum celeritate vibrante. Vena in pede pertuſa, ſanguis cum impetu exiliit floridus, variegatam poſt refrigerationem contrahens cuticulam, & inde illico anxietates & vehementes capitis dolores remiſerunt. Quin licet primum ſtigmata in fronte diſparere viderentur, & pulſus admodum celer cum duritie micaret, æger etiam noctem inſomnem fere ob æſtum & compunctorium in cute ſenſum duceret, mane tamen in conſpectum venerunt in facie & pectore maculæ morbillorum, pallidiores initio, ſucceſſive autem magis rubentes, & reliquas quoque corporis partes conſertim occupantes. Diſceſſit hoc factio capitis, dorſi & pedum dolor, cum pectoris anguſtia, tuſſi & interno calore, ac æger melius habuit, conqueſtus tantum de moleſto pruritu ardente & tenſione cu-

tis. Potiſſimum vero ipſum excruciauit oculorum ardens dolor cum rubore adnatæ & illacrymatione, ita ut lucem ferre non poſſet, & noctu palpebræ conglutinarentur. Nono die obortus ſudor largus, decimo etiam manans & acidum foetidum odorem ſpirans. Undecimo intra nyctihemeron ſexies deiecit ſine torminibus ſponte, & maculæ ruborem ſenſim auxerunt, decimotercio die penitus diſcuſſæ, ſubſequenti cutis deſquamatione & ſanitate.

Epicriſis.

Quum in iis, qui ſpaſticis hypochondriaciſ detinentur pathematibus, nunquam non major ſuccorum impuritas & acrimonia eſſe ſoleat; huic etiam illuſtriſſimo ægro ejuſdem conſtitutionis ea fere unice exhibita ſunt, quæ demulcent ac temperant, pulvres nempe temperantes & diaphoretici, leniter nitroſi, emulſiones, exoptato cum ſucceſſu. Venæ ſectionem autem, quum pulſus admodum plenus & vaſa turgida eſſent, eruptio quoque retardaretur, neceſſariam duxi, crebriori experientia edoctus, ſanguine nimium redundante, difficillime, eodemque ſubtracto, promtiſſime ſuccedere materie exanthematicæ expulſionem. Inſolitus vero ille oculorum ardor, rubor & fluxus ſeroſus, tribuendus utique eſt eorum debilitati in pueritia jam ex crebrioribus & diuturnis acribus defluxionibus contractæ. In quibuſvis enim fere morbis ſolenne eſt, ut partes ex prægreſſo morbo debilitatæ, præ reliquis graviter afficiantur, ob decubitum humorum promptius ibi contingentem.

C A P. IX.

De febre purpurata rubra & alba
militari.

Theses Pathologicae.

§. I.

Purpura descri-
ptio. II. **F**ebri purpurata est catarrhali æ-
mula, exanthematica, qua motu sy-
stematis tam vasculosi, quam nervosi
intensiori, materia lymphatica cor-
rupta, specificè indolis, ex interioribus,
maxime nervosis partibus, ad sum-
mam cutem, seu conveniens emuncto-
rium, sub forma pustularum minima-
rum miliarium, asperarum, rubrarum
vel albarum, salutariter protruditur.

§. II.

Materia **exanthema-
ticum** **differt.** Jam omnis quidem materia exan-
thematica in eo convenit, quod acrimo-
nia sua nervos male afficiat, ac in
gestuosum intensiorem motum univer-
sum genus valorum & sensilium par-
tium exstimulet, eoque tandem ex-
terminetur. Attamen sicuti acrimo-
nia caustica in vegetabilium & mine-
ralium venenis peculiarem obrinet
indolem, & ob id peculiariter cuivis
speciei propria suscitatur pathemata:
ita etiam singularem & specificam
cuivis exanthematicæ materiæ esse
naturam, non tam a priori, quam po-
tius a posteriori, effectibus & pheno-
menis obviis, innotescit. Scilicet in pe-
techiiis, variolis, morbillis, febre urtica-
ta, scarlatina, rossaliis, rubeolis, macu-
lis scorbuticis, scabie, herpete, phly-
ctænis, epinyctidibus, gutta rosacea,
impetigine & sudaminibus, subest
semper acris quædam materia, quæ
modo cum, modo sine febre, per cu-
tis emunctorium proscribitur, sed
unumquodque ex his exanthema
peculiaribus incedit symptomatibus,
de quibus singulis suo loco seorsim.

§. III.

Nunc quomodo ab aliis exanthe-

maticis morbis purpuraceus differat,
exponendum duntaxat. Hi autem ip-
sius sunt characteres. Efflorescunt pu-
stulæ minimæ semen milii amplitudi-
ne æquantes, numerosissimæ, cum
corrugatione, aspritudine & aridita-
te cutis, & spargunt fœtorem peculia-
rem plane. Nullum aliud exanthema
tam instabile, crebro ac celeriter re-
trocedens, iterumque comparens, ac
purpuraceum: nec ullum etiam, tam
crebro intercurrente mox proritu &
punctura, stipatum. Alia exanthemata
omnibus æque regionibus incumbunt,
& nobiliorem æque ac sequiorem se-
xum infestant, purpura autem in cer-
tis tantum locis familiaris & quasi en-
demia, ac præterea fœminas magis
quam viros, maximeque puerperas,
corripit. Alia magis epidemica sunt,
contagiosa, & sequuntur constitutio-
nem aeris, sed purpura magis ex vitio
viscerum & succorum, quam aeris o-
boritur, nec epidemica est, nec con-
tagiosa adeo.

§. IV.

Rubra **est vel** **alba.** Ipsa dein purpura inter se differt, &
definit a medicis in rubram & albam
dispecitur. Utraque magis, vel minus
acuta, benigna, vel maligna. Rubra ob
pustulas rubicundas ita dicitur, ac ut
plurimum minus periculosa, febris ex-
pers & chronica est, ut non modo diu-
tius corpori inhærescat, sed & apius
statis anni temporibus redeat, de qua
inferius sigillatim. Interdum tamen
etiam febre stipatur & acutæ indolis
esse observatur. Alba vero magis a-
cuta est, nec facile sine febre occurrit,
ideoque plus alit periculi. Hæc etiam
non tam facile redit ac rubra, puerpe-
rasque magis & fœminas juniores, te-
neriores, serofas corripit, quam rubra,
quæ adultioribus potius, succis &
languine fartis, ipsique viris familia-
rior est.

§. V.

**Idiopa-
thica** **vel sym-
ptoma-
tica** **acutis in
fine.** Nonnunquam porro purpura idio-
pathica est, nonnunquam symptoma-
tica, & aliis, maxime continuis fe-
bribus, ad exitum vergentibus, super-
ve-

venit. Admodum enim familiare est, quod purpura rubra, vel alba, vel utraque simul, variolis, morbillis, synochis putridis, ardentibus quoque & pecthizantibus, aliisque epidemicis, in declinatione accedat, novam febrem accendat, & ægrum, fractis ex priori morbo viribus, jugulet. Id quod potissimum evenire solet in iis, qui intemperantius vixerunt, largiori & quotidiano potui indulserunt, veneris nimio exercitio vires consumserunt, & peregrinam succis induxerunt diathesin, nec non iis, in quibus sub morbi decursu alvus diutius clausa, aut inconsulta medicatione refrigerantia & julpia nimis liberaliter sunt usurpata. Quandoque etiam in acutis febribus, maximeque variolis & morbillis, primis statim diebus, cum cutis aspredine apparet purpuracei quippiam, rarissime pariter cum felici morbi eventu. Neque minus catarrhalibus febribus, cum tussi & spirandi angustia, subinde in infantibus sese associat purpura, vomitu, vel etiam alvi fluxu stipata, quam, si inclinat morbus, pedum & quandoque abdominis intumescencia, cum, vel sine aridura superiorum partium, excipit, donec tandem sudoribus, vel spontaneis, vel arte prolektis, ex toto cedat.

§. VI.

Idiopathica autem purpura his potissimum incedit symptomatibus. Præcedit levis horripilatio, quam subsequitur corporis exstusatio, cum ingenti languore viriumque interdum ad lipothymiam usque dejectione. Præcordia stringuntur, pectus angitur, adsunt alta suspiria, inquietudines, vigilie, vel somnus minimum laboriosus & inturbatus. Æstus compunctorius in dorso sensus percipitur, alternante frigoris, horroris & caloris intra cutem affectione, in vola manuum maxime sensibili. In puerperis lochiorum fluxus retinetur, & lac e mammis refoletur ac stillare cessat. His succedit cutis asperitas & instar anserinæ corrugatio, exsurgentibus innumeris pu-

stulis, sive albis, sive rubris, sive utriusque sibi invicem appostitis, milii semina figura & exiguitate referentibus, quæ primum collum, deinde pectus & dorsum, ac postea, & manus occupant. His in summa cute efflorescentibus, graviora scæta pathemata mitigantur, pulsus durior prius, contractior & celerior, mollius, liberius & remissius undulat, animo vigor dejectus redit, arida cutis madescit, & alvus ante hæc compressa tam firmiter, ut nec flatibus transitus pateret, laxatur, & non solum hos, sed & nonnumquam stercora, sponte protrudit. Postea vesiculae sensim sensimque explicantur ichore foetido plenæ, urina magis saturata prodit, & sudor singularis huic exanthemati proprii foetoris erumpit, sanguinis per lochia fluxus repetit, & intra septem vel plurimum adhuc dierum decursum, cum insigni extremorum pruritui, pustulae disparent, arescunt, squamularum instar decidunt, & æger sensim vires recipiens, ad pristinam redit sanitatem.

§. VII.

Materia porro, quæ exanthematicum hunc morbum proxime facit, ex pravo & corrupto in corpore est succo; ita tamen, ut, quum duplex sit purpuræ genus, duplex hic etiam sit asserendus. Jam uti in macrocosmo, sic etiam in microcosmo, duplex datur liquidorum corruptio, una acidovappida, paullo fixioris indolis, altera sulphurea fætida, indolis magis alcalinæ atque volatilis. Illa cadit in succos, qui salino & sulphureo elemento minus instructi sunt, potissimumque in pellucidum, insipidum illum gelatinosum lymphaticum humorem; hæc autem in sanguinem & succos, qui copiosa sulphurea & salina substantia scatent, inter quos quam maxime connumerandus ille, qui sanguini admixtus, spissior tantisper varique coloris est atque saporis, serum dictus. Hunc igitur corruptum purpuræ rubræ,

princi-
pio

nec non
catarr-
halibus
accedens.

Idiopa-
thica
Purpu-
ra histo-
ria.

Purpu-
ra ma-
teria
corru-
ptus in
corpore
succus.

bræ, illum vero albæ & miliaris cauſam eſſe, cenſemus.

§. VIII.

*In alba
lymphæ
acido-
vappida.*

Lympham enim alba in purpura a-
core eſſe infectam, evincunt plura.
Nimirum ſolennis & tantum non eſ-
ſentialis huic exanthemati eſt nimia
feri ſeceſſio, per ſudores effuſos, urinas
copioſas tenues, ſalivationes quandoq;
quandoque dejectiones aquoſas. Acidi
autem iſ effectus, ut ſanguini inſinua-
tum, partes ejus craſſiores in coagu-
lum mittat, ſeroſis ſeceſſum facienti-
bus. Deinde omnis generis acida & re-
frigerantia, ipſum quin nitrum, largius
ſumpta nocentiſſima: quæ viciffim aci-
dum obtundunt & ſanguini ac lym-
phæ blandam ſpiritualeſcentiam concil-
liant, ſaluberrima. Feminis porro, quæ
horæis fructibus, acetariis, dulcibus, fa-
rinaceis, aceſcentibus, ſub otioſa &
ſedentaria vita delectantur, frequens
quam maxime in puerperio febris mi-
liaris. Ne dicam, multos illos ſan-
guinis grumos, quos in vaſis majori-
bus & thalamis cordis invenerunt, qui
purpura alba deſunctos diſſecuerunt,
luculenter arguere, præſto fuiſſe aci-
dum coagulans.

§. IX.

*In ru-
bra ſe-
rum a-
cre ſul-
phureū.*

In rubra purpura ſubeſſe viciffim
ſerum acre ſalino-ſulphureum, teſta-
tur pruritus & ardor cutis, in hac lon-
ge impenſior, ac in alba. Idem ex eo
pateſcit, quod rubrum hoc exanthe-
ma, maxime eos invadere ſoleat,
qui ſanguinis impari copiam alunt,
ſcorbuticis, ſenibus, feminis, quæ
menſtrui, & viris, qui hæmorrhoi-
dum defectu laborant, diætâ ſalſa, vi-
noſa, cereviſiis craſſioribus & tabaci
fumo delectantur, præter eaque laxi-
ori corporis habitu præditi, vitam
agunt motus expertem. Quod porro
ſordes acres ſeroſæ, per cutis poros
eliminandæ, ab aura frigidiori, a po-
tu nimis perfrigerato, corpori ſudan-
ti ingeſto, aut repentino terrore, ad
interiora repreſſæ, frequentiffime ta-
lem morbum inducant exanthemati-
cum. Quod etiam medicamenta, quæ

ſalium ſpicula involvunt, item tem-
perantia, rubram purpuram egregie
proteſcent; calefacientia autem & vo-
latilia, nec non æſtuoſum regimen, eo-
dem modo ac in ſcabiæ aliſque cutis
deſœdationibus, ex prava, acri &
falſa humorum diatheſi oriundis do-
loris, ardoris & pruritus faciant aug-
mentum.

§. X.

Omnia igitur, quæ ſuccorum & ab-
undantiam & impuritatem ingignunt,
ad generationem purpurati mali con-
currunt remotius. Evenit autem hoc
in iis, qui lauto & pollucibili victu,
nonniſi leves cibos, farinacea, pla-
centas, dulcia, fermenteſcibilia &
horæos fructus admittente, item qui
potu parco, craſſo, & aqua quoque im-
pura & ſqualida utuntur, qui in aere
degunt inſalubri, minus puro, ſed
vappido, multiſque fordidiſ & putri-
dis halitibus reſerto atque corrupto;
quo purpuram ſubinde generari, ma-
ligniore fieri, epidemiam quando-
que, nonnullis etiam locis magis fa-
miliarem, certique anni temporibus,
Martio in primis atq; Aprili frequen-
tior, experientia docet. Frequens
porro purpuræ geneſis in iis, qui al-
vum gerunt ſtrictiorem, qui perſpira-
tionem incurioſius habent, quibus
criticæ ſuppreſſæ, aut conſuetæ ſan-
guinis evacuationes omiſſæ, quibus
viciffim largius ſanguis effluxit, vel
ſubtractus, cum virium defectu, qui
animo crebrius jaſtantur, mœrori in-
primis ac diuturnæ ſollicitudini indul-
gent, qui vigiliis & impenſioribus
meditationibus robur atterunt, qui
denum vitam ducunt otioſam motuſ-
que expertem. Neque minus præ aliis
huic morbo patent, qui laxiorem cor-
poris habitum & temperatum ſic di-
ctum ſanguineum, vel phlegmati-
cum obtinent, ætate magis inſan-
tibus, quam adultis, ſenibus quam
ſtoridis, ſexu, magis feminis, quam
viris. Ex feminis, non tam plebeiis
& minus delicatis, quam potius te-
neris ac nobilioribus, ſapore albo an-

*Cauſæ
proca-
ratiæ
& ſub-
jectæ.*

te affectis & omnium maxime puerperis.

§. XI.

Cur purperis infesta purpura alba maxime & maligna?

His autem quod adeo infesta sit purpura, & quidem alba, plerumque maligna, ob peculiare quasdam sit causas. Videlicet foeminarum plurimæ redundantius in corpore alunt lymphaticos & aquosos humores, adeoque acidæ potius patent humorum vappescentiæ, quam salino-sulphureæ corruptioni, & ob id purpuram potissimum nanciscunt albam. In gravidarum dein utero, sanguinis tam progressus, quam regressus, ob nimium eo appulsum & valorum distensionem, valde languidus est ac tardus. Hinc subsistente ibi diutius sanguine, lymphaticus humor in vasa ipsi vehendo dicata, magna copia secedit. In quorum diverticulis quasi incarcerationis herens, longiori mora vappescit, corrumptur & acorem contrahit, avolantibus, quæ mixtionem conservant, spirituosos & subtilioribus particulis. Quandocunque igitur enixio foetu, uterus concidit iterum, neque squalidus lymphaticus humor cum sanguine feculento lochiali sufficienter expurgatur, accedente ordinario tertio puerperii die, motu febrili, Germanis das *Milch-Fieber*, in vasa majora isreprimatur, ipsique cordi infunditur, ex quo maligni instar fermenti per corpus diffunditur, totamque sanguinis & lymphæ massam inquinans, vires deicit, vigorem animi pessundat, anxietates, pectoris compressiones, suspiria, cordis tremores cum spiritus difficultate facit, sudores colliquativos mucidos, corruptum acorem redolentes, nonnumquam plane frigidus, suscitatur, somnum arcet, donec vel brevi post, die tertio aut quarto a puerperio, interdum septimo, quandoque etiam decimo quarto demum die, in conspectum prodeat album hoc exanthema.

§. XII.

Drigo ipsius recens unde,

Sed quum enumeratæ hæcenus purpuræ causæ præsto fuerint jam pri-

dem omnes; disquirendum merito, cur ante aliquot demum lustra prodierit, & subinde latius serpat? Jam vero ex iis, quæ succis vitalibus materiam, temperiem & intemperiem largiuntur, nihil novimus immutatum, præter frequentissimum factum potuum calidorum, herbæ theæ in primis & fabarum coffeæ, usum. Experientia etiam docuit, non plebejos & inopes, qui victu simplici & potu sueto utuntur, sed honoratiores, opulentos, qui laute vivunt & potum calidum in deliciis habent, purpura potissimum infestari, & in locis, ubi mos invaluit liberalius ejusmodi potum forbillandi, purpuram etiam plus regnare & propagari, quam in aliis: in hunc igitur culpam esse rejiciendam admodum credibile. Non jam dicam, fabas coffeæ exoticas, peregrini quippiam nostri mixtionis sanguinis minus congruum custodire, sub adustione aliquid sulphuris empyreumatici nervosis partibus minus amici fuscipere, ac præterea saccharum cum decocto hoc assumptum copiosius fermentescere & cruditates mucosas, acidas, augere. Id potius minimum pro certo habendum, calidum potum sordes intestinorum & salia scorbutica acria per urinam evehenda in sanguinem agere, & una cum hoc ad tutis emunctorum pellere, ubi non ut sudoris materia promte diffiliari possunt, sed obhærescunt maculasque, sive pustulas protrudunt; in primis quum post ejusmodi calidum potum perspiratio non secundatur, sed concessione in frigidam auram sufflaminatur. Ut adeo neutiquam mirandum sit, quod sub inconstituto alias, jam vero communi abusu frequentissime & statim post cibum assumpti potus calidi, ipsa naturalis mixtio & crasis partium sanguinem constituentium multum immutetur, & nova plane ac alia ingignatur, qua in utero cum sanguine materno in foetum transfusa, ipsius purpurati morbi semina & ad illum dispositio jam latius propagentur; uti quidem pluribus docui in

dis-

differtatione de purpura genuina origine, indole & curatione.

S. XIII.

Purpura
quando
pericu-
losa.

Ceterum purpuram albam periculosiorem esse rubram jam diximus. Prognosis vero de successu & eventu hujus morbi ex dispositione corporis laborantis potissimum desumenda. Acrius quippe sanescit magisque anceps est omnis purpura, quæ cadit in corpus impuris succis fartum. Hinc viri, quibus hæmorrhoides & scæminæ, quibus menses resistant, parcius fluunt, aut plane ob ætatis rationem emanent, nec non quibus lochia suppressa, gravius semper & diutius hoc morbo decumbunt. Hinc gravidæ, quæ alvi adstrictioris & sub sedentario vitæ genere, neque medio gestationis tempore, neque ultimis mensibus sanguinem redundantem mittunt, in puerperio majorem purpuræ experiuntur vehementiam. Dein majus etiam semper discrimen in imbecillitate, sive natura, sive ex morbo, sive alia ex causa affectis, omnium vero maxime in iis, qui per crebriores animi commotiones, diuturnam in primis mæstitiam, genus nervorum reddiderunt debile & ad spasticos anomalos motus concipiendos proclive. Neque minus plus metuenda, quæ sub aeris constitutione insalubri, febres malignas, petechiales passim ingignente, impetit.

S. XIV.

Signa
suspecta.

Inter suspecta vero in purpura signa connumeranda hæc. Quando exanthematibus sufficienter expulsis, pulsus præter naturam durus & auctus manet, somnus nullus, inquietudo magna & spiritus difficilis. Quando statim sub initium & per totum morbi decursum sudores effusus manant, urinæ pallidæ copiosæ redduntur, vel continuus ad mingendum stimulus, vel etiam urina crassa antea & tinctoria, subito limpidior, tenuis & pallida prodit, nec non quando alvus cum torminibus fluxa nimis, in primis in puerperis. Mali prælagii est, si pustulæ

Mala.

purpuræ modo comparent, modo evanescent, & symptomata vehementia semper eadem infestant. Pejus adhuc, si materia relapsa interioribus firmitus inhaerescit, omnique expulsioni obstitit, hincque pectoris cum suspiriis oppressio intenditur, fauces stringuntur, virium prostratio increfcit, & præcordiorum anxietas cum inquietudine augetur. Funesta demum indicia, quum hærente intus deleteria materia, interiora ardent & extrema frigent ac frigent, simulque copioso frigido sudore perfunduntur, aut vicissim quando extrema æstuant, & in abdomine frigoris sensus percipitur notabilis. Hæc enim ubi præsto sunt, æger ut plurimum lipothymia occumbit lethali, ob inflammationem & sphacellationem, quæ ventriculum, intestina, cerebrum, vel in puerperis ipsum uterum affecit.

Purpura
fæta

Præservatio & Cursus.

S. I.

Nullus quidem morbus tam ægre penitus extirpatur ac purpura, quæ plerumque relinquit fermentum ipsam denuo inducens. Sed hoc in primis proprium chronicæ illi purpuræ, quæ quo pacto sit arcenda, inferius dicetur. Jam de febre miliari. Quæ quum potissimum scæminis, & quidem puerperis, sit solennis, qua ratione hæc ab ipsius incurfu defendendæ, tradendum. Sub graviditate igitur exacta victus ratio servanda, corpus motu moderate exercendum, venter a refrigeratione defendendus, sanguinis copia venæsectione, ter, vel quater, in superioribus instituta, minuenda, & alvina excretio subinde secundanda per mannata, rhabarbarina & tartarea. Instante dein partu, non per præmaturum nifum vires convellendæ, nec pellentibus humores exagitandi, post partum vero necessarium, quo impurus sanguis expurgetur utero & succi a cacochymia con-

tra.

tracta liberentur. Sedato hinc secundo die impetu, omnis generis excretiones modeste promovendæ & alternis diebus pilulæ balsamicæ roborantes, vel solæ, vel, si citatior adhuc pulsus, cum pulvere temperante nitroso, deglutendæ. Tum quoque conducit cum jusculis tenuioribus dare ea, quæ spasmos leniunt, sanguinem grumofum dissolvunt, simulque perspirationem servant, sperma scilicet cети, oleum amygdalarum dulcium, infusum theiforme ex floribus sambuci, chamomillæ & summitatibus millefolii, pulveres diaphoreticos, nec non mixturam ex aquis analepticis & diapnoicis, cum aceto destillato, lapidibus cancrorum & syrupo acetositis citri.

S. II.

Curatio nis in dicatione. Ipsa vero purpuræ curatio ad tria hæc redit momenta: I. ut vitiosa, quæ subest, acris, nervosis partibus infesta materia corrigatur ac temperetur; II. ut spasticæ fibrarum nervearum inde productæ stricturæ laxentur; & III. præparata materia placide per cutis emunctorium evacuetur; nec retrocedat. Ego quidem has medendi indicationes perfeci hisce ex multis probatissimis auxiliis. Ad acredinem diluendam & nervosas male affectas partes mulcendas, apprime utilia decocta humectantia, ex rasura cornu cervi, radice scorzonera cum hordeo & liquiritia, gelatina cornu cervi, nec non serum lactis, nostra methodo paratum dulce. Idem faciunt & præterea expulsionem juvant emulsiones, ex aquis diapnoicis & antispasmodicis cum semine napi, cardui Mariæ & papaveris albi. In primis etiam duplici hoc nomine conducunt pulveres temperati bezoardici, cujus generis est *Ludovici* atque *Sennerti*, nec non noster. Quibus ad æstum temperandum & spasmos componendos subinde succum citri instillare, pulverem præcipitantem nitrosum, vel tantillum croci, aut castorei, pro circumstantiarum ratione admiscere, vel etiam

horum usum interdum liquoris anodynæ mineralis dosi interpolare, sicque in vehiculo appropriato ex aquis destillatis propinare soleo. Et si purpuræ eruptio justo impeditior, vel retrocessio metuenda, aut jam facta, instar omnium est idem anodynus liquor, remixtus cum tertia parte spiritus bezoardici, ad mentem *Bussi* parati, & a me in *observationibus physico chymicis* Lib. 2. obs. 28. pag. 238. descripti.

Cautela & Observationes Clinica.

S. I.

Purpura, morbus omnium delicatissimus, nihil plane fert excessivum, in regimine æque ac medicatione. In regimine quidem æger semper in moderato & æquali calore, tam lecti, quam hypocausti, detineatur, eo quod nimis æstuosum vires frangit, ac pruritum ardoremque cum anxietatibus auget, frigidius exanthematum eruptionem impedit, subsequente languore & angore: & inæquale expulsionem retardat, vel minimum instabilem facit purpuram. Vitetur etiam stragulorum & indusiorum quantum fieri potest mutatio, ac potius jam trita, sicca, & fumigata injiciantur.

S. II.

Quam graviter dein calida & alexipharmaca medicamenta noceant, docuit sane uberius experientia, quæ constat, eadem cum æstuoso regimine, in causa esse, quod ingruente primum novo hoc morbo, omnes fere perierint, quum jam sub temperata methodo plurimi evadant. Quin liberalior tantum infusorum & decoctorum calidorum potus, sudorem nimium movendo & serum plus justo exhauriendo, officit. Ubi vero motus est retrocessionis, vel hæc jam facta, tum potus calidus præsentis efficaciarum & moderata quoque expellentia locum utique inveniunt.

S. III.

§. III.

Item ve-
frigerā.
s id.

Vicissim refrigerantia & intestinum motum nimis sedantia intus detinent materiam, & anxietates ob id ac languores cum periculo intendunt. Ipsum nitrum circumspice usurpandum. In alba enim purpura, & ubi malignitatis indicia, refrigerationes externæ cum æstu subinde intercurrente, præsto sunt, ab eo plane abstinendum. In rubra vero purpura, sive alba cum rubra conjuncta, ubi internus adest æstus, cum siti & pulsuum magnitudine, medicamenta diaphoretica leniter nitrata omnino accommoda.

§. IV.

Necnon
cerevisi-
sæ po-
sum.

Cerevisiæ etiam potum nullus minus fert morbus, quam purpura, eo quod multas impuras, crassas, & heterogeneas partes in sanguinem & lympham invehit. Hinc ego quidem semper purpura laborantibus auctor sum, ut ab omni cerevisiarum genere abstineant, & bibant decoctum ex radice scorzonæræ, sarsaparillæ & cichorii, cum rasura cornu cervi, hordeo mundo & pauxillo seminis fœniculi, vel anisi stellati.

§. V.

Alvus
aperien-
da causā.

Alvus in purpura nec nimis laxa, nec nimis stricta esse debet. Si enim diutius retinetur, morbus inde nascitur pabulum & longius extrahitur; si vero purgantibus, quin laxantibus omni virulentia destitutis, intempestive ducitur, materia per poros eliminanda revocatur, & præcordiorum angustias, tormina & ardores in ventre, nauseam & stomachi subversionem inducit. Hinc in purpura tam idiopatica, quam quæ aliis exanthematicis accedit, tanto magis maligna, alvum nec paullo ante, nec paullo post eruptionem irritare licet, sed quando vis morbida ferbuit, & purpura siccescere incipit. Neque tum vix aliud expedit remedium, quam clyster emolliens, injiciendus sub symptomatum remissione, plerumque matutino tempore major, quam vespertino & nocturno est.

Tom. IV.

§. VI.

Sanguinis missio maxima cum prudentia instituenda; nam in purpura alba & maligna, quam summa virium prostratio, cum largis sudoribus & debilitate ac frequentia pulsus, arguit, plane non est admittenda: contra ea insigniter prodest; quin necessaria est puerperis, quando lochiis retentis, symptomata purpuram comitantia ejus incursum nunciant; cito tamen administranda. Sic enim sæpius observavi, summas præcordiorum anxietates, animi defectiones, laboriosam & anxiam spirationem feliciter fuisse sublata, & mox summo cum levamine in universo corpore purpuram proripuisse; id quod pluribus docui & adstruxi in dissertatione de venæsectionis prudenti administratione pag. 18. seqq.

§. VII.

Quum porro vires plerumque hoc in morbo admodum sint prostratæ & ad lipothymias propensio, summo omnino cavendum est studio, ne æger ex lecto surgat, aut diutius erectus sedeat, quia facile sic obrepit animi defectio, & motu humorum ad interiora converso, exanthemata cum discrimine disparent. Subinde potius vires refocillandæ per mixturas analepticas, ex aqua melissæ citratæ, vel Turcicæ, liliorum convallium, cerasorum nigrorum, florum acaciæ, tubi idæi, cum spiritu nitri dulci, matre perlarum & syrupo acetositis citri. Quibus pro circumstantiarum ratione lenia diaphoretica, uti cornu cervi philosophice præparatum & antimonium diaphoreticum; vel etiam si sudores colliquativi effusius manant, succus citri & species de hyacintho, cum fructu adjici possunt.

§. VIII.

Vesicatoriorum utilitatem in purpura jam dilaudavit Hamilton de febre miliari, eademque scapulis apponendū.

H re

re suadet. Recte omnino. Subtrahunt enim humorem serosum impurum, & fibras delassatas nerveas ad contradictionem excitant, ut materiam morbificam promte excutiant. Hinc sub tarda eruptione & motu humorum ad interiora ipsumque caput converso, sapius cum fructu præcepi, ut suris apponeretur vesicatorium, cuiusmodi concinnare soleo ex emplastro de meliloto, pulvere cantharidum, cum paxillo balsami Peruviani.

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Febrys
purpu-
rata in
puerpe-
ra fune-
ris.*

Fœminam novi viginti aliquot annorum, vegetam & alacrem, sanguineo-cholicam, quæ virgo levi ex causa hysterica experta fuerat pathemata, sub axillis quoque & pedibus largiter sudarat, bene cæterum appetens, & corpus domesticæ negotia obeundo probe exercens. Hæc utero gerens ex hilari præter morem fiebat tristis, sudores sueti siccescebant, a medio gestationis tempore perpetuo largus lactis in mammis erat proventus, & quinto mense circa hypochondria exquisitus oboriebatur dolor ardens, quasi ex prunis candentibus. Post partum admodum laboriosum ingenti horrore febrili corripiebatur per totum corpus, quem excipiebat capitis dolor & inquietudo. Quinto die lochia sistebantur, & accedebant præcordiorum anxietates, cum horripilatione febrili, intercurrente æstu, ardore in ventre, & tandem deliriis. Datæ diaphoreticis sub temperate calido regimine, in cordis serobiculo collo & dorso, nec non brachiis, purpura & rubra & alba efflorescebat quidem; sed quum gravi commoveretur iracundia, cutis iterum fiebat arida & sicca, delirium in furem plane transibat, lac post partum etiam copiosissimum retinebatur, in ventre oboriebantur borborygmi, spiritus intercludebatur, ac demum decebat.

Epicrisis.

I. Adduxit utique hunc morbum sanguinis & feri impuri abundantia, ob vitæ genus ex mobili in sedentarium mutatum, sudores suetos suppressos & venæ sectionem sub graviditate plane omissam, contracta. Nunquam etiam boni ominis in gravidis, si de ardore & æstu in interioribus abdominis conqueruntur. Signum enim præbet, hisce in partibus congestionis atque infarctus, qui successive ipsum sanguinem magis corrumpit, a quo natura post partum febrili motu se liberare intendit.

II. Nihil certe in morbis acutis deterius gravi animi affectu, in primis iracundia vehementi. Si enim in sanis corporibus magna horum affectuum nocendi facultas, quidni in ægrotis? Hæc quidem inde sanguinis & humorum motus ad caput conversus, phrenitidem cum morte attulit.

OBSERVATIO II.

Tenera, sensibilis, & ad iram proclivis fœmina, triginta annorum, sterile per decem annos duxerat matrimonium, sana tamen & vegeta. Quum vero maritus inopinata morte extingueretur tempore menstrui fluxus, substitit hic, & misera tota luctui sese dedit, inquieta fuit, nec dormivit, nec appetiit. Paulo post horripilationem cum æstu persensit, nec non tremulam manuum & colli agitationem cum cynico spasmo oris, anxietatibus subinde affecta & lipothymia. Datæ antispasmodicis & antihystericis, conquieverunt tantisper hæc symptomata; subinde tamen, licet mitius, repetentia, donec die tandem tertio, cum horripilationis & tractionis in cute sensu, in collo, dorso & universo corpore purpura rubra cum alba prodiret, alvo per aliquot dies ante & sub eruptione clausa. Interim spastica priora symptomata remiserunt, somnus vero non rediit, prætereaque perpetuus ad urinam fuit stimulus, quæ tamen parce stillavit. Sed quum inopinato percelleret terrore

rore, diſparuerunt illico exanthemata omnia, ſequuta ingens præcordiorum anxietas, redierunt pathemata hyſterica ſpaſtico-convulſiva, ac mentem plane turbare viſa ſunt. Hinc ſanguis e vena miſſus floridus, & datus poſtea liquor anodynus mineralis cum ſpiritu bezoardico, ternis ſingulis horis ex infuſo theiformi. Inde tertio die poſt comparuit iterum purpura, ſtationem tamen non ſervavit, ſed poſt corporis refrigerationem & injectum clyſterem denuo maxima ex parte receſſit; hoc factò mentis confuſio, ut ſine cauſa ſubinde vel in cachinnos, vel in lacrymas egra ſolveretur. Corpore autem melius habuit, cibos ſumſit, ſomno non penitus caruit, & ſenſim eo pervenit, ut domeſtica iterum obire potuerit negotia. Elapſo inter hæc ſeſtrem ſpatio meo ex conſilio uſa eſt Carolinis thermis, quibus purpura per omnem corporis ambitum expulſa, qua poſt ſeptimum diem ſquamarum inſtar ſecedente, mens reſtituta, corpus & vires ex voto per DEI gratiam confirmatæ.

Epicriſis.

Purpuram in ſanguineo corpore ex ſanguine menſtruo repente ſuppreſſo generari poſſe, ex hac hiſtoria patet utique. Excrementitia autem purpuræ materia, intus retenta, nervolis quam maxime infeſta eſt partibus, eaſdemque ſpaſmis & convulſivis plane motibus afficit. Quin diutius deliteſcens in interioribus, ipſam mentem turbare poteſt, hanc procul dubio ob cauſam, quia nervolis cerebri membranis firmius inſidet, eaſdemque exagitat. Carolinarum igitur præſtans maxime eſt virtus ad depurandos corporis ſuccos, recrementitiam materiam ſolidis & fluidis partibus intime inſinuatam ſeparandam, & per cutis poros expellendam.

OBSERVATIO III.

Sanguineus ac robuſtus juvenis corripiebatur horrore, frigore, æſtu poſtea & ingenti præcordiorum anxietate.

Secabatur ſecundo ſtatim die vena, quarto & quinto totum corpus purpura alba confertim occupabat. Æger in conclavi calido detentus, de moleſta gravitate & tractione in ſiniſtro latere conquerebatur, ad mingendum quidem ſtimulabatur, ſed paucam reddebat cum ſtranguria urinam, alvo ſimul per ſex dies clauſa. Dabatur ipſi loco potus decoctum ex avena, radice ſcorzonæ, cum ſemine papaveris albi & cornu cervi uſto, ac præterea quater quotidie doſes hujus pulveris: Recipe cornu cervi ſine igne parati, oculorum cancri, antimonii diaphoretici ana drachmas duas, cinnabaris antimonii drachmam cum dimidia. M. Inde melius habuit, urinæ etiam facilius miſit, & exanthemata uberius prodierunt in univerſo corpore. Nonò die veſperinares ſanguinem ſtillarunt, & alvus ſponte ſoluta. Nihilominus per totum morbum ſomno fere caruit, hinc data hæc potio: recipe aquæ florum ſambuci, acaciæ ana uncias duas, antimonii diaphoretici, oculorum cancri, ana drachmam dimidiam, ſyrupi papaveris albi drachmas duas, mixturæ ſimplicis drachmam. M. Qua continuato ſimul pulverum bezoardicorum uſu, undecimo die ex toto convaleſcit.

Epicriſis.

Purpura alba admodum quidem periculofa, ſi aliis acutis & exanthematicis morbis accedit; ſi vero idiopathica cum febre recte prodit, & ordinatum ſervat typum, non adeo eſt pertimeſcenda, modo recte temperato regimine & temperatis diaphoreticis excipiat. Hæc quidem ſanguinis copia multum fecit ad generationem morbi, ideoque venæ ſectio mature adminiſtrata commodam locavit operam, quæ in cacochymicis & ſymptomatica purpura, plus ut plurimum damni, quam emolumenti affert.

OBSERVATIO IV.

Tertio poſt partum laborioſum die, Purpura ſucculenta ſanguineo-cholericæ poſt

alvi laxatione
feliciter
securata.

ca, viginti & aliquot annorum, con-
questia est de capitis, dorsi, & totius
corticis corporis dolore, *als wenn ihr
die Haut sehr vveh thate*, quasi cutis
doleret, nec non de spastico stupefa-
ctivo in manibus sensu, & scintillis i-
gneis oculis obversantibus. Accesser-
unt dein anxietates præcordiorum,
agrypnia, ardor febrilis, virium pro-
stratio, sitis, oculorum rubor & squalor.
Datis lenioribus diaphoreticis
cum regimine temperate calido, die
quarto erupit purpura, quinto & sexto
die omnecorporis ambitum occupans,
interspersa in pectore, manibus & ab-
domine rubra alba. A sexto die al-
vus fuit adstricta, & lochiorum fluxus
substitit ad nonum usque. Hinc ad al-
vum solvenda & lochia revocanda
data dosis pilularum Becherianarum,
quæ lenem fecit laxationem, & data
altera dosi, lochiorum fluxus rediit cū
magno foetore, sequuti sudores largi-
simi, acidi & foetentes ad diem usque
undecimum, urina quoque secessit
graveolens. His excretionibus solutus
morbus, vires successive redierunt
cum somno, & ægra sanitatem recepit.

Epicrisis.

Omissa sub graviditate sanguinis
missio in sanguineo hoc corpore seri &
sanguinis impuri genuit copiam, ex
qua purpura. Quia vero a lochiorum
itemque alvi suppressione succorum
impuritas aucta, optimo utique consi-
lio, pilulæ Becherianæ oblatæ, quip-
pe quæ primo statim die in puerperio
data materiam & causam febris ac
purpuræ tempestive præscindere so-
lent. Ut adeo pateat: temperata laxan-
tia in purpura non penitus esse refor-
midanda.

OBSERVATIO V.

Post ery-
sipelas
purpura
ex pri-
marum
viarum
sorditie.

Fœmina tres supra triginta annos
nata filiolum edidit sanum ac vege-
tum, & ipsa quoque per tres hebdoma-
des optime habuit. Post iracundiam
vero & terrorem dextram mammam,
sub alvo a triduo adstricta, occupavit

erysipelas, quod tamen pulvere ex
farina fabarum, cerussa & floribus cha-
momillæ confecto discussum. Tercio
die ingens accessit horror ac frigus,
subsequente acri æstu per totam no-
ctem durante, alvus dura fuit ac ten-
sa, somnus parvus & nullus. Dura-
runt hæc per tres dies, quarto autem
erupit purpura. quæ postquam per
triduum molesto ardore & dolore pun-
gitivo summam cutem divexasset, de-
cidit æstus cum pulsus celeritate vi-
riumque dejectione remisit, & ægra
tandem & morbum & puerperium fe-
liciter superavit. Nihil autem aliud
usurpatum, quam leniora & fixiora
diaphoretica cum humectantibus, cly-
steres emollientes ex decocto cremo-
ris avenæ cum chamomilla vulgari,
addito oleo amygdalarum dulcium &
sale communi, & remittente morbo
ac febre, subjunctus usus pilularum
nostrarum balsamicarum.

Epicrisis.

Puerperæ hanc etiam ob causam tam
frequenter in exanthematicas, erysi-
pelas, & purpuratas febres incidunt,
quia primas vias a fordibus gravidita-
tis tempore contractis non convenien-
ti pharmaco expurgant. Quando e-
nim prima regio corrupta, ac impura
materia repleta, vel levis animi affe-
ctus, ut ira, terror, vel improvida cor-
poris refrigeratio, illam commovendo
& sanguini invehendo, febrem suscitât
exanthematicam. In nostra erysi-
pelas primum productum, eodemque re-
pullo, de novo febris accensa, subse-
quente exanthemate purpureo.

OBSERVATIO VI.

Fœmina triginta aliquot annorum, *Puerperæ
et purpuratæ
venæ sectione
servata.*
secunda jam plurium liberorum ma-
ter, semper fere in puerperio labora-
bat purpura, feliciter tamen ean-
dem superarat. Quum vero septi-
ma vice expectatione citius partus
ei, ommissa ultima venæ sectione, obti-
gisset.

gisset, die quinto post experta est horrorem cum subsequente æstu, lochia parcius justo fluentia substiterunt plane, anxietates ipsam infestarunt, somnus defuit, caput doluit, & universum corpus languit. Data quidem temperata diaphoretica cum temperantibus, & die quarto post sparsim effloruit. in primis in cordis scrobiculo, purpureum exanthema. Symptomata autem discedere noluerunt, sed potius spasmi in artubus & abdomine accesserunt, purpura disparuit iterum, anxietates fuerunt summæ, ægra corpus jaëtitavit, delirare cepit, & animo subinde linqui, ut omnia jam conclamata esse viderentur. Hinc vena incisa in brachio, & quatuor circiter sanguinis uncia subtrahæ. Quo facto, protinus præcordiorum angor remisit, animi defectio cessavit, ægra ad se rediit, corpus totum calore & madore perfusum, ac paullo post erupit copiosissima purpura, quæ debito regimine & congrua medicatione ex voto persanata.

Epicrisis.

Fundatum quidem in experientia est, non tentandam esse sanguinis missionem, ubi purpuræ eruptio instat, aut modo facta; dantur tamen casus, ubi summopere; necessarium, ut hoc etiam tempore sanguis mittatur. Nonnunquam enim, lochiis resistentibus, aut parcius justo fluentibus, sanguis redundans, ob spasmos in abdomine, cum impetu urgetur & congeritur ad cor ac cerebrum, ibique atrocita & lethifera suscitatur symptomata, quæ perperam vulgo retrocessionem materiæ exanthematicæ tribuuntur. Hinc si per venæsectionem sanguis superfluous subtrahitur, cessant illico pathemata, & liberiore ac æquali facto circuitu, eruptio expedite succedit summo cum levamine.

OBSERVATIO VII.

Judiciũ Purpurata febris, novus & incon-
& consi- gnitus veteribus morbus post quam
Tom. IV.

circa annum Æ.C. 1552. Lipsiæ primum cepit, successive adeo vires sumsit, & longe lateque processit, ut in plurimis, Germaniæ minimum locis, jam notus sit atque solennis. Quo vero penetravit haud exiguum primum edidit stragem, multumque negotii facessivit medicis, priusquam ipsa edoceret experientia, cujus esset indolis, quæ ferret, quæ non, in medicatione æque ac regimine. Hinc sepius tam in, quam extra Germaniam, medici meum exquisiverunt judicium atque consilium, qualis sit incognitus hic morbus, & quo pacto eidem feliciter occurrendum. Quum igitur adhuc latius quotidie serpat, non infructuosum erit, heic inferere ea, quæ quum anno 1723. Francoforti ad Mœnum primum comparet, ad me a medicis perscripta, una cum iis, quæ respondi. Ita autem habebat missa mihi relatio historica: *Infestavit ab aliquo tempore puerperas nostra hac in urbe novus quidam morbus, hunc potissimum in modum incendens atque decurrens. Partum enixæ, secundo vel tertio puerperii die corripiuntur horrore cum subsequente calore, conqueruntur de summa pectoris oppressione & crebrioribus suspiriis, lochiis ut plurimum resistentibus. Interjectis aliquot diebus, erumpunt pustulæ miliares, in primis circa cordis regionem conspicuæ, excipiunt deliria & nervorum subsultus, & plurimæ ex agris occumbunt, aliæ circa quintum, plures nono morbi die. Licet autem morbo huic omnibus viribus sit occursum, efficacissimis alexipharmacis, imperata quiete, regimine calido, vesicatoriorum applicatione & cucurbitulis siccis; irrita tamen fuerunt omnia, & tritum obtinuit adagium: interdum docta plus valet arte malum. Hinc queritur: qualis sit hic morbus, & qua methodo, quibusque medicamentis sit expugnandus?*

lium de
preser-
vatione
& cura
purpu-
re pueri-
perarũ.

JUDICIUM CUM CONSILIO.

Per scriptam morbi ignoti historiam curate & perlegi & expendi. Est autem is febris maligna miliaris, quæ nostris in oris, in primis Misnia tractu, a plurimis annis admodum frequens & puerperis sæpius funesta fuit. Ante sexaginta circiter annos nostris pariter incognitus fuit hic morbus, primum Lipsiæ observatus, ideoque *var. æ. x.* febris purpurata Lipsiensis nomen obtinuit. Jam longius processit ac vires sumit, ut non modo puerperæ, sed & viri, in primis tamen foemina, eodem crebrius decumbant, modo acute & brevius, modo longius, per tres, quin sex quandoque menses. Hinc in chronicam & acutam purpuram dissecitur. Illa quidem admodum molesta, sed non periculosa, nec febre stipata; hæc autem semper febrem habet comitem, nec periculo caret. Periculum tamen in hac eo majus est, quo magis corpus, quod corripit, ex praegressa tempestatum diuturna insalubri constitutione, pravo victu & vivendi genere, nec non aliis causis vel debile est, vel impuris succis repletum. Et chronica illa etiam vehementius & diutius insistit, pro corporis, in quod cadit, dispositione. Dein purpura, vel rubra est, vel alba. Illa non tam malignæ & deleteris indolis, quam hæc, quæ, si, ut sæpius evenit, aliis acutis exanthematicis febribus in fine accedit, mortem ut plurimum intert.

Causa hujus tam fontici morbi maxima ex parte corruptæ, vappescenti, & corrosivæ lymphæ tribuenda videtur. Quando enim lymphæ in diverticulis & tubulis glandulosis stagnat, & diutius subsistit, corrumpitur, & acrem corrosivam indolem induit. Quæ postmodum succis & sanguini insinuatæ, & cum hoc ad partes nervosas delata truculenta illa in purpura obvia pathemata inducit, anxietates præcordiorum, cardialgias, angores, inquietu-

tudines, dolores & tractiones in artubus, languores, respirationem difficilem, oppressiones pectoris, horrores, lipothymias, pruritus, aliaque. Omnia tamen hæc remittunt symptomata, si beneficio naturæ materia acris ad corporis perficiem propellitur. Singulare autem habet hoc exanthema illud, quod admodum sit variabile, mox compareat, mox evanescat, & hinc symptomata jam leniora, jam graviora inferat.

Chronicam purpuram observavi sæpius in foeminis, quæ antea fluorem album expertæ hunc subito siccarunt; disparente iterum, hoc repetente, purpura. Dein notavi, foeminas, quibus post quinquagesimum annum menses emanferunt, purpuram crebrius incurrisse. Frequens quoque idem hic morbus omnibus, qui vitam colunt sedentariam, animi affectibus, ira præsertim ac terrore jactantur, læticiiniis, dulcibus & placentis delectantur, nec legitimum experiuntur alvi beneficium. In acutis febribus, variolis & morbillis, si alvus justo diutius adstricta, vel diarrhæa contingens subito sistitur, purpura subsequi solet, ob retentas acres, saltas, sulphureas sordes. Maxime omnium vero frequens & anceps est hic morbus in puerperis, eo quod sub graviditate, ob retentos menses, sanguis nimius sit & impurus, tanto certius, si accedit inordinatum vitæ genus, vita sedentaria, animi angor, & somnus nimius. Impetere solet purpura vel cum, vel paullo post febrem lacteam, quæ subsistentem passim corruptam lympham e latibulis excutit, & in sanguinem agit. Quod autem purpura jam frequentior sit quam antea, id perverio potissimum ab usui potuum calidorum, in primis decocti Caffæ, tribuendum. Quamvis enim potus hic, si alvum simul laxat, non facile nocet; certum tamen, quod, si liberalius sub alvo clausa ingurgitatur, multas recrementitias ex intestinis in sanguinem pellat sordes,

& ſudori movendo aptus ſit, cujus ramen ſucceſſus poſt eundem incurioſius habetur, ut ſucci hinc non poſſint non fordeſcere.

Ad arcendum porro hunc morbum nonnulla ante, nonnulla poſt partum ſunt tenenda. Sub graviditate ſanguis quantum fieri poteſt ab impuritate vindicandus. Hunc in finem in ſanguineis, quæ bene comedunt & minus corpus exercent, bis vel ter, quarto, ſexto, & in medio noni menſis, vena pertundenda. Alvus ſemper in officio retinenda, cujus ſi obliſciſcitur, admonenda alimentis, vel pilularum baſſamicarum, Becherianarum, Stahliaſarum, aut noſtrarum uſu, nec non potione ex manna cum rhabarbaro & cremore tartari. Perſpirationis quoque ſaluberrimæ ſucceſſus ſecundandus per corporis motum, diluentia juſcula, potum tenuem, vitando dulcia, acida, fruſtus horæos & omnia, quæ ſpiſſum & viſcidum ſanguinem ingignunt. Venter, præſertim in cœna, non nimia ciborum copia onerandus, ſomnus longior arcendus, & animus in tranquillitate ſervandus. Ex medicamentis ea proſunt, quæ ebullitionem ſanguinis componunt, leniterque cuticularem excretionem promovere, diaphoretica nempe fixa cum temperantibus & nitro. Poſt partum e re eſt, ut ſedata ſanguinis exæſtuatione & pulſus vehementia, ſecundo poſt die, doſis pilularum ſupra dictarum aſſumatur, quæ non modo inteſtina, ſed uterum expurgant, ſimulque lochialem fluxum promovere, eaque propter altero iterum die eaſdem deglutire expedit, in primis ſi lochiorum fluxus tardius nimis, vel inſufficiens. Tertio demum die ſi febris lactea ingruit, neceſſarium eſt, quo bis quotidie dimidia drachma pulveris mei bezoardici cum præcipitante remixti, ſumatur.

Quando autem purpura adefſt, in curatione rite adornanda, ante omnia in lochia inquirendum, an recte & ſufficienter ſeceſſerint? Quod ſi hoc non

factum, poſt pediluvium, vena in pede ſecanda. Tum vitandus omnis calor, tam in regimine, quam medicatione; vitanda vero etiam refrigeratio & refrigerantia remedia, ipſoque nitro caute utendum, ac nonniſi ubi ſanguis æſtuat, & pulſus celer eſt. Alvus quoque nec nimis ſit adſtriſta, nec intempeſtive, vel acrioribus irritetur. Inter medicamenta nulla magis proficua deprehendi, quam pulverem meum bezoardicum, præcipitantem, & liquorem anodynum mineralem, una cum pulvere caſtorino cinnabario. Si peſtus cum angore opprimitur, ſoleo liquorem anodynum, tribus partibus, cum una parte ſpiritus bezoardici Buſſii & dimidia parte eſſentiæ caſtorei miſcere, & alternatim propinare hunc pulverem: recipe pulveris Marchionis drachmam, cinnabaris native præparatæ ſcrupulum, pulveris caſtorei grana X. M. ſ. pulvis, dividatur in doſes IV. Loco potus ordinarii præbere ſuadeo decoctum ex ratura cornu cervi, radicis ſcorzonæ, ſarſaparillæ, ana unciis binis, decoctis in quatuor aquæ menſuris. Infuſum theæ autem liberalius bibere non conducibile, ſed ſufficit aliquot tantum patellas interdum ſorbillare. Quod ſi demum alvus nimis ſicca, e-nemate domeſtico, ex floribus chamomillæ, ſale communi & nitro cum decocto avenaceo, ſubducenda.

Atque hæc ſunt medicamenta, & hæc eſt methodus, quibus ego per Dei gratiam multos purpura decumbentes feliciter ſanavi. Quæ rogatus candide ſic exponere volui, debui. Halæ d. X. Decembr. Anni 1723.

Plura exempla legi poſſunt in Conſult. Medic. Tom. 2. ſect. 4. cap. 191. 195.

C A P. X.

De Febribus epidemicis exanthematis, catarrhalibus sive petechizantibus.

Theses Pathologicae.

§. I.

Descriptio
morbi.

Febres hę sunt lenes continuę, cum virium prostratione, vigilia, inappetentia & quandoque cum eruptione macularum in summa cute junctę, ortę a feri excrementitii copia & intestina dissolutione, non sine contagio & vitę periculo.

§. II.

Insultus
& desensus.

Ab initio statim immutatur faciei aspectus in morbidum, & ægrotaturi tribus vel quatuor antequam lecto assignantur diebus, conqueri solent de spontanea lassitudine, gravativo corporis & artuum dolore, quasi ossa contusa essent & fracta, de virium languore, inappetentia, levi animi defectione, nausea cardialgica *Ubelseyn*, capitis dolore & somno inquieto, alvo simul adstricta. Accedit postea vespere horripilatio & frigus, sequitur æstus, increseunt symptomata, major virium fit jactura, ut vix imbecilles & teneri erecti manere queant, capitis dolor cum vertigine & inquietudine ingravescit, in quibusdam dorsum, vel etiam latera exquirit dolet, præcordia anguntur, interna ardent, fauces arent, pulsus contractus, celer ac debilis est, urina pallida sine sedimento, & spiritus difficillime trahitur. Tum prodeunt in nonnullis quarto, vel circa septimum diem, in dorso potissimum, pectore & brachiis, cum, vel sine levamine, maculę, in aliis copiosiores, in aliis pauciores, coloris varii, vel, ut in plerisque, purpureis, vel lividi fusci, vel pallidioris rosei, modolatiores, modo minores, in plurimis instar morfus pulicum, a quibus tamen dignoscuntur, dum compressę non

relinquunt vestigium in medio rubicundum. Ob quam macularum diversitatem, febres hę varia sortiuntur nomina, ut vel purpuratę, vel punctulares, vel petechiales spurię, audiant. Sub hoc morbi statu, sive vigore, acerbiora sunt omnia, inquietudo maxima, corporis jactatio ejusque decubitus insuetus, mens turbata, sermo delirus, somnus nullus, sudor frigidiusculus, angustia spirandi intensior, & pulsus contractus, inæqualis, celer & frequens.

§. III.

His si accedunt tendinum subsultus, *Eventus* sitis defectus, borborygni in ventre, singultus, faucium ab aphtis inflammatio, convulsiones, aut syncope, cum extremorum refrigeratione & sudore largissimo, certa sunt mortis indicia. Quando autem circa dies criticos, vel in ipsis, septimo, undecimo, vel decimo quarto, liberalius prodit tepidus sudor, per aliquot sæpe dies, licet cum virium languore manans, vel etiam alvus per aliquot dies fluit, salutis est indicium, tanto certius, quando postea pulsus muratur, antea contractus increbescit, durus mollescit, celeritatem tantisper ponit, magisque æqualis fit, quando animus fit erectior, situs & decubitus corporis quietior, auditus difficilis, urina turbida & sedimentum ponens, quod quidem circa dies criticos certum fere faulti eventus indicium. Hoc quippe facto, successive postea somnus, appetentia & vires redeunt, quod tamen non facile ante diem accedit decimum quartum.

§. IX.

Veteribus hę febres quotidianę continuę serosę, vel etiam recentioribus catarrhales malignę vocari solent, quia leniter procedunt ab initio, & coryza, gravedo pectoris, infarctus, tussis sæpe primis diebus junguntur & vespere per noctem exacerbationes fiunt. Formalis autem earum ratio consistit maxime in partium sanguinis, vel potius feri dissolutione.

mediante motu febrili, cujus beneficio impura, corrupta, heterogenea partes, si robur adhuc inest naturae, nec adeo corrupta solidorum & fluidorum dispositio, evolvuntur, earumque subtilior serosa pars per largum sudorem, crassior & mucida per nares, fauces & bronchia, biliosa mucida per alvi secessum, & putrida salino-sulphurea, sub forma macularum, per tubulosam & fibrosam cutis substantiam, postea salutariter propellitur. Exanthematicam enim materiam non causam, sed potius effectum, neque etiam perpetuum hujus febris esse, ex eo patescit, quod morbus non sola efflorescentia exanthematum feliciter & perfecte solvi solet, sed plures, eadem copiose licet facta, pessime habeant, alii sine ea evadant & decedant quoque, nunquam vero firma salutis spes sit, nisi solennis evacuatio, vel per alvum, vel sudorem, diebus convenientibus criticis fiat. Quod autem dissolutio humorum fiat, intolerabilis & extraordinarius plane foetor foetidum, quae per alvum, sudorem & urinam copiosissime secedunt, planum facit testatumque.

§. V.

Materialis causa.

Materialis igitur harum febrium causa, utique ingens & insolita plane humorum excrementitiorum salino-sulphureorum & mucidorum corruptibilium impuritas, quae unionem & mixtionem sanguinis ingressa, eundem in intestinum dissolutorium motum deducit. Sed unde haec primum habeat ortum, disquirendum merito. Nam licet semper, etiam secundum naturam, vitalibus succis insit impurum, per varii generis emunctoria excernendum jugiter: illa tamen impuritas, quae hunc facit morbum, longe magis a succorum indole aliena est, quam ordinaria, & praeterea ita comparata, ut sese intime cum lymphâ & sanguine uniat, eorumque crasin & mixtionem ingrediatur. Interim sicuti omnis morbofa impuritas, sive cacochymia, ab ingestis intemperatis

& incongruis, excretionibusque, praesertim per alvum & cutim, suppressis, originem ducit; ita enim haec corruptiva impuritas, febrium catarrhaliū mali moris & exanthematicarum causa, pariter ab ingestis, maxime potu, incongruis simulque excretionibus, praesertim cuticulari, suppressis, oboritur.

§. VI.

Epidemicas autem plerumque esse *Ex ante.* has febres, experientia docet, ac a praeternaturali extraordinaria temporum anni tempestatumque constitutione oboriri, tali, qua multa in corpore gignuntur recrementa, eorumque per cutis poros secessione impedita, accumulatur. Quin aeris constitutionem sequuntur haec febres epidemicae, ac inde magis, vel minus deterioris sunt genii. Inprimis per multiplicem constat observationem, diu perseverantem aeris australis humidus, calidus, nebulosus & ventis destituti, praesertim vere & autumno, statum, accedentibus postea frigidioribus septentrionalibus ventis, febres mali moris putridas, exanthematicas asferre. Neque minus constat, quod si aestas diutius siccior, autumno, spirante vento boreali, prodeant affatim febres epidemicae, acutae, intermittentes, exanthematicae, petechiales, purpuraceae & dysentericae, uti quidem annis 1709, 1710, 1711, 1712, 1713, 1714, 1715, 1716, 1717, 1718, 1719, 1720, 1721, 1722, 1723, 1724, 1725, 1726, 1727, 1728, 1729, 1730, 1731, 1732, 1733, 1734, 1735, 1736, 1737, 1738, 1739, 1740, 1741, 1742, 1743, 1744, 1745, 1746, 1747, 1748, 1749, 1750, 1751, 1752, 1753, 1754, 1755, 1756, 1757, 1758, 1759, 1760, 1761, 1762, 1763, 1764, 1765, 1766, 1767, 1768, 1769, 1770, 1771, 1772, 1773, 1774, 1775, 1776, 1777, 1778, 1779, 1780, 1781, 1782, 1783, 1784, 1785, 1786, 1787, 1788, 1789, 1790, 1791, 1792, 1793, 1794, 1795, 1796, 1797, 1798, 1799, 1800, 1801, 1802, 1803, 1804, 1805, 1806, 1807, 1808, 1809, 1810, 1811, 1812, 1813, 1814, 1815, 1816, 1817, 1818, 1819, 1820, 1821, 1822, 1823, 1824, 1825, 1826, 1827, 1828, 1829, 1830, 1831, 1832, 1833, 1834, 1835, 1836, 1837, 1838, 1839, 1840, 1841, 1842, 1843, 1844, 1845, 1846, 1847, 1848, 1849, 1850, 1851, 1852, 1853, 1854, 1855, 1856, 1857, 1858, 1859, 1860, 1861, 1862, 1863, 1864, 1865, 1866, 1867, 1868, 1869, 1870, 1871, 1872, 1873, 1874, 1875, 1876, 1877, 1878, 1879, 1880, 1881, 1882, 1883, 1884, 1885, 1886, 1887, 1888, 1889, 1890, 1891, 1892, 1893, 1894, 1895, 1896, 1897, 1898, 1899, 1900, 1901, 1902, 1903, 1904, 1905, 1906, 1907, 1908, 1909, 1910, 1911, 1912, 1913, 1914, 1915, 1916, 1917, 1918, 1919, 1920, 1921, 1922, 1923, 1924, 1925, 1926, 1927, 1928, 1929, 1930, 1931, 1932, 1933, 1934, 1935, 1936, 1937, 1938, 1939, 1940, 1941, 1942, 1943, 1944, 1945, 1946, 1947, 1948, 1949, 1950, 1951, 1952, 1953, 1954, 1955, 1956, 1957, 1958, 1959, 1960, 1961, 1962, 1963, 1964, 1965, 1966, 1967, 1968, 1969, 1970, 1971, 1972, 1973, 1974, 1975, 1976, 1977, 1978, 1979, 1980, 1981, 1982, 1983, 1984, 1985, 1986, 1987, 1988, 1989, 1990, 1991, 1992, 1993, 1994, 1995, 1996, 1997, 1998, 1999, 2000, 2001, 2002, 2003, 2004, 2005, 2006, 2007, 2008, 2009, 2010, 2011, 2012, 2013, 2014, 2015, 2016, 2017, 2018, 2019, 2020, 2021, 2022, 2023, 2024, 2025, 2026, 2027, 2028, 2029, 2030, 2031, 2032, 2033, 2034, 2035, 2036, 2037, 2038, 2039, 2040, 2041, 2042, 2043, 2044, 2045, 2046, 2047, 2048, 2049, 2050, 2051, 2052, 2053, 2054, 2055, 2056, 2057, 2058, 2059, 2060, 2061, 2062, 2063, 2064, 2065, 2066, 2067, 2068, 2069, 2070, 2071, 2072, 2073, 2074, 2075, 2076, 2077, 2078, 2079, 2080, 2081, 2082, 2083, 2084, 2085, 2086, 2087, 2088, 2089, 2090, 2091, 2092, 2093, 2094, 2095, 2096, 2097, 2098, 2099, 2100, 2101, 2102, 2103, 2104, 2105, 2106, 2107, 2108, 2109, 2110, 2111, 2112, 2113, 2114, 2115, 2116, 2117, 2118, 2119, 2120, 2121, 2122, 2123, 2124, 2125, 2126, 2127, 2128, 2129, 2130, 2131, 2132, 2133, 2134, 2135, 2136, 2137, 2138, 2139, 2140, 2141, 2142, 2143, 2144, 2145, 2146, 2147, 2148, 2149, 2150, 2151, 2152, 2153, 2154, 2155, 2156, 2157, 2158, 2159, 2160, 2161, 2162, 2163, 2164, 2165, 2166, 2167, 2168, 2169, 2170, 2171, 2172, 2173, 2174, 2175, 2176, 2177, 2178, 2179, 2180, 2181, 2182, 2183, 2184, 2185, 2186, 2187, 2188, 2189, 2190, 2191, 2192, 2193, 2194, 2195, 2196, 2197, 2198, 2199, 2200, 2201, 2202, 2203, 2204, 2205, 2206, 2207, 2208, 2209, 2210, 2211, 2212, 2213, 2214, 2215, 2216, 2217, 2218, 2219, 2220, 2221, 2222, 2223, 2224, 2225, 2226, 2227, 2228, 2229, 2230, 2231, 2232, 2233, 2234, 2235, 2236, 2237, 2238, 2239, 2240, 2241, 2242, 2243, 2244, 2245, 2246, 2247, 2248, 2249, 2250, 2251, 2252, 2253, 2254, 2255, 2256, 2257, 2258, 2259, 2260, 2261, 2262, 2263, 2264, 2265, 2266, 2267, 2268, 2269, 2270, 2271, 2272, 2273, 2274, 2275, 2276, 2277, 2278, 2279, 2280, 2281, 2282, 2283, 2284, 2285, 2286, 2287, 2288, 2289, 2290, 2291, 2292, 2293, 2294, 2295, 2296, 2297, 2298, 2299, 2300, 2301, 2302, 2303, 2304, 2305, 2306, 2307, 2308, 2309, 2310, 2311, 2312, 2313, 2314, 2315, 2316, 2317, 2318, 2319, 2320, 2321, 2322, 2323, 2324, 2325, 2326, 2327, 2328, 2329, 2330, 2331, 2332, 2333, 2334, 2335, 2336, 2337, 2338, 2339, 2340, 2341, 2342, 2343, 2344, 2345, 2346, 2347, 2348, 2349, 2350, 2351, 2352, 2353, 2354, 2355, 2356, 2357, 2358, 2359, 2360, 2361, 2362, 2363, 2364, 2365, 2366, 2367, 2368, 2369, 2370, 2371, 2372, 2373, 2374, 2375, 2376, 2377, 2378, 2379, 2380, 2381, 2382, 2383, 2384, 2385, 2386, 2387, 2388, 2389, 2390, 2391, 2392, 2393, 2394, 2395, 2396, 2397, 2398, 2399, 2400, 2401, 2402, 2403, 2404, 2405, 2406, 2407, 2408, 2409, 2410, 2411, 2412, 2413, 2414, 2415, 2416, 2417, 2418, 2419, 2420, 2421, 2422, 2423, 2424, 2425, 2426, 2427, 2428, 2429, 2430, 2431, 2432, 2433, 2434, 2435, 2436, 2437, 2438, 2439, 2440, 2441, 2442, 2443, 2444, 2445, 2446, 2447, 2448, 2449, 2450, 2451, 2452, 2453, 2454, 2455, 2456, 2457, 2458, 2459, 2460, 2461, 2462, 2463, 2464, 2465, 2466, 2467, 2468, 2469, 2470, 2471, 2472, 2473, 2474, 2475, 2476, 2477, 2478, 2479, 2480, 2481, 2482, 2483, 2484, 2485, 2486, 2487, 2488, 2489, 2490, 2491, 2492, 2493, 2494, 2495, 2496, 2497, 2498, 2499, 2500, 2501, 2502, 2503, 2504, 2505, 2506, 2507, 2508, 2509, 2510, 2511, 2512, 2513, 2514, 2515, 2516, 2517, 2518, 2519, 2520, 2521, 2522, 2523, 2524, 2525, 2526, 2527, 2528, 2529, 2530, 2531, 2532, 2533, 2534, 2535, 2536, 2537, 2538, 2539, 2540, 2541, 2542, 2543, 2544, 2545, 2546, 2547, 2548, 2549, 2550, 2551, 2552, 2553, 2554, 2555, 2556, 2557, 2558, 2559, 2560, 2561, 2562, 2563, 2564, 2565, 2566, 2567, 2568, 2569, 2570, 2571, 2572, 2573, 2574, 2575, 2576, 2577, 2578, 2579, 2580, 2581, 2582, 2583, 2584, 2585, 2586, 2587, 2588, 2589, 2590, 2591, 2592, 2593, 2594, 2595, 2596, 2597, 2598, 2599, 2600, 2601, 2602, 2603, 2604, 2605, 2606, 2607, 2608, 2609, 2610, 2611, 2612, 2613, 2614, 2615, 2616, 2617, 2618, 2619, 2620, 2621, 2622, 2623, 2624, 2625, 2626, 2627, 2628, 2629, 2630, 2631, 2632, 2633, 2634, 2635, 2636, 2637, 2638, 2639, 2640, 2641, 2642, 2643, 2644, 2645, 2646, 2647, 2648, 2649, 2650, 2651, 2652, 2653, 2654, 2655, 2656, 2657, 2658, 2659, 2660, 2661, 2662, 2663, 2664, 2665, 2666, 2667, 2668, 2669, 2670, 2671, 2672, 2673, 2674, 2675, 2676, 2677, 2678, 2679, 2680, 2681, 2682, 2683, 2684, 2685, 2686, 2687, 2688, 2689, 2690, 2691, 2692, 2693, 2694, 2695, 2696, 2697, 2698, 2699, 2700, 2701, 2702, 2703, 2704, 2705, 2706, 2707, 2708, 2709, 2710, 2711, 2712, 2713, 2714, 2715, 2716, 2717, 2718, 2719, 2720, 2721, 2722, 2723, 2724, 2725, 2726, 2727, 2728, 2729, 2730, 2731, 2732, 2733, 2734, 2735, 2736, 2737, 2738, 2739, 2740, 2741, 2742, 2743, 2744, 2745, 2746, 2747, 2748, 2749, 2750, 2751, 2752, 2753, 2754, 2755, 2756, 2757, 2758, 2759, 2760, 2761, 2762, 2763, 2764, 2765, 2766, 2767, 2768, 2769, 2770, 2771, 2772, 2773, 2774, 2775, 2776, 2777, 2778, 2779, 2780, 2781, 2782, 2783, 2784, 2785, 2786, 2787, 2788, 2789, 2790, 2791, 2792, 2793, 2794, 2795, 2796, 2797, 2798, 2799, 2800, 2801, 2802, 2803, 2804, 2805, 2806, 2807, 2808, 2809, 2810, 2811, 2812, 2813, 2814, 2815, 2816, 2817, 2818, 2819, 2820, 2821, 2822, 2823, 2824, 2825, 2826, 2827, 2828, 2829, 2830, 2831, 2832, 2833, 2834, 2835, 2836, 2837, 2838, 2839, 2840, 2841, 2842, 2843, 2844, 2845, 2846, 2847, 2848, 2849, 2850, 2851, 2852, 2853, 2854, 2855, 2856, 2857, 2858, 2859, 2860, 2861, 2862, 2863, 2864, 2865, 2866, 2867, 2868, 2869, 2870, 2871, 2872, 2873, 2874, 2875, 2876, 2877, 2878, 2879, 2880, 2881, 2882, 2883, 2884, 2885, 2886, 2887, 2888, 2889, 2890, 2891, 2892, 2893, 2894, 2895, 2896, 2897, 2898, 2899, 2900, 2901, 2902, 2903, 2904, 2905, 2906, 2907, 2908, 2909, 2910, 2911, 2912, 2913, 2914, 2915, 2916, 2917, 2918, 2919, 2920, 2921, 2922, 2923, 2924, 2925, 2926, 2927, 2928, 2929, 2930, 2931, 2932, 2933, 2934, 2935, 2936, 2937, 2938, 2939, 2940, 2941, 2942, 2943, 2944, 2945, 2946, 2947, 2948, 2949, 2950, 2951, 2952, 2953, 2954, 2955, 2956, 2957, 2958, 2959, 2960, 2961, 2962, 2963, 2964, 2965, 2966, 2967, 2968, 2969, 2970, 2971, 2972, 2973, 2974, 2975, 2976, 2977, 2978, 2979, 2980, 2981, 2982, 2983, 2984, 2985, 2986, 2987, 2988, 2989, 2990, 2991, 2992, 2993, 2994, 2995, 2996, 2997, 2998, 2999, 3000, 3001, 3002, 3003, 3004, 3005, 3006, 3007, 3008, 3009, 3010, 3011, 3012, 3013, 3014, 3015, 3016, 3017, 3018, 3019, 3020, 3021, 3022, 3023, 3024, 3025, 3026, 3027, 3028, 3029, 3030, 3031, 3032, 3033, 3034, 3035, 3036, 3037, 3038, 3039, 3040, 3041, 3042, 3043, 3044, 3045, 3046, 3047, 3048, 3049, 3050, 3051, 3052, 3053, 3054, 3055, 3056, 3057, 3058, 3059, 3060, 3061, 3062, 3063, 3064, 3065, 3066, 3067, 3068, 3069, 3070, 3071, 3072, 3073, 3074, 3075, 3076, 3077, 3078, 3079, 3080, 3081, 3082, 3083, 3084, 3085, 3086, 3087, 3088, 3089, 3090, 3091, 3092, 3093, 3094, 3095, 3096, 3097, 3098, 3099, 3100, 3101, 3102, 3103, 3104, 3105, 3106, 3107, 3108, 3109, 3110, 3111, 3112, 3113, 3114, 3115, 3116, 3117, 3118, 3119, 3120, 3121, 3122, 3123, 3124, 3125, 3126, 3127, 3128, 3129, 3130, 3131, 3132, 3133, 3134, 3135, 3136, 3137, 3138, 3139, 3140, 3141, 3142, 3143, 3144, 3145, 3146, 3147, 3148, 3149, 3150, 3151, 3152, 3153, 3154, 3155, 3156, 3157, 3158, 3159, 3160, 3161, 3162, 3163, 3164, 3165, 3166, 3167, 3168, 3169, 3170, 3171, 3172, 3173, 3174, 3175, 3176, 3177, 3178, 3179, 3180, 3181, 3182, 3183, 3184, 3185, 3186, 3187, 3188, 3189, 3190, 3191, 3192, 3193, 3194, 3195, 3196, 3197, 3198, 3199, 3200, 3201, 3202, 3203, 3204, 3205, 3206, 3207, 3208, 3209, 3210, 3211, 3212, 3213, 3214, 3215, 3216, 3217, 3218, 3219, 3220, 3221, 3222, 3223, 3224, 3225, 3226, 3227, 3228, 3229, 3230, 3231, 3232, 3233, 3234, 3235, 3236, 3237, 3238, 3239, 3240, 3241, 3242, 3243, 3244, 3245, 3246, 3247, 3248, 3249, 3250, 3251, 3252, 3253, 3254, 3255, 3256, 3257, 3258, 3259, 3260, 3261, 3262, 3263, 3264, 3265, 3266, 3267, 3268, 3269, 3270, 3271, 3272, 3273, 3274, 3275, 3276, 3277, 3278, 3279, 3280, 3281, 3282, 3283, 3284, 3285, 3286, 3287, 3288, 3289, 3290, 3291, 3292, 3293, 3294, 3295, 3296, 3297, 3298, 3299, 3300, 3301, 3302, 3303, 3304, 3305, 3306, 3307, 3308, 3309, 3310, 3311, 3312, 3313, 3314, 3315, 3316, 3317, 3318, 3319, 3320, 3321, 3322, 3323, 3324, 3325, 3326, 3327, 3328, 3329, 3330, 3331, 3332, 3333, 3334, 3335, 3336, 3337, 3338, 3339, 3340, 3341, 3342, 3343, 3344, 3345, 3346, 3347, 3348, 3349, 3350, 3351, 3352, 3353, 3354, 3355, 3356, 3357, 3358, 3359, 3360, 3361, 3362, 3363, 3364, 3365, 3366, 3367, 3368, 3369, 3370, 3371, 3372, 3373, 3374, 3375, 3376, 3377, 3378, 3379, 3380, 3381, 3382, 3383, 3384, 3385, 3386, 3387, 3388, 3389, 3390, 3391, 3392, 3393, 3394, 3395, 3396, 3397, 3398, 3399, 3400, 3401, 3402, 3403, 3404, 3405, 3406, 3407, 3408, 3409, 3410, 3411, 3412, 3413, 3414, 3415, 3416, 3417, 3418, 3419, 3420, 3421, 3422, 3423, 3424, 3425, 3426, 3427, 3428, 3429, 3430, 3431, 3432, 3433, 3434, 3435, 3436, 3437, 3438, 3439, 3440, 3441, 3442, 3443, 3444, 3445, 3446, 3447, 3448, 3449, 3450, 3451, 3452, 3453, 3454, 3455, 3456, 3457, 3458, 3459, 3460, 3461, 3462, 3463, 3464, 3465, 3466, 3467, 3468, 3469, 3470, 3471, 3472, 3473, 3474, 3475, 3476, 3477, 3478, 3479, 3480, 3481, 3482, 3483, 3484, 3485, 3486, 3487, 3488, 3489, 3490, 3491, 3492, 3493, 3494, 3495, 3496, 3497, 3498, 3499, 3500, 3501, 3502, 3503, 3504, 3505, 3506, 3507, 3508, 3509, 3510, 3511, 3512, 3513, 3514, 3515, 3516, 3517, 3518, 3519, 3520, 3521, 3522, 3523, 3524, 3525, 3526, 3527, 3528, 3529, 3530, 3531, 3532, 3533, 3534, 3535, 3536, 3537, 3538, 3539, 3540, 3541, 3542, 3543, 3544, 3545, 3546, 3547, 3548, 3549, 3550, 3551, 3552, 3553, 3554, 3555, 3556, 3557, 3558,

phurea excludit, frigus autem poros cutis stringendo, intus detinet eadem, gravissimum postea damnum certo inductura. Hinc etiam est, quod in locis, ubi interdum aestus, noctu frigus regnat, Austria imprimis atque Pannonia, ob varium hunc & insalubrem aeris statum, familiares sunt atque endemiæ exanthematicæ & petechiales malignæ febres. Inde quoque in proclivi iudicare, cur in Italia, maximeque Romæ, adeo periculosum sit, post diurnum calorem, corpus vespertino frigido humido aeri exponere.

§. VII.

Neque tamen omnes tales febres petechizantes sunt epidemicæ, id est, ex communi vitio aeris veniunt, sed quandoque etiam sine hoc oriuntur, in corporibus præsertim impuris, incongruis & pravis alimentis saginatis, nimiaque & crebriori refrigeratione affectis. Inde enim fit, quod febres hæc hyeme potissimum grassentur, & eos quam maxime corripiant, qui pravo victu ac regimine usi, ac præterea corpus intensius refrigerarunt. Vidimus id ipsa hac hyeme, qua ex civibus nostris multi, intemperantiæ in baccho ac venere indulgentes, & traha diutius sub cælo rigido vecti, inciderunt in has febres, & voluptatis dederunt poenas. Neque etiam ea propter effluvia ex iis, qui his exanthematicis febribus graviter decumbunt, aut mortui sunt, omnes inficiunt promiscue, sed eos tantum, qui dispositionem ad huiusmodi morbum, summam nempe succorum impuritatem gerunt, cæteris, qui ab hac immunes, a contagio etiam liberis.

§. VIII.

Cæterum quia sanguinis impuritas non in omnibus unius ejusdemque indolis, hinc varii generis subinde his in febribus prodeunt exanthemata, variaque accidunt symptomata, magis vel minus periculosa. Etenim si deleteria prorsus subest impuritas, ad putredinosam dissolutionem humorum ten-

dens, graviora sunt omnia, & petechiæ magis emergunt veræ atque lethales, fusci, vel nigri coloris, de quibus infra. Quando vero non adeo corruptivæ indolis, sed mitioris salino-sulphureæ, symptomata non tam atrocia, sed ordinate magis morbus decurrit, maculeque magis sunt purpureæ & rosei coloris, ac febris ob id purpurea, vel petechialis spuria, sive petechizans, audit. Ubi serum salsum acre, recenter a perspiratione prohibita subnatum, sese adjungit, coryza, sternutatio, tussis serina, cum defluxione salsi ad fauces & epiglottidem, complicantur, eamque ob causam febris catarrhalis malignæ nomine insignitur. Quandoque etiam ob copiam partium salino-sulphurearum acrium sub ipso motu febrili dissolutorio evolutarum, maculis petechialibus sese associat, easque antecedit, vel sequitur purpuraceum exanthema miliare, idque tam rubrum, ex pruritu, ardore, cutis asperitudine & foetore specifico acido cognoscendum, quam, quod pejus adhuc, album, cujus pustulæ miliares nonnunquam in vesiculas ampliores, sero acerrimo turgidas, explicantur. Id quod vero, si declinante morbo, undecimo, vel decimo quarto die, vel serius adhuc, cum magna anxietate, inquietudine, spirandi angustia, animi deliquio & extremorum frigore, accedit, æger ut plurimum, ob vires jam nimium fractas, succumbit.

§. IX.

Qui naturæ & corporis robustioris, *Exitus.* plebei & vitæ rusticæ addicti, solo sæpe convenienti externo regimine, sine singulari artificio, patienter expectando tempus, melius & felicius evadunt, quam qui naturæ sunt imbecillioris, animi meticulosi, vel mœrore, curis aut intemperantia potus & ingluviæ, desidia quoque, aut nimia mentis fatigue, corpus reddiderunt morbidum & imbecille. Mali porro ominis effusæ excretiones ab initio statim & extra dies criticos, per suda-

Indorem, alvum & urinam quoque. Qui autem occumbunt, inflammatione meningum, sive phrenitide, vel faucium & œsophagi, ex aphthis, vel ipsius stomachi, pereunt. Sanguis, qui his in febris extrahitur, conspicuum monstrat vitium, & vel valde fluidus & serosus, rubicundus, vel etiam nimis crassus & nigricans, comparet.

CURATIO.

§. I.

Curatio
niritur
naturæ
robore

Felix harum febrium exanthematicarum eventus atque curatio, non tam in arte medici, quantumvis periti atque sagacis posita, sed potius a corporis naturæ bonitate ac vigore & convenienti regimine pendet. Hinc si enormis succorum impuritas, vires imbecilles, corpus laxum, spongiosum & minus perspirabile, nec selectissima remedia, nec optima medendi methodus, quicquam proficiunt. Contra ea quando non tota sanguinis & humorum massa adeo inquinata est, quando vigor adhuc motuum vitalium, animus etiam erectus, corpus nervosum, gracile, & pori aperti, feliciter, vel levi artificio, vel sponte plane, succedunt omnia. In his enim dissolutioris, exanthematicis, acutis & periculosis febribus quam maxime valet practicus ille Hippocratis veterumque canon: naturam esse optimam morborum medicatricem, per se doctam, quæ congrua fervet & incongrua rejiciat.

§. II.

Indica-
tiones
curato-
rie.

Igitur id tantum in medicatione tenendum medico prudenti, ne motus & excretiones, quæ etiam sine artificio in salutem vergunt, turbet & pervertat, sed placide agat, ab omnibus tam fortiter commoventibus & evacuantibus, quam sedantibus & sistentibus, abstineat, & naturæ operite juvet. Proinde hos unice in fines medendi methodus dirigenda: I) ut plenaria dissolutio sanguinis & humorum moderate compescatur & im-

pediatur : II) ut acrimonia salino-sulphurea humorum diluatur ac temperetur, succique simul servantur fluxiles : III) ut excreciones per alvum, cutim, utinam quoque & sputum, modeste promoveantur; ac IV) ut vires fracta foveantur ac restaurentur.

6. III.

Ad impediendam putridam humo-
rum resolutionem, spectatæ virtutis
temperata acidula, quippe quæ putre-
dinosum miasma, ad naturam salis al-
calini sulphurei accedens, cicurant, ei-
demque efficaciter resistunt. Hac vir-
tute splendent ex vegetabilibus ac-
tum vini simplex & destillatum, suc-
cus citri, limonum, aurantium,
berberum, granatorum, ribii & con-
fecti ex iisdem syrupi, nec non succus
acetosæ & acetosellæ cum destillatis
ex ipsiis aquis. Ex mineralibus clystus
antimonii sulphuratus, spiritus vitrio-
li vulgaris & sic dictus philosophicus,
spiritus salis, nitri & maxime omni-
um sic dicti dulcificati, quos inter ceu
specificum eminet spiritus salis dulcis
probe elaboratus, ex oleo vitrioli,
cum sale communi & spiritu vini, per
cucurbitam destillatus.

§. IV.

Dein tam ad dissolutionem cor-
ptivam interceptandam, quam acrimo-
niam acidam obtundendam, con-
ducunt blanda diaphoretica & terrea
fixiora alcalina, bolus nimirum Ar-
mena, terra sigillata, unicornu fos-
sile, lapides & chela cancrorum, ma-
ter perlarum, cornu cervi philosophi-
ce preparatum, nec non ex compo-
sitis, pulvis bezoardicus *Sennerti*, *Lu-*
dovici, noster, Anglicanus, lapis
bezoardicus & lapis de Goa. Quae
porro humectant & acrimoniam di-
luunt, sunt maxime pro potu usurpan-
da, decoctum scilicet hordei, cum
scorizonera & rasura cornu cervi, nec
non succo vel syrupo acetositate citri,
aqua ipsa pura, vel Wildungenfis, cum
saccharo, cornu cervi usto & succo ci-
tri, ptisana decocta cum cerasis siccis
contusis, item juscula tenuia gallina-
rum

Usurplă-
da aci-
dușă.

Tempe-
rancia.

Нунто -
Пансиа.

rum, cum succo limonum, vel aurantiorum, decoctum avenaceum tenue, vulgo *Habergrutze*, nec non cerevisiæ leves diureticæ.

§. V.

Secun-
danda
cuticula
vis.

Inter ea, quæ excretiones secundant, & quidem per cutem, præter jam dicta bezoardica terrea, aqua scabiosæ, galegæ, cardui benedicti, scordii, florum sambuci, item mixtura simplex, acetum foliis rutæ, cardui benedicti, scordii & galegæ infusum, nec non essentia bezoardica, ex radice vincetoxici, angelicæ, pimpinellæ, dictamni, valerianæ, cortice cascarillæ, herba cardui benedicti & scordii, cum moderate spirituoso menstruo, vel melius adhuc, spiritu salis dulci, nostra methodo confecta. Alvinam vero excretionem juvant tutissime clysteres emollientes domestici, ex decocto avenaceo, oleo amygdalarum dulcium, floribus chamomillæ vulgaris, sambuci, syrupo violarum, sale communi, nitro. Eundem etiam in finem utile decoctum mannatum, circumspecte & tempore debito datum, ex mannæ uncis duabus, cremoris tartari drachma, in aqua scorzonæræ decoctis, addito syrupo violarum & oleo de cedro. Ex iis demum,

Vires re-
ficienda.

quæ vires custodiunt atque reficiunt, præter medicum vini cum aliis diluentibus usum, laudem merentur aquæ rosarum, liliorum convallium, florum tiliæ, rubi idæi, fragorum, mellissæ citratæ, cinnamomi, cydoniata, gelatina etiam coræu cervi, cum succo limonum, pomorum Chinenfium & saccharo.

§. VI.

Remedia
in primis
probata.

Potissimum vero polychresta & expertæ a nobis per multos annos virtutis tria hæc commendamus medicamenta: Recipe antimonii diaphoretici, cornu cervi sine igne parati, lapidum cancrorum, matris perlarum ana drachmam, nitri depurati drachmam dimidiam. M. f. p. Hic pulvis a scrupulo uno, ad drachmam dimidiam, pro dosi sumendus, quandoque solus,

quandoque cum drachma succi citri, ex decocto, vel ptisana, quandoque etiam in hac mixtura: recipe aquæ cardui benedicti, florum sambuci, liliorum convallium, cerasorum nigrorum ana uncias duas, rosarum, cinnamomi sine vino, ana unciam dimidiam, spiritus nitri dulcis guttas 30. syrupo acetositis citri unciam semis. Alterum utilissimum remedium mixtura hæc: recipe aquæ galegæ, cardui benedicti, cerasorum nigrorum, florum acaciæ, ana uncias duas, acetum destillati unciam, lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachmam cum dimidia, cinnabaris scrupulum, mixturæ simplicis, spiritus nitri, vel salis, dulcis, ana guttas 30. syrupo acetositis citri drachmas sex. M. D. S. *Mixtur davon vvorhl umgeruttele alle zwvey Stunden ein Löffel voll zu geben.* Sumat. omni bishorio Cochlear unum bene agitata. Tertium est hæc mixtura bezoardica: recipe tincturæ bezoardicæ, superius descriptæ nostræ, vel *Michaelis*, syrupo papaveris rheados, liquoris nostri anodynii, ana drachmas duas. M. de qua quadraginta, vel quinquaginta guttæ pro dosi sumendæ.

Cautela & Observationes Clinicæ, cum Methodo medendi specialis.

§. I.

Maximum periculosis hæc febribus rite medendi momentum, regimine continetur congruo. *Regimen sit temperatum & æquum.* In hoc primum est, ut æger semper le. in æquali & temperato calore detineatur per totum morbi decursum. Sub nimio enim æstu dissolutorius in sanguine motus magis intenditur, alvus siccatur, anxietates augentur, impuri & salii acres humores accuntur, vires exhauriuntur, sudor fit justo copiosior, & cito nimis majorique copia, sine emolumento, ad cutem propelluntur exanthemata. Frigore autem improvide admissio, præsertim ad pedes, perspiratio facile cohibetur, maculæ

culæ & exanthemata retroaguntur, tormina in ventre & diarrhoea cum singultu inducuntur, & critica evacuationes turbantur. Et ab inæquali regimine ac subita aeris calidi in frigidum, vel contra mutatione, eadem fere, quam ex frigido, accidunt incommoda. Interim quia aer impurus continuo haustus inspiratione, viribus infensissimus, cavendum, ne æger in humiliori conclavi vappido aere pleno decumbat; sed aer potius morbidis exhalationibus foetus, provide emittendus, & purus admittendus.

§. II.

Perpiratio
custo-
diatur.

Dein summo providendum est studio, ut corpus in æquali semper maneat perpiratione, & quo cutaneum cribrum, in his morbis admodum sensibile, cujus tamen beneficio optime materię peccantis secretio fit atque excretio, in æquabili semper servetur tono. Hinc fugiendæ omni modo mutationes linteaminum, indusiorum & stragulorum, nec non transitus ex uno lecto in aliterum. Ego quidem hanc ob causam interdiciere soleo, ut ægri crebro surgant; quin tempore critico, & quo exanthemata prorepunt, præsertim si debiles admodum decumbentes, præcipio, ne lectus sternatur, nec, si linteamina nimis madida, nova injiciantur, sed trita antea & exsiccata probe. Est quoque admodum salutare corpus involvere tunice talari manicatæ, quam vocant *einen Schlafrock*, pedesque tibialibus induere, sicque in lecto decumbere, quo omnis auræ frigidioris accessus arceatur.

§. III.

Situs or-
dus vi-
sandus.

Tum vitandus erectus corporis, & capitis, tam in lecto, quam extra eum situs, tanto magis, ubi pulsus debilis & summa virium prostratio, nec non ubi morbus in vigore. Inde enim ob debilem cordis pulsus non sufficiens sanguinis copia perpendiculari via ad caput pelli potest, lipothymia facile obrepit, imminuitur, vel sistitur cordis & sanguinis motus, omnes

motus ad interiora vertuntur, fibrosa & tubulosa cutis substantia contrahitur, materia exanthematica, peioris nunc quam antea indolis, retropellitur, & ad nervosas partes delata, convulsiones, deliria, vel etiam sphacelationes funestas paullo post suscitatur. Id quod plurimis exemplis habeo confirmatum, & uberius meo ex consilio excussum est in dissertatione de situ erecto in morbis periculosis noxi.

§. IV.

Porro animus tranquilluss & erectus servandus, omnesque occasiones præsciendæ, quæ ad metum, pusillanimitatem, iram, vel terrorem ægrum permovere aptæ. Mens potius solatio & salutis spe erigenda, quam mortis periculi denunciatione dejienda. Ego certe novi febribus ejusmodi decumbentes, qui forsitan non fuissent mortui, nisi a theologis & medicis intempestiva mortis prædictione & inculcatione, horror & metus ipsis fuisset incussus ingens, omnibus postea illico in pejus mutatis.

§. V.

Præterea neque in principio, neque in declinatione, multo minus in statu morbi, laborantes onerare decet alimentis, quæ ex carnibus, ovis & pinguibus parata, uti sunt illa juscula sic dicta confortantia, *die Krafft Bruhen*. Non enim non in manifestum damnum cedere possunt, quia præsentem jam virium defectum & humorum impuritate, vires magis aggravant, cruditates generant, materiamque & fomitem morbi augent. Memori potius mente tenendus verissimus ille præcticus Hippocratis canon corpora impura quo plus nutritur, eo magis læseris. Mihi quam plurima nota sunt exempla eorum, quibus remittente morbi & symptomatum atrociam, præpostera liberalitate cibi alibiles congesti, cum præsentaneo damno, sublequente mox anxietate præcordiorum, inquietudine, virium debilitate, quin ipsa morte.

§. VI.

§. VI.

Pharmaca valida nocent.

In medicamentorum autem usu, ceu perpetuum axioma tenendum: nunquam validiora commoventia & volatilia, emetica, purgantia, diuretica, nec non sudorifera nimis spiritiosa & expellentia, esse propinanda. Nihil enim vi & impetuosae hoc in morbo agendum, in quo naturae quam maxime viget opus, cui omne nimium inimicissimum, temperata vero & moderata amicissima.

§. VII.

Medicamenta opportuno danda.

Deinceps quum hæc febres habeant certos suos typos, suas periodos, certis temporibus exacerbationes & remissiones; multum omnino refert, ut medicus hæc tempora & medendi opportunitatem observet. Quod si non facit, plus damni, quam emolumenti affert. Res enim in medendo maximi est momenti, ut quis sciat, quæ tempore exacerbationis, ante, & post hanc, sub declinatione & remissione, danda. Paucis igitur in genere notari velim: quod sub æstu & symptomatum intensione, humectantia, diluentia, pulveres absorbentes nitrosi superius descripti, nec non acidula, cum valde moderato externo regimine propinare expediat. Finito vero paroxysmo, quando cutis laxa, mollior & ad excretionem disposita, analeptica, excitantia, vel, si opus bezoardica, perspirationem moventia, nec non infusum theiforme ex veronica, scordio & liquiritia, exhibere decet. Et quum alvi fluxu sæpius solvi soleat morbus, is utique nunquam sistendus, præsertim circa tempora critica, nec adstringentibus, nec sedativis, nec opiatis, sed si natura ad hanc excretionem inclinat, nec tamen rite succedit, secundanda potius eadem turissime per laxans mannatum super descriptum, & tamarindinata.

§. VIII.

Corporis temperamento accommodanda.

Quia etiam corpora ægotantium non sunt unius ejusdemque indolis ac temperamenti, sed in quibusdam motus vegetiores & intensiores, humores

quoque calidiores & agiliores, in aliis vicissim motus languidiores & tardiores, ac humores lentiores magisque viscosi; curate utique hæc a prudenti medico discernenda cum humorum quantitate, & motus ubique ad temperamentum, convenientem proportionem & equilibrium reducendi. Hinc ubi nimius æstus internus & externus, oris siccitas cum siti, & inde vigiliæ nimie pertimescendæ, ibi nitrosa & potus diluentes, crebrius, sed moderate, offerre expedit. Contra ea, quando in temperamento segni, phlegmatico, meticuloso, mitis admodum calor, sitis nulla, pulsus debilis & languidus, cum virium prostratione, somnolentia mentisque torpore, a refrigerantibus abstinendum, & analeptici potius ac bezoardici essentiis, crebrius item, sed parcius datis, pugnandum. Quum impuritas sulphurea & acetosa in humoribus peccat, & exanthemata magis ad rubræ purpuræ naturam accedunt, pulveres bezoardici fixiores, item diluentia, demulcentia, emulsionem & liquor noster anodynus mineralis omnibus fere palmam præripiunt. Et in vappescencia sive corruptione lymphæ acetosa, accedente ea propter alba purpura, præter fixa diaphoretica, liquor bezoardicus *Bussii*, cum liquore anodyno, proficiuus.

§. IX.

Quamvis autem in periculosis hisce febribus, non adeo scrupulosa symptomatum ratio sit habenda, sed potius affectus primarii, cujus hæc effectus & producta; quandoque tamen necessarium est, ut imminetia eadem arceatur, vel periculum, quod præsentia minantur, avertatur. Ex his sunt cephalalgie atque deliria, ad quæ declinanda optimum utique est domesticum remedium, pullos columbarum, vel gallinarum recenter discissos, capiti rasato applicare, vel epithema ex pane, cum sale, nitro, camphora, oleo ligni Rhodii & nucleis cerasorum vel persicorum, fronti atque temporibus circumponere. In animi deliquiis,

Symptomatum modum.

vomitu,

vomitu, singultu, syncope, cardialgia & summis angustis, emplastrum ex theriaca, oleo nucistæ expresso, camphora, balsamo Peruviano, croco, oleo de cedro & pauxillo spiritus vini, præcordiorum regioni applicandum. In faucium ardore & siccitate, gelatina cornu cervi, cum succo limonum & saccharo cantho, syrupus diamorion, nec non oris collutio cum decocto ficum, syrupo diamorion & nitro, opem ferunt egregiam. Urgente sopore, fricentur suræ & plantæ cum aceto rutaceo, vel vesicatorium nostrum temperatum, magnitudine dimidii thaleri, suris apponatur. Et si purpura retrocedens anxietates facit & inquietudines, liquor bezoardicus *Bussii*, vel liquor cornu cervi succinatus, cum spiritu nitri dulci, vel liquore anodyno minerali, ex usu est. In tussi oleum amygdalarum dulcium & croci extractum.

§. X.

Excretio-
nes mo-
deran-
de.

Inter excretionem, quæ metum incutit, est sanguinis per nares stillicidium. Prodit hoc sanguinis ad caput jam infirmum congestionem, ex spasmodicis inferiorum. Hinc si proportionatus & moderatus est fluxus, cum sanguinis in corpore abundantia, non adeo nocet, sed potius graves capitis affectus avertit, id quod tamen rarius evenit. Quando vero pauca tantum sanguinis guttæ stillant, nullum inde levamen, sed potius præfagium delirii & inflammationis faucium. Et ubi effusus manat, vires prosteruntur, excretionem cutaneam ad interiora restringuntur, & exanthemata, quæ adsunt, non sine discrimine disparerent. Ad avertendum igitur sanguinis ad caput confluxum, pedes semper in moderato calore & madore servandi, omneque frigus arcendum. Hunc etiam in finem conducibile vesicatorium, nostra ex inventione temperatum, nec nimis dolens, suris apponere, alvumque servare apertam, vel per temperata nitrosa, moderate & crebro data, vel clystere, vel in-

fuso mannato. Et eadem quoque juvant, si hæmorrhagiæ nimia. Ubi vero parcius justo nares stillant, sanguis tamen, testibus oculis rubicundis, torvis, & arteriis temporalibus valide pulsantibus, ad caput impetuosius confluit, præter jam dicta revellentia, derivantia, & cucurbitulas nuchæ admotas, stillicidium proritare expedit, vel per intrusum naribus stramineum culmum, vel scarificatorio instrumento. Ubi nimius alvi fluxus, pulveribus bezoardicis aliquot tantum grana corticis chaccarillæ admiscenda, externis tamen potius, quam internis excretio moderanda, & abdomen balsamo stomachali ex oleo nucistæ expresso, menthæ & balsamo de Peru inungendum. In sudore effusiori stragulorum calor quam maxime evitandus, & abstinendum a potu infusorum theiformium, ac usurpandæ species de hyacintho cum nitro. Et si vomitus & singultus urgent, præter commendatum externum linimentum, liquore anodyno cum liquore bezoardico, nihil efficacius.

§. XI.

Venæ sectio in exanthematicis hisce febribus cum summa circumspectione administranda. Magis enim ad præservationem facit, quam ad curationem. Hinc in gravidis & foemina, quæ nimis sanguinis per uterum profluvii obnoxia, quum tempus vernum & hyems præcessit nimis rigida, non sine fructu sanguis mittitur, id quod etiam tenendum de iis, qui purpuræ scorbuticæ patent, & morbi hujus insultum metuunt. Vicissim, ubi jam virum enormis lapsus, morbus ex cacochymia ortus jam præsens est, catarrhosæ affectiones complicantur, febresque ob aerem vappidum nebulosum malignæ & putridæ grassantur, plane a sanguinis missione abstinendum. De primæ regionem vacuantibus monendum: quod si morbus invadit corpus, cujus ventriculus, copia alimentorum, præsertim incongruorum, recenter factus,

Venæ se-
ctio ema-
tica &
viscata.
via cum
distin-
ctione
usurpan-
da.

Quis, tartarus emeticus, in infuso mannato ad unum, vel duo grana datus, eximie sit proficiuus. Nam licet ejusmodi pharmacum vacuans malignitati non directe resistat, quia tamen materiam & fomitem morbi subtrahit, multum omnino facit ad curationem ipsam. Sed si quid movendum, heic maxime, sapienti Hippocratis effato, movendum in principio. Vesicatoriis multum in his febribus tribuunt plures. Ego vero ita censeo: habent locum, si metus retrocessionis exanthematum, si natura corporis tarda in excretionem, sopor & torpor adest. Tum novi, a vesicatoriis brachiis, vel suris appositis, mox totum corpus purpura rubra vel alba fuisse conspersum. Sed nostrum temperatum hic etiam commendamus vesicatorium,

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Febris Maligna Petechizans anno
c1010xcix. Halæ Epidemica.

Varium admodum, maxima tamen ex parte nubilum & pluviosum cælum autumnus anni superioris seculi xcix. regnarat, hyems quoque præter morem tepida & humida, autumnus fere similis fuerat, & ver subsequenti anni 99. pariter justo calidior & humidior habuerat aeris statum, ventis semper fere ex austro spirantibus. Hæc autem præternaturalis diuturna & insalubris temporum anni constitutio pessime mortalium affecit corpora. Inde quippe fibræ motrices nimium laxatæ, succorum spirituscentia depressa, vitalis humorum progressus multum retardatus, sed & excretionem, potissimumque omnium saluberrima perspiratio, turbatæ, omnibus succis impuritas ad corruptionem prona inducta, corporibusque magna ad morbos dispositio

ingenita. Exceperunt igitur varii morbi, partim putridi & maligni, partim a seri redundantia & in locis glandulosis stasi pendentes. Inter eos, qui populares habuerunt circuitus, fuerunt variolæ & febres malignæ petechizantes. Nimirum circa æquinoctium autumnale anni 98. cœpit variolarum morbus, & per sex fere menses tanta insitit vehementia, ut vix ullus, qui ipsum nondum expertus, maneret immunis, uti quidem superius capite 7. pag. 162. seqq. enumeravimus. Circa æquinoctium autem vernale anni 99. gravior adhuc prodit lues, adultis præcipue infecta, & stragem edidit haud levem, febris nempe maligna, petechiis variisque exanthematibus comitata, cuius genium, ingressum, atque decursum, ex propria attenta observatione jam fusius paulo delineabimus.

Scilicet invasit hic morbus ratione ætatis, maxime juvenes & viros; tenellis, puerili ætati & senibus perperit: ratione sexus majorem edidit stragem in maribus, quam sceminis. Dein infestavit potissimum personas constitutionis sanguineæ, item sanguineo-phlegmaticæ, nec non sanguine abundantes, obesos, habitus corporis laxioris, spongiosioris, & venis plurimis, angustis tamen & exilibus distincti. Graciliores autem, cholericæ & illi, quibus fibræ magis strictæ & venæ amplæ, non tam frequenter eodem affecti. Infensissimus, immo lethalis fuit iis, qui ex nimia intemperantia, præsertim vini generosi abusu, nimia voracitate & crebrioribus animi commotionibus, sanguinis impuritatem & cacochymiam sibi contraxerunt, vel ex morbis prægressis, aut aliis causis corpus obtinuerunt jam imbecille. Sine contagio ipsum hunc morbum fuisse subnatum & intus progenitum, frequens docuit experientia. Contagii autem vis non in omnes promiscue se exseruit, sed maxime in vicinos atque dispositos, ita ut plures isdem

Quos in
vaserit
morbis
& qui-
bus capi-
calis.

in ædibus simul ægrotarint. Rarissimi fuerunt ex peregre accedentibus, qui lue infecti.

*Symptoma-
ta exanthematica
et petechialia.* Omnes autem, quotquot corripuit hic morbus, hisce affectis pathematicis, ex quibus, ceu pathognomonicis signis, cognoscendus fuit. Insignis & subita statim inter initia & per totum decursum morbi durans, adfuit virium jactura atque prostratio, & tanta lassitudo & gravitas detinuit membra, ut ægri præ debilitate nec corpus movere, nec erecta statura incedere potuerint, sed illico vertigo, vel leve animi deliquium, non sine insigni vitæ discrimine, accesserit. Pullus dein articularum deprehensus debilis, parvus, frequens tamen, interdum majori, interdum minori celeritate & inæqualitate micans. Calor porro ut plurimum visus remissior & minor, sitis quoque non adeo magna & urina sanorum simillima, sed vigilia, aut in aliis somnolentia, persistit continua.

*Quoad
temperamentorum
varia-
tiones di-
versas.*

Pro temperamentorum tamen ætatumque diversitate, nec non rerum externarum accessione, discreparunt symptomata. In sanguineis confusus & inconstans fuit decursus, dorso autem dolor major, anxietas præcordiorum gravior, cephalalgia acutior, cum faciei & oculorum rubore, vigilia & delirio, macula etiam rubræ affatim in iis fuerunt conspicuæ. Qui sanguinem mobiliorem & biliosum aluerunt, sub strictiori corporis habitu, majorem experti sunt ardorem externum, vigiliam cum æstu, corporis jactatione & inquietudine; accessit etiam in his loquacitas, faucium inflammatio, delirium, oculis simul protuberantibus, ferocibus atque splendentibus. Qui laxiorem & obesum corporis gesserunt habitum, cum sanguine copioso, sero viscido scatente, non adeo mordaci calore, nec siti, nec inquietudine affecti sunt, sed somnolenti, debilissimi & morose taciturni jacuerunt. Somnus vero ut plurimum fuit turbulentus, variisque absonis

Tona. IV.

insomniis interturbatus, a quo male habuerunt & expergefacti leviter ut plurimum delirarunt. In melancholicis similia sunt observata.

Quoad excretiones etiam diversa *Nec non
excretio-
nes &
quidem
diar-
rheas.* annotata phaenomena. In nonnullis per totum morbum diarrhoea moderata neque insalutari spumosa & variegati coloris secesserunt. Plurimis accidit id circa dies criticos, septimum, nonum, undecimum, vel decimum quartum, cum copioso sudore, ac critica quam maxime salutaris fuit excretio. Quin, non tantum hoc tempore, sed & alio, quo similes continuæ putridæ febres grassatæ, notavi, semper magis re ægrorum fuisse, quando alvus lubrica & fluxa, quam si obstructa. Tum enim majores anxietates, cephalalgia, inflammatorii faucium affectus, vel purpura alba, cum vitæ discrimine successerunt.

Sudores. Sudorum ratio non fuit ubique eadem: continuo quippe & per totum morbum manantes, morbi malignitatem, naturæ imbecillitatem infelicemque significarunt eventum; lenis autem sudor & mador continuus boni ominis præbuit signum. Quando etiam ægri nono, vel undecimo die copiosius sudare cœperunt, præcedente, vel etiam erumpente simul alvi fluxu, symptomata multum remisissent, animi rediit vigor atque constantia, nec non pulsuum æquales ictus, cum optata spe sanitatis. Nec quisquam fere morbum hunc evasit periculosissimum, quam diarrhoea, vel sudore, vel utroque simul. Interdum tamen effusus & longius manavit sudor, ad hebdomadem fere, ac vires exhaustiens hectici morbi metum incussit.

Narium hæmorrhagia largior ex *Hæmorrhagias.* voto non cessit, præsertim crebrius repetens; vidimus tamen & in principio copiosam, cum diarrhoea simul erumpentem, sine vitæ periculo. Mensium quoque fluxus liberalis ad-

I

ma-

modum tertio, vel quarto morbi die, innoxius tamen, prodiit. Sanguinis vero per ani venas stillicidium, quantum quidem novi, visum est in nemine.

Urinam. Urinæ ut plurimum fuerunt sanorum similes, interdum tennes & turbidæ ac pallidæ, sine sedimento, quod circa decimum quartum, immo vigesimum diem, cum aliis faustis prælagii signis, comparuit. A non nullis tamen urinæ statim post emissionem turbidæ redditæ, non sine foetore. In quibusdam tertio statim morbi die effuse secessit, succedente gravativo simul capitis dolore, torpore mentisque stupore ac turbatione, quæ accedente die septimo copioso sudore, feliciter evanuerunt & ægri servati. Quidam vicissim, maximeque ii, qui diarrhœam, vel vomitum frequentem experti, per aliquot dies parcissime urinam, limpidam instar aquæ, reddiderunt.

Vomitum. Vomitum cum singultu per totum fere morbi cursum observavimus lethalem. Conatus autem ad vomendum fuit frequentior, præsertim post assumpta medicamenta, vel quando ægri ante morbi insultum gravi terrore perculsi, aut in principio emeticum assumerunt validius. In non nullis peculiare hoc funesti ominis symptoma visum, quod liquidum assumptum & in stomachum delatum, accedente leviori corporis commotione, vel erectione tantum, iterum in os cum murmure ac borborygmo ascenderit, ac limpidus humor, duo fere cochlearia complens, eructatus. Vidi inprimis hoc cum singultu per aliquot dies in viro honorato, in quo instituta post mortem sectione, hepar in concava parte plane putridum, nigrum, instar picis, nec non in diaphragmate, duodeno, & parte pylori, sphaelosa comparuit corruptio.

Exanthemata. Exanthematibus quidam plane caruerunt, quidam confertim obsessi. Hæc in non nullis antequam lecto affigerentur, quum adhuc non nisi de lan-

guore conquererentur, inter initia statim comparuerunt, minus fausto eventu. In aliis circa diem septimum, vel nonum in conspectum prodierunt, bono cum omine. Occuparunt autem ut plurimum collum, dorsum, femora, parcius abdomen pedes & manus, rarius etiam faciem, in uno tamen circa frontem, tempora & mentum rubicundæ admodum conspicuæ fuerunt maculæ petechiales. Meliores fuerunt parvæ & rubræ, pejores magnæ, lividæ & ad viridem, vel violaceum colorem accedentes. Præterea in iis, quibus alvus tensa erat & dura cutisque sicca & arida, nono inprimis, vel decimo morbi die, quum petechiæ disparere inceperunt, maximis cum anxietatibus, extremorum refrigeratione summaque virium & animi defectione, successit exanthema pessimi moris miliare, purpura nempe alba, multoque tam antequam prodiret atrocissimis symptomatibus, quam etiam postquam prodidisset, ob vires penitus jam fractas, interfecit.

Signa mala. Rarius morbum evaserunt, continua mortis formidine detenti, nec non qui medicamenta respuerunt, qui obesi fuerunt, & copiosum ac impurum aluerunt in venis sanguinem. Funesti ominis fuerunt sudores frigidi, cum pulsu frequenti, debilissimo, & intermittente, respiratione intensa, & accisa, deliriis, convulsivis motibus, seu tendinum in manuum carpis contractione. Delirium nunciavit oculi feroces, cum rubedine & illacrymatione, sitis defectus, inquietudo & jactatio corporis, pulsus celer & faciei inflatio. Pessima quoque macularum retrocessio, quæ vel admissio improvide frigore, vel terrore incusso, vel corpore diutius erecto, inducta. Hac enim facta, mox summa debilitas, corporis refrigeratio, respiratio anhelosa & anxietas præcordiorum gravissima, cum vitæ discrimine. In bonis vicissim fuerunt, quietus corporis decubitus, mentis constantia, sitis, somnolentia, macularum die septimo demum, vel nono processus legit-

gitimus, alvus liquida, surditas circa diem criticum eveniens & aliquamdiu perdurans, idque maxime in iis, qui habitu fuerunt graciles, tenues, cum fibris strictioribus.

Eventus. Qui mortui, die ut plurimum undecimo, nonnulli tamen etiam septimo, diem obierunt. Qui autem sanitatem recuperarunt, die undecimo, vel etiam decimo quarto, quin decimo demum octavo, virium restitutionem & symptomatum remissionem sunt experti. Sex tamen plerumque hebdomadam spatium, antequam perfecte sanarentur, opus habuerunt, ac medio quippe tempore febris soluta est, & reliquum, tam ad tollenda supervenientia accidentia, quam ad vires recolligendas impensum.

Ufus & regimen. In regimine commendata usura aeris fereni, limpidi, puri, temperate calidi; hypocautia enim nimis calefacta, vel excessivus calor a stragulis, semper fere, vires exhauriendo & excretorios actus turbando, nocuerunt. Cibi, præcipue solidi, admissi nulli, sed in declinatione & post illam, tantum liquidi & facili solutionis assumpti. Usus vero ciborum liberalis, etiam nutrentium & jusculorum sic dictorum confortantium, particulis oleosis alibilibus foetorum, præsentissimum attulit damnum, in primis circa dies criticos, in statu morbi, aut præsentibus evacuationibus criticis, & inde mox major virium jactura cum excretionum turbatione inducta. Quin novi, largiorem ciborum solidorum declinante morbo usum, gravem peperisse recidivam. Nihil autem fere magis nocivum fuit, quam situs erectus. De quo quidè silent practicum libri; ego vero non tantum in hoc, sed & aliis malignis & acutis exanthematicis morbis notavi multoties, quod si agrotantes diutius corpus in erecta servarint statura, sive surgentes, sive in lecto sedentes, vehementia morbi mirifice increverit, quin ipsa mors exceperit. Inde enim illico summa affecti debilitate & animi quasi deliquio, anxietate præcordiorum,

extremorum frigore & maculae in cute conspicue evanuerunt, cum vite periculo. Neque hoc, uti vulgo creditur, ob admissum frigus accidit, sed iis etiam, qui in calore detenti & ab omni frigoris accessu probe sunt defensi, ob languidiorem sanguinis ex corde perpendiculari via ad caput pullum.

Ex medicamentis alexipharmaca, *Calida alexipharmaca nocuerunt.* salia volatilia, bezoardica calida & spirituosa, licet ceu efficacissima vulgo commendentur, plus damni, quam emolumenti attulerunt, præsertim liberalius & cum calido regimine exhibitæ. Dissolutionem enim sanguinis elementorum promoverunt, & ob id majorem petechiarum fecerunt copiam; vel cephalalgias etiam, anxietates, inflammationes, vel etiam sudores copiosos, suscitant. Quin novimus his ad præsertionem cum regimine assumptis, mox ipso contagio corpus fuisse affectum. Fuit tamen, ubi hæc volatilia alexipharmaca analeptici mixta, moderate & caute usurpata, opem tulerunt egregiam, tum nempe, ubi ex macularum retrocessione, vel corporis, sive ex terrore, sive ex frigoris externi admissione, aut statura erecta, refrigeratione, anxietates & debilitates insensissimæ subsequutæ. Suasimus etiam moderatum horum usum statim in principio, quum circulatio sanguinis adhuc in vigore esset, quo magna materiæ peccantis portio cum fructu dissipata. Sudoriferum tamen non simul injunximus regimen, nec iis usi sumus in plethoricis & cacherymicis. Neque minus eo tempore, quo crisis institit, vel etiam jam adfuit, bezoardica volatilia in moderata dosi, criticas evacuationes, debilem & languidum motum resuscitando, egregie secundarunt. Cauti tantum fuimus & parci, ne nimios sudores efficeremus & ad lentas febres induceremus dispositionem.

Sanguinis missio ad arcendum morbi incursum proficua observata, in corporibus plethoricis & quibus sanguinis evacuationes tam spontaneæ,

quam artificiales consuetæ: contra ea, quando jam debilitas & virium prostratio insignis adfuit, minus feliciter cessit venæ sectio. Non enim putredinem tollere apta fuit, sed corpora inde magis potius debilitata, ut morbo superando facta imparia.

De vomitoriis, vesicantibus & opiatis. Vomitoria lenia in iis, quibus prima corporis regio vitiosorum humorum copia obfessa, præservationis ergo ante insultum morbi, opem tulerunt exoptatam. Novi etiam ipso in morbi principio eadem profuisse; verum circa morbi progressum ac statum, continuum vomendi desiderium, nauseam, ardorem circa regionem cordis & anxietatem cardialgicam suscitaverunt, vel potius hisce malis præbuerunt causam. Vesicatoria ab aliis nobis eximie laudata, in statu morbi, ubi delirium, vel sopor & convulsiones ægrum affligerunt, cervici admota. Opiata omniaque soporifera rejecimus, propter pulsum debilem & motus vitales jam languentes, quippe quæ vires magis debilitando & excretiones retardando, majorem efficiunt malignitatem & ad mortem aditum parant placidum quidem, sed certum.

Materia medica-mento-sum. Materia vero eorum, quæ a nobis usurpata & salubria deprehensa, fuit hæc: ex aquis; florum sambuci, acaciæ, tiliæ, ulmariae, rosarum, herbæ scordii, scabiosæ, cardui benedicti; ex syrups: acetosiratis citri, granatorum, cum julepo rosarum; ex pulveribus: mater perlarum, antimonium diaphoreticum, lapides cancrorum, succinum, terra sigillata, cornu cervi usum, philosophice præparatum, nitrum purum; ex alexiparmacis: camphora, essentia & extractum scordii, vince-toxici, mixtura simplex, spiritus & tinctura bezoardica; ex acidis: spiritus vitrioli philosophicus & nitri dulcis; ex humectantibus: decoctum scorzonere, rasura cornu cervi, item gelatina cornu cervi; ex analepticis: aqua florum aurantiorum, oleum citri recens cum saccharo, confectio alkermes, de

hyacintho, balsamus noster vitæ externe; ex antispasmodicis: essentia castorei, cinnabaris, spiritus cornu cervi, succinatus.

Ex his varii generis formulæ pro circumstantiarum ratione concinnatæ & methodus iisdem utendi ita instructa: *Medendi metho-dus.* in principio morbi pulvis bezoardicus, cum nitro & pauxillo camphoræ remixtus, iterato aliquoties exhibitus; per morbi dein progressum & statum, mixturæ ex aquis temperatis, diaphoreticis, analepticis, antispasmodicis & pulveribus cordialibus bezoardicis cum succo citri aliquamdiu datæ. Potui inditum nitrum, vel spiritus vitrioli philosophicus, aut clyffus antimonii sulphuratus, qui alvum fluidam servat. Et frequens potus decocti cornu cervi citrati, item radices scorzonere, calidus & frigidus, admodum proficiuus notatus. Circa diem criticum leniora alexiphar-maca & quæ sudorem promovere poterant adjecta, quando natura ad sudorem movendum se armavit & non suffecit. Hinc vel mixtura, vel tinctura bezoardica, vel essentia scordii, mixturis indita.

Hæc optima & securissima fuit *Symptomatum medicatio.* medendi methodus & plus quam centies probata. Symptomatibus autem hac obviam itum ratione: in nimio vomitu, anxietate præcordiorum, enormibus diarrhoeis & ventris torminibus, externe theriaca cum oleo nucis moschatae expresso, camphora, oleo caryophyllorum & balsamo Peruviano mixta, regioni stomachali apposita. In diarrhoea etiam nimia vires exhauriente usurpatus pulvis bezoardicus nitrosus, cum momento camphoræ & theriacæ celestis. In phrenitide & acuto capitis dolore cum fructu externe admovimus spiritum vini camphoratum & salis ammoniaci, cum oleo rutæ, lavendulæ. Si alvus nimis adstricta, vel tormina in ventre affligerunt, expertissimi fuerunt clysteres lenientes, vel pure oleosi. Ad erigendas vires, spirituosas, confortantia, aromatica, ex-

externe pulsibus & serobiculo cordis apposita, vel naribus suscepta, opem tulerunt egregiam. Ad fallendam sitim egregium fuit electuarium, ex saccharo Canariensi & spiritu nitri dulci.

Preservatio.

Qui demum ab epidemica hac lue sibi metuerunt, ii prudenti medicorum consilio de fensi purgationibus lenioribus, pilulis nempe ex extractis balsamicis amaricantibus, rhabarbarinis & aloeticis. Plethoricis sanguinis subtractio rite administrata. Ad sanguinem vero fluxilem servandum, & dyscrasiam cum malignitate arcendam, commendari meruit infusum veronice & scordii, omnibus individuis accommodum. Accedere præterea debuit decens vivendi ratio, cibus & potus moderatus, temperatus nec varius; abstinendum ab affectibus animi, vires omni modo custodiendæ, corpus a refrigeratione defendendum, & ipse aer humidus & vapidus corrigendus accensione lignorum & gummatum resinorum.

OBSERVATIO II.

Constitutio aeris & morborum epidemica anni 1728.

Ego quidem per omnem vitam non facile memini, ullum annum adeo, quoad tempestatum aerisque constitutionem, ab ordinario statu declinasse & quasi præternaturalem fuisse, quam elapsum 1728. Etenim Martio jam mense cælum regnavit præter morem calidum & subsequenter mensibus calor cum siccitate ad auctus sicque ad medium usque Septemb. duravit. Intervenerunt tamen subinde dies & noctes frigidæ admodum & rigidæ, quibus adeo in contrarium mutatus subito aeris habitus, ut præcipitante etiam Aprilis noctu in glaciem a gelu aquæ densarentur. Autumno postea tempestas ingruit ac persistit humida & frigidissima foecunda. Sub finem demum, Decembri & Januario sequenti, successit præter consuetudinem algidissima hyems, ita ut gelu 6. 7. 10. 12. & 13. Januarii die, intensissimum

Tom. IV.

illud post hominum memoriam anni 1709. si non superaret, certo tamen æquaret. Frigidissimam autem hanc tempestatem subito iterum excepit lenissima australis die 14. aura, quæ copiosissimam nivem cum glacie morliquavit, interspersis subinde pluviis. Mira etiam sub hac cœli vicissitudine observata argenti vivi in barometro, ratione descensus & ascensus, crebra & quotidie fere mutatio, qualem me per triginta annos vix unquam vidisse recordor, adeo etiam, ut vel una nocte, a vigesimo septimo gradu, ad duodecimum, quin octavum delaberetur; luculento indicio, non modo valde subitam ratione caloris & frigoris in thermometro, sed etiam gravitatis aeris, mutationem ac varietatem factam fuisse. Hæc autem insolita & peculiaris aeris annique temporum constitutio, non potuit non ingentem etiam mutationem animantium & maxime humanis corporibus inferre functiones tam vitales, quam naturales, potissimumque secretorios & excretorios actus, turbare atque pervertere, & materiam ac dispositionem ad diversi & insueti etiam generis morbos ingignere. Hinc igitur factum est, ut non modo in universa Germania, sed & Belgio, Anglia & alibi, tam uberi proventu enati fuerint morbi, quam vix alio tempore visum unquam. Decurrente quippe vere, æstate & autumno, febres variae intermittentes, tertianæ simplices, duplices & continuæ, quartanæ simplices & duplices, crebrius recidivantes, valde anomalæ & irregulares, in quibusdam malignitatis speciem referentes, contagio infestæ, sepe purpureo exanthemate stipatæ, prodierunt affatim. Variolæ quoque & morbilli non siluerunt, & quidam præterea diarrhœa & dysenteria affecti. Octobre vero & Novembre appetente desierunt intermittentes irregulares & successerunt catarrhales, pro diversitate & impuritate corporum, plus minus benigne vel maligne,

1 3 ac

ac per Decembrem etiam ac Januarium infestarunt, factæ simul contagiosæ, cum exanthematibus, petechiis spuris ac purpura. In plurimis cum horripilatione, virium prostratione, contusivo artuum dolore, temulentia capitis, junctâ raucedine, gravedine & pectoris infarctu, inceperunt, & quotidie circa noctem, quæ ut plurimum insomnis fuit, major facta inquietudo cum æstu. In spurcis admodum corporibus, quarto, vel etiam septimo die comparuerunt exanthemata, petechiæ maxime spurix & purpura alba, vel rubra, vel utraque simul, modo cum, modo sine levamine. Optime potius morbus solutus vel sudore largo, vel alvi fluxu, vel copioso sreatu. In benignioribus catarrhalibus cum violenta & convulsiva tussi, faucium tumore, quandoque exulceratione, pectoris copioso infarctu, parotidum, quin erysipelaceo faciei tumore, ego diluentibus, sanguinis æstum & acrimoniam temperantibus cum fructu sum usus. Evacuacionem alvinam per infusum usitatum mannatum movi, quod sine ulla molestia sex, vel septem sedes proritavit, humorumque a pectore, faucibus & capite impetum efficaciter derivavit. Et postea pulveribus diaphoreticis cum pauxillo extracti croci, nec non infusis theiformibus, cura ex voto absoluta. In iis autem febribus, quæ genii minus benigni visæ, eadem, quam supra expositum, ratione, medicacionem institui.

Ex his quibus exanthemata junctâ, memorabilis potissimum petechialis mitior, cum purpura alba, cujus historiam, in primis ex observatione numerosissima praxi occupati medici, sigillatim percensere, operæ erit pretium. Cœpit scilicet hæc in plurimis cum horripilatione & subsequente æstus mitiusque per duos aut tres primos dies afflixit, ita ut ægri non penitus lecto affigerentur, sed tantum de doloribus tensivis in dorso & artubus, capitis temulentia, virium appetitusque

prostratione conquererentur. Nonnulli conatum vomendi, quidam etiam vomitus experti, plerique tamen primos hosce dies somnolenti, dormitantes magis, quam vigilantes, transegerunt. Accedente autem quarto die, motus febriles graviores accesserunt & vix sequenti mane tantisper remisit æstus, simulque ipso hoc die in quamplurimis sanguinis per nares erupit stillicidium, ac paulo post subleni madore prodierunt etiam petechiæ. Fuerunt præterea in plerisque quibus alvi circa hoc tempus obtigit lenis profluvium, ad septimum usque diem, quin quandoque undecimum durans, quod morbi vehementiam imminuit magis, quam adauxit. Absoluta macularum eruptione, in junioribus potissimum, minus meticulosi & de vita solliciti, febris postea, sub levi mentis turbatione, placide & tranquille decurrit & circa decimum quartum diem ad faustum exitum pertigit, tantum quod in quibusdam tussis & surdaster status per octo, vel plures dies durans, remansit. Quod si autem post exanthematum efflorescentiam febris impetus cum deliriis increvit potius, undecimo, vel decimo quarto die certo expectanda fuit purpura alba. Quæ priusquam comparuit, ægri summa præcordiorum anxietate, insomnia & stricturis circa collum sunt affecti, ut conquererentur fauces strangulari, se citæ esse inclusos, teneri, in alieno conclavi & inter peregrinos versari, rogantes, vincula ut laxentur, ipsique suis & quieti redderentur &c. Quod si tamen sub hoc angore & pathematum vehementia purpura in conspectum venit & deliria cum reliquis symptomatibus postea cessarunt, & hi feliciter evaserunt. Sed quibus circa 9. diem tendinum subsultus, motus tremuli, respiratio anhelosa, involuntaria urinæ & alvi excretio acciderunt, licet etiam demum purpura proreperet, decimo, undecimo, vel decimo tertio die sub convulsivis motibus obierunt. Medendi hæc febribus

*Historia
febris petechialis
spurix
cum purpura alba.*

bribus methodus fuit hæc. Adultis & qui venæsectioni assueti, simul ac conqueri coeperunt, sanguinis ad sex, vel octo uncias subtractus in pede, omnibusque quies, moderatus calor & abstinentia inuncta. Conclavia semper in æquali tepore servata, nulli, quam poscenti, cibis datus, potus vero ex cerevisia tenui tepidus & parcis haustibus pro lubitu unicuique concessus. In medicatione, rejectis expellentibus & alexipharmacis, ternis singulis horis, exhibitus pulvis temperans, ex absorbentibus, tam simplicibus, quam acido saturatis, cum antimonio diaphoretico & nitro, vel loco hujus portio temperata ex aquis destillatis, cum temperantibus & syrupo acetositis citri. Comparantibus autem exanthematicis, ad impediendam eorum retrocessionem, pulveribus temperantibus, interpositis subinde parcis dosibus, usus essentia bezoardica, infusum theiforme potui datum & regimen diapnoicum inunctum. Alvus quidem in paucissimis adstricta, sed ubi fuit, clystere emolliente soluta. Adversus cephalalgias usurpatus spiritus vini camphoratus, vel etiam epithema illud domesticum ex mica panis, baccis juniperi, sale & cumino. Reliquorum symptomatum, ut inappetentia, somni defectus & lassitudinis, minus rationem habuimus & præter analeptica temperata, datum præterea nihil. Cæterum feliciter per Dei gratiam, in omnibus fere qui consiliis medicis in diæta & regimine rite obtemperarunt, curatio successit; ii vero, qui hæc penſi habuerunt, maxima quidem etiam ex parte evaserunt, sed in morbos postea inciderunt corruptos, lentescentes.

*Historia
febris
malignæ
exanthematicæ.*

Idem hic morbus, iisdem fere symptomatibus, eodem tempore infestavit milites nostros præſidiarios. Scilicet fama percrebuerat, potentissimum Porusſiæ Regem huc venturum, milites lecturum. Hinc præſecti meditationes instituerunt campeſtres, ſuoſque per aliquot dies ante diluculum in

campum eduxerunt, ut armis ſeſe exercerent. Erat autem October jam adultus, celum frigidiusculum, nebulosum ac ſubinde pluviolum, milites tamen minus adverſus aeris injurias obveſtitum levioſem muniti: male inde ipſorum corpora affecta & diſpoſitio ingeniſta morboſa, inprimis quum non deſſent, qui liberali vini aduſti potu corpus calefacere perperam fatagerent. Ex eo igitur languere coeperunt multi & plures ægrotare, alii catarrhis, alii rheumatismis, alii diarrheis, alii intermittentibus febribus, maximeque quartanis refractariis, affici, donec exeunte Novembre longe plures adoriretur febris continua maligna exanthematica, & ſucceſſive vel centum inſiciens, ad finem uſque Decembris inſiſteret. Quotquot hæc corripuit, omnes primum de inſolito corporis artuumque languore conqueſti ſunt, cum capitis gravitate, appetitus defectu & naſea. Sequutus dein horror corporis, quem exceſſus calor & pulſum celeres, debiles tamen ictus. Poſtea nonnullos primum mitius afflixit pectoris inſarctus, cum tuſſi & coryza; alios viciffim mox ita proſtravit morbi vehementia, ut lecto affigerentur, & ſimul ac vel caput tantum erigerent, lypothymis afficerentur. Increbuerunt tum, inprimis accedente quarto die pathemata, ſomnus deſuit, naſea urſit, caput & dorſum doluit, pectus oppreſſum fuit, in nonnullis nares ſanguinem ſtillarunt, aliis vomitus, aliis conatus ad hunc accidit, fuerunt maxime inquieti, delirarunt, corpus jaſtitarunt, de ſummo ſimul angore conqueſti. Exactis inter hæc aliquot diebus, circa quintum, ut plurimum tamen ſeptimum diem, prodierunt maculae petechiales, optime roſei & purpurei, peſſimæ lividi & fulci coloris. Exanthema quoque miliare, maculis hiſce quandoque fuit interperſum rubrum, vel album, morbumque multum exacerbavit. Longe pejus tamen fuit, ſi poſt nonum, aut undecimum diem hoc acceſſit, viribus jam nimium attritis; quin die de-

mum vigesimo primo uni id contigisse novimus, lethali eventu. In quibusdam critico septimo die sudor manavit; in plurimis vero circa quintum vel septimum diem alvus fluere cœpit, ad nonum, vel undecimum usque diem; & hæc quidem excretiones criticae agris in salutem evenerunt. Quod si vero sudor statim ab initio fuit effusus, exanthematibus præsentibus nulla remissio, nullum criticis diebus in urina sedimentum, alvus adstrictior, cutis arida, sitis nulla, malum præbuerunt omen, invalescente haud ita multo post delirio, inquietudine, accedentibus cum singultu convulsionibus ac tandem morte. In medicatione harum febrium regimen injunctum moderatum, potus tepidus sufficiens, ex decocto potissimum hordei, cibis interdictus, rejecta calida & alexipharmaca, vomitoria & purgantia, omissa quoque venæ sectio, quæ in binis primum infelicitè cesserat. Dati tantum pulveres temperantes nitrosi ac diaphoretici, modo cum, modo sine succo citri, item portiones ex aquis analeptici ac diaphoretici cum antimonio diaphoretico, matre perlarum, cinabari & aceto. Alvus obstructa emollientibus clysteribus referata, nimis fluxa calore & pulverum diaphoreticorum usu ad moderamen traducta, & de reliquo eadem fere ratione, ac supra dictum, symptomatibus cæteris obviam itum. Feliciter etiam cessit curatio, ita ut ex omnibus vix ultra decem mortui, & hi quidem vel nono statim die, vel undecimo accedente purpura. Cæteri fere omnes superato decimo quarto die sensim vires cum somno & appetitu receperunt ac successive cum sanitate in gratiam redierunt. In quibusdam tamen per aliquod adhuc tempus restitit præter languorem tussicula, in aliis etiam passim in carnosissimis externis partibus effloruerunt furunculi admodum molesti, congruis præsiidiis demum etiam sanati,

Id igitur ex epidemica hujus febris historia notatu dignum: quod a sola paulo intensiori perfrigeratione corporis atque transpiratione adhibita, pro dispositione corporum, quatenus plus vel minus impuros in venis, inque prima regione alunt succos, varii generis morbose affectiones plus, vel minus mali moris, intermittentes nempe, item catarrhales rheumaticæ, petechiales & purpuræ gigni possint. Dein & illud observationem meretur, quod contagiosa quidem hæc febris fuerit, non tamen omnes, sed tantammodo milites infecerit, qui similem perfrigerationem eo tempore passi, immunibus a contagio & iis, qui in eadem domo habitant, & qui visitant ægros. Quod quidem luculento est testimonio, contagium, ut effectui detur, supponere & requirere, corpora, quæ succos ad recipiendum miasma & ejus activitati obsecundandum dispositos alunt. Tum non prætereundum est, quod milites valde proceræ stature vehementius ægrotaverint & difficilius evaserint, quam alii minus proceri. Quia enim in proceræ stature corporibus, ob longum ac difficilem sanguinis per venas perpendiculari viam regressum ad cor, circuitus tardior est & languidior ac in parvæ stature, excretionem autem & maxime perspirationis negotium circulum sanguinis tardior, vel celerior sequitur, facile patet, sub languidiori sanguinis & humorum circuitu, corpora magis & facilius reddi impura, & autocratiam quoque naturæ in vincendis morbis, quæ consistit maxime in circulatione sanguinis vegetiori & promptis excretionibus, valde languidam esse & insufficientem. Tandem memorabile omnino, quod venæ sectio etiam in principio administrata noxam potius quam opem attulerit, quæ alias non tam facile in robustis hominibus, ut militibus, nocet. At quum a transpiratione prohibita & retentione excrementorum, quæ per cutim diffiantur, primos malum traxit natales, ali-

*Confer-
Clavia.*

quot

quot jam septimanis languor & ciborum ante invasionem febris inappetentia adfuit, facile constat, sanguinis missione imbecillitatem adauctam, perspirationem vero magis imminutam fuisse, quod utrumque non potuit non cum damno accidere.

C A P. XI.

De Febribus Petechialibus veris.

Theses Pathologicae.

§. I.

Descriptio morbi.

Febres petechiales verae, sunt valde malignae, contagiosae, capiti & viribus quam maxime infestae, cum varii coloris maculis junctae, & orta a succorum vitalium corruptione ac subsequente putrida dissolutione, eaque propter lethales.

§. II.

Nominis ratio.

Merito haec febres exanthematicae vocantur malignae, seu venenatae: etenim plerumque a tenuissimo, activa, virulentae indolis vapore, sive miasmate, e corpore decumbentis halante, ortum ducunt & propagantur. Dein difficulter sanationem recipiunt & brevi saepe plures jugulant. Tum vires, a quibus motus vitam sustinentes pendunt, & celeriter, & graviter, pessundant ac destruunt. Demum, non secus ac maligni homines, mitem prima facie exhibent indolem, medicosque cum adstantibus, ac si catarrhales tantum essent, saepe decipiunt, postea vero perniciosum effectum tanto majori exerant vehementia.

§. III.

Indicia & symptomata.

His tamen indicis deleteria indoles morbi cognoscenda. Ab initio statim egri conqueri solent de virium summa prostratione atque debilitate, ut erecti vix consistere, vel pedibus incedere queant, sed mox animo deficiant, quum in aliis continuis & acutis morbis demum in statu & vigore ejusmodi imbecillitas observetur. Caput ab initio valde dolet, fervet, cum tor-

pore, animus illico dejicitur, anxius & sollicitus est, ac salutis spem abjicit, pessima quavis ominatur. Assidua urget vigilia, nec ullus reficiens adest somnus, appetentia plane perit, faciei vigor intercedit, pulsus languidus, parvus & inaequalis micat, decubitus in lecto insolitus est atque incompositus, membris quasi convolutis & corpore huc & illuc jectigato, pectoris est oppressio, quandoque cum tussi sicca, musculorum fibrae undulatorio quali & tremulo motu convelluntur, tendinesque contrahuntur atque subultant. Plures nec de siti, nec aestu, nec dolore, nec anxietate queruntur, & asseverant potius, nihil mali se sentire, praeter languorem & somni defectum. Urina primum mingitur ut plurimum tenuis sanorum simillima. Quarto, quinto, vel etiam septimo die in conspectum prodeunt maculae, in dorso potissimum & lumbis, plus minus copiosae, varii subinde coloris, plerumque tamen sine levamine, ideoque symptomaticae magis, quam criticae.

§. IV.

Exanthemata veteres generali denominatione has dicunt maculas. Latino ab Italis idiomate pedicularium petechiarum & petechialium nomine efferruntur, a voce pedecchio, duplex, quia pulicum morsus figura aemulantur; a Gallis ob colorem purpuratam, ab Hispanis taberdillo, a calore ex flavo rubro; a Germanis lenticulares, propter lentis quam referunt figuram & colorem, aut punctulares, vernacula die *Reb Flecke*. Hungari vero propter gravem capitis dolorem & delirium complicatum nominant Germana voce *die hize Haupt Kranckheit*. Ab aliis autem exanthematibus praeter figuram in eo discrepant, quod non modo sine omni ardore, sine pruritu, cutis elevatione, asperitate & exulceratione prodeant, sed & ut plurimum sine levamine, quia materia eorum non est salina caustica, sed potius putrida & corrupta.

Nomina & differentia.

§. V.

S. V.

Pregno-
sis.

Tantum hinc abest, ut maculae hae salutis spem faciant, ut potius quo copiosiores compareant, eo majorem corruptionis gradum, quin lividi, plumbei & ex atro viridescantis coloris, sphacelofam plane corruptionem arguant. Qui etiam evadunt, non cutanea excretionem, sed vel sudoribus largis, fetidum acorem spirantibus, vel alvi fluxibus criticis, convalescunt. Sed nonnisi naturae benignitate ac robore id accidit in his, ubi non adeo emmens succorum corruptio, sed temperata adhuc & quasi quodammodo alexipharmaca indoles. Plurimi potius occumbunt, vel sphacelosa corruptione in ventriculo, intestinis & aliis visceribus, vel phrenitide, frequentius anginosa faucium & oesophagi inflammatione, cadaveribus mox post mortem intolerandum plane fetorem spirantibus. Quem funestum eventum signa praesagiunt haec: si sitis vel nulla, vel plane inextinguibilis, si lingua arida, discissa, nigricans, fauces inflammatae & squalore obsesae, cum deglutitione difficili, si post exanthematum eruptionem respiratio anhelosa & pectoris angustia persistit & invalescit, vel post sudorem & alvi fluxum delirium cum aliis pathematibus ingravescit, nec urina turbida fit, nec sedimentum ponit; si demum oculi obscurantur, mens plane delira fit, acri floccos carpunt, tendines subsultant, excrementa involuntarie elabuntur, sudor frigidus manat & convulsiones accidunt, spiritum cum vita praecurrentes.

S. VI.

Forma-
lis va-
rio.Ex mia-
smate
viru-
lento.

Formalis perniciosarum harum febrium ratio consistit in putrida dissolutione, sive colliquatione sanguinis & succorum vitalium, potissimumque in fluidi lymphatici elastici tenuissimi, quod in sanguine contentum, in cerebro ac spinali medulla separatim, per nervos in universum corpus distributum, sensum & motum partibus praestat cunctis, inquinazione &

vitiosa plane diathesi. Etenim venenatum illum vaporem, quo etiam sana corpora inficiuntur, ejus naturae esse atque potentiae, ut non modo sanguinis aliisque humoribus putredinofam successive inducat fermentationem, sed & immediate ad interiora cerebri nervearumque partium pervadat, fluidumque ibi corrumpat subtilissimum, ex eo planum fit, quod suscepto ipso, illico vires tam naturales, quam vitales & animales languescere incipiant omnes, in perfecte sanis corporibus salva adhuc sanguinis & humorum crasi & a corruptione immuni.

S. VII.

Hoc virulentum multiplicativae indolis miasma, corpus maxime subit per nares, fauces & bronchia. Nam nullibi tam aperti minusque testis discurrunt nervi ex prima & secunda conjugatione, ac in narium cavo. Hoc igitur dum pertransit cum aere vestitus deleterius vapor, non mirum est, eundem immediate, proxime & intime pertingere ad nervos ipsumque cerebrum & infectos ea propter mox remulencia, capitis torpore, virium languore, nec non vertigine affici. Maxime omnium vero commiscet sese salivali latici contagiosum miasma, & cum hoc descendit ad ventriculum, qui etiam, ceu pars nervosa, primam fere sedem praebet contagiosis hae febribus. Hinc in ventriculo & praecordis primum se prodere solent prava symptomata, nausea scilicet cum vomendi conatu, alvi frequens cum torminibus dejectio, vel etiam fortis adstrictio, ciborum fastidium, anxietas praecordiorum, cardialgia *das Ubelseyn* & frequens copiosa lymphae ex stomacho eructatio. Hinc testantur observationes anatomico-practicae, in his febribus defunctis ventriculum maxime omnium sphacelosa corruptione affici. Dum vero miasma hoc & salivae in ore & liquori menstruali gastrico & pancreatico in stomacho miscetur, mul-

In cor-
pus de-
latum.

tum ejus vis propagativa & multiplicativa intenditur. Etenim inter omnes constat, salivales hos succos, intimæ alimentorum digestionis servientes, valde subtilis, spirituosæ, aëro-elastica fermentescibilis naturæ esse, eaque propter dulcia quibus commiscuntur illico fermentativo motu pericere. Quare quia hi succi in motu intestino fermentativo jam constituti, longe utique facilius delato illuc subtilissimo putredinoso miasmatis obsecundant, ut hoc sese propaget & augeat, non secus ac exigua pars fermenti panifici ingentem farinæ massam fermentat.

§. VIII.

Apophlegmatisantibus arcendum.

Hinc facile jam elucescit ratio, quare ad contagium perniciosi hujus morbi arcendum, nihil præstabilius jam pridem a peritissimis medicis annotatum, quam ut insectorum, præsertim quum ad extrema & putredinis acumen ventum, halitum facie averla vitemus, salivam crebrius exspuendo rejiciamus, ac ore contineamus ea, quæ salivam eliciunt, radicem angelicæ, zedoariæ, imperatoricæ, pimpinellæ, aut masticeus, vel fumigemus tabacum. Neque minus inde patefcit causa, cur miasma hoc deleterium longe facilius suscipiatur longèque citius perniciosam vim exferat, in ventriculo copiosis cruditatibus & pituitosis ac salivalibus, sordibus obfesso, & cur vicissim leniora emetica, alexipharmacis nupta, in receter infectis, certè & securissimè ad præscindendum prima in herba morbi sint efficacie.

§. IX.

Origoes aere in salubri per se.

Primam autem harum contagio infestarum febrium originem rectè omnino cum Hippocrate ex communi aeris vitio deducendam esse reor. Nimirum diurnus humidus, pluviosus, nebulosus, nec non austrinus calido-humidus aeris status, ob eminentem vaporum aqueorum copiam, vim ætheris vividam, elasticam, expansivam, quæ solidorum & fluidorum ad vitam necessarium in corpore

motum, sustinet, obtundit ac deprimat. Inde salutiferæ excretioncs, maximeque perspiratio, elanguescunt ac turbantur, inutiles, superflua & corruptæ partes retinentur, quibus in sanguine & succis accumulatis, non potest non summa ad corruptionem & dissolutionem prona ingigni dispositio. Accedit quod sub aliena ejusmodi tempestatum constitutione, ipsa vegetabilia & frumenta alienam naturam corpori inimicam contrahant. Nam notum est, humido & pluvioso cœlo diu regnante, in secale potissimum uberem esse proventum lolii esculenti, vernacula des Mutter-Korns, quod noxiæ & tantum non venenatæ est indolis. Neque prognatum hoc tempore secale, tantam copiam spiritus vini per fermentationem præbet, neque tam salubrem & reficientem panem largitur, ac illud, quod temporibus anni siccis & calidis producit. Ut adeo non mirum sit, insalubria & corrupta hinc confecta alimenta ingesta, simul ipsa corpora disponere ad putredinem.

§. X.

Dein aeri insalubritas & ad ingignendos putridos morbos aptitudo inducitur ex crebra ac diuturna aquarum inundatione. Hac enim facta, humor stagnans, accedente in primis solari calore, putrescere incipit, multaque putrida in atmosphæram mittit effluvia. Insectorum quoque varii generis copia circa aquarum stagna succrescit, a quibus causticæ, salinæ, deleteriæ materiæ subtiles multæ in aerem elewantur. Quæ quidem omnia quam sint sanitati insensa, historiarum utique docent monumenta, quibus uberius constat, post aquarum diluviones magnas, contagiosas & tantum non pestilentis naturæ febres fuisse subortas, de quo pluribus evolenda dissertatio de temporibus anni insalubribus, item tom. 2. Medicin. ration. system. pag. 278. Eiusdem infestæ naturæ est aer exhalationibus putridis ex cadaveribus inhumatis putrescentibus,

Vel a pravis effluviis.

vel

vel excrementis animantium furgentibus, refertus, tanto magis incarcerationis & accessu purioris destitutus.

§. XI.

Et corporis
dispositio.

Neque tamen aer tantum impurus & insalubris ad generationem horum morborum facit, verum etiam ipsius corporis ad putredinem intus concipiendam habitus ac dispositio. Per ipsam certe experientiam uberius constat, phlegmatico-sanguineos, habitus corporis laxioris & spongiosioris, animo meticulosos & anxios, quorum vires luxuria, ingluvie alimentorum valde incongruorum, ebrietate, venere, fame, diuturna coestitia, vigiliis, laboribus, hamorrhagiis, fractis atque exhaustis, facilius & crebrius gravi hoc morbo prehendi, & difficulter quoque evadere; nullam aliam ob causam, quam quod ipsorum corpora impura atque debilia ad putredinem ac corruptionem admodum proclivia. Neque minus de feminis cachecticis, mensium suppressione laborantibus, item de lue venerea, vel minimum hujus reliquiis affectis novi, quod ex facili corripiantur, sed ægerrime emergant.

§. XII.

Hinc in
castris
locis publicis
elicis
militares.

Quæ quum ita sint, in proclivi sane est judicare, quare contagiosa hæc febres in militum castris quam maxime circumeant & ob id castrenses appellari soleant. In castris enim omnes, quas enumeravimus, morbi hujus causæ ferre conveniunt. Ibi quippe milites aeris humido-calidi & postea humido-frigidi experiuntur injurias, sub dio dormiunt in locis uliginosis, humidis sæpe atque palustribus, excrementa animantium & hominum passim non desunt, nec tamen vento ob circumductum vallum aditus ad dissipandos fetidos halitus patet, cibis vescuntur incongruis, nonnunquam plane corruptis, semicoctis, aquas quoque stagnantes & putres bibunt, fame & vigiliis corporis robur atterunt. Hinc quando ex laborioso & difficili hoc vitæ

genere in hyberna concedunt, corporaque quieti dant ac ciborum copia onerant, corruptio interna sensim contracta adeo demum increfcit, ut apertius in capitalem hunc morbum erumpat, isque ob id frequentior in hybernis, quam castris observetur. Eandem fere ob rationem malignis contagiosis ejusmodi morbis, pauperes, in tenebris & coeno versantes, aere fruentes in angustis tuguriolis vapidum minusque puro, frequentius afficiuntur, quam opulenti, quibus accuratius vivendi genus & sanitatis regulas quoad aerem & victum observandi est copia. Idem evenit in nosocomiis, orphanotropheis & ergastulis publicis, ubi plures simul conversantur, & vitam colunt inopem, corpus ad concipiendum contagium disponentem.

Præservatio & curatio cum observationibus clinicis.

§. I.

Curatio quidem harum exitialium febrium, tam ratione indicationum, quam regiminis, remedium, medendique rationis, nec non observationum præcticarum, convenit utique cum iis, quæ capite antecedenti de febribus petechizantibus fuisse satis tradidimus, ut supervacaneum eadem heic etiam exponere foret. Sed longe magis a perito medico petendum consilium ad arcendum ejusmodi morbum, quippe quod multo tutius, multoque certiores effectus ipsa curatione. Præcipuum vero præservationis momentum in eo quam maxime consistit, ut insalubri ad ingignendos mali moris morbos apto anni tempore, sollicitè evitetur aer vaporibus & exhalationibus noxiis foetus & vivida elastica expansione destitutus. Quum dein sub ejusmodi aeris constitutione corpora jam tum admodum debilia & ad morbos contrahendos disposita sint, expedit omnino, temperare sibi

*Præservatio
quoad
diagram
& regimen.*

ab omnibus, quæ viribus aduersa, languidioresque faciunt excretiones, animi scilicet vehementibus commotionibus, mœrore, terrore, cura, impensioribus meditationibus, vigiliis protrahentioribus & nimia venere, item corporis refrigeratione, præsertim noctu, cum leuiori tempestate frigidiuscula vestitu. Porro præscindendus curate cruditas prima in regione proventus, abstinendum ab ingluvie tanto magis in salubrium, a crapula, continua tabaci fumigatione & effusiori potus coffeæ usu, qui sicuti non ventriculo, ita longe minus nervosis partibus & mixturæ succorum vitalium amicus est. Ut demum aer purus & salubris hauriatur, studendum, & fugienda ob id loca humiliora, in quibus aer facile fit vapidus, nec non ædificia, quæ ventorum perflatui minus patent, ac præterea nimia humiditas accenso igne & suffumigiis ex mastiche, succino, baccis juniperi, corrigenda.

§. II.

Vinum optimum præservativum.

Inter præsidia porro, quæ ad declinandos hos morbos valent, ego quidem præstabilius novi nullum, convenienti & moderato vini optimæ notæ, & quidem Rhenani, usu. Hoc quippe mane, vel etiam inter cibos quotidie potum modice, vires mirifice reficit & sustinet, sanguinis progressum cum excretionibus promouet, ciborum digestionem iuvat, ac optime putredini ac corruptioni resistit, præsertim quando moderatior etiam corporis motus & alius diluens potus simul conjungatur. Ego sane longiori experientia edoctus, id pro certo affirmare possum, grassantibus populariter morbis ab aeris cōstitutione humida, eos, qui exquisitam vietus rationem tenuerunt & quotidie moderate bono vino usi, incommodi sensisse nihil. Ipsa etiam in pestilentia ex præstantissimis præservativis vinum esse testantur, qui ex insitutu de eadem seriperunt. Quin in petechiis quoque, vinum postremis diebus facta crisi de-

bito modo potum, vires dejectas erigendo & cuticularem excretionem secundando, omnia fere alia auxilia superare assevero.

§. III.

Ipsa autem in curatione ex omnibus remediis statim in principio optima ^{Acida} ^{profunt.} opem conferunt acida, maximeque succus citri, pitisanæ potandæ ad extinguendum calorem & arcendam putredinem indicitur, item acetum vini, siue simplex, siue destillatum, mixturis ex aquis & pulveribus fixioribus diaphoreticis nuptum. Præter hæc conducunt, quæ vires servando salivalem etiam laticem colliquant, & pectus ab infarctu liberant. Id enim cum celeberrimo olim Erfurtensi Professore, Cramero, quem Præceptorem colui insignem, observavi, non facile quempiam his in morbis decedere, cui saliva & sputum liberius fertur. Quam ob rem idem hic in arte exercitissimus vir frequentissimo in usu habuit mixturas alexipharmacas, quas ingrediebatur, cum aceto destillato, vel aceto scordii, cinnabaris, interdum bezoardicum minerale & oxymel squilliticum. Contra ea pessimus omnino practicum mos est, in principio statim volatilia, bezoardica & sudorifera cum regimine calido & infuso rheiformi fervente exhibere. Sic enim intestinus ille putredinosus motus invalescit cum orgasmo, majorque virium subsequitur prostratio.

§. IV.

In morbo declinante nulla magis ^{Alvi} ^{fluxus} ^{salutis} ^{ris.} salutaris excretio, quam quæ fit convenienti tempore per alvum. Ego certe praxi quadraginta & aliquot annorum uberius confirmatum habeo, rarius solo sudore & hæmorrhagia, sed frequentius per diarrhœam septimo, nono, aut undecimo die erumpentem, solutos fuisse hos morbos, & vicissim nihil perniciosius fuisse diarrhœa gravi statim inter initia, vel alvi fluxu critico cohibito. Neque minus compertum habeo, si catharrales mali-

gæ,

gnæ & exanthematicæ alvi fluxu soluta fuerunt, ægros immunes fuisse a purpuræ albæ incurfu, quæ haud raro pulsu jam æquali facta, declinante undecimo die morbo, non sine magno periculo supervenit. Perspexerunt etiam jam pridem salubritatem alvini fluxus, artem cum attentione exercentes. Ipse Hippocrates lib. epid. memorat, laborantes hujusmodi acutis febribus alvi excretionem fuisse sanatos. In quadam pestilenti constitutione diarrhoeam admodum salutarem fuisse Galenus de arr. bil. cap. IV. testatur. In primis Gerhardus Columba de pestil. febr. multus est in laudando egregio effectu fluxus alvini, pag. 231. sic habens: omnes quibus alvus copiose ejecit, licet cum signis cruditatis fuerit, tandem liberati. Procedente enim alvi fluore, in dies coctionis signa superveniebant, morbus evadebat clementior & tandem alvi fluore perseverante, fideliter & integre ægri judicabantur. Ut mittamus, quæ passim hanc in rem memoriæ prodita sunt a Valleriola observ. lib. VI. de febr. Schenckio observ. lib. VI. de febr. Riverio observ. Cent. I. obs. XLVII. & LVII. item Cent. II. obs. XXXIV. & LXXXVII. Horstio obs. X. Johanne Rhodio Cent. II. observat. LXXXV. Sæcta de febre castrensi maligna cap. IV. pag. 331. pag. 175. Boneto in thes. pract. de febr. putr. pag. 71. item de causo cap. II.

S. V.

Hinc
promove-
endus.

Hæc igitur naturæ via; cui insistentum ab artifice, eademque, si deficit, juvanda. Mihi omnino primum & multiplici observatione confirmatum, quicquid in putridis, malignis & pestilentialibus febribus curandis expectandum ab arte, id maxime in eo contineri, ut medicus convenienti tempore ea usurpet remedia, quæ ad alvum solvendam sine damno faciant. Sed hoc circa hos maxime dies faciendum, qui audiuntur critici, a septimo ad decimum quartum usque, non primis, quibus ob materiam nondum

coctam & excretioni aptam, parum operis conferunt. Sicuti vero ad alvum vacuandam per totum harum febrium decursum nil pestilentius illis pharmacis, quæ acrimonia quadam caustica agunt, nec exceptis sennæ etiam foliis: ita nil certe hanc in rem magis proficuum iis, quæ nihil alieni & quod vires frangat in mixtione habent, sed blande & placide alvum subducunt. Eminent hæc inter benedicta illa manna, cum cremore tartari, hæc etiam febribus ob aciditatem non adverso, nupta & sufficienti dosi data. Conducibilis quoque syrupus rosarum solutivus, mixtus cum salino stimulo, ex cremore tartari, sale polychresto, vel nitro antimoniato & convenienti dosi ac tempore cum sufficienti diluto vehiculo, uti sero lactis nostra methodo dulci, vel aquis etiam temperatis mineralibus, ut Wildungenlibus & Antonianis, oblatus. Non minus spectata virtus tamarindorum pulpæ, vel decocti ex his cum manna, aut rhabarbaro. Quam egregium enim effectum præstent hoc in casu laxantia, testis eximius est Moræus de malign. febr. parox. plus quam viginti exemplis confirmans, se ad alvum laxandam summo cum fructu usum fuisse tamarindorum pulpa, item infuso ex rhabarbaro, foliis sennæ, cremore tartari, manna & aqua acetosellæ concinnato.

S. VI.

De venæ sectionis autem utilitate his in febribus disceptant adhuc medentes. Et certe tanta utique malignarum differentia, ut experientissimi etiam medici in iisdem experiundo demum discere cogantur. Id tamen verum: quum eadem plethoricos & plethorico-cachymicos infestant, commodum omnino in his & præterea sanguinis missioni assuetis, diætâ lauta & vinosa utentibus & vitæ sedentariæ indulgentibus, invenit locum ad præservationem. Experientia enim sum edoctus, post venæ sectionem, vel plane non corripi, vel lenius ægrotare &

Venæ
sectio
præser-
vatoris
magis.

& facilius convalescere, sanguinis subtractionem passos, quam non expertos.

§. VII.

Recidiva
ava
da ab
stin-
tia.

Id vero omnibus curate tenendum: quod tam sub, quam declinante hoc morbo, stomachus valde languescens non alimentorum, multo minus insalubrium, præsertim carniū mole sit onerandus. Est hoc familiarissimum, vulgo hominum plebeiorum in primis, præjudicium, ut credant vires cibis esse reficiendas. Sed ipsum hoc est una ex præcipuis causa, quod ægri in portu sese jam constitutos censentes, sæpius naufragium faciant, recidivante priori, cum majori vitæ periculo, vel superveniente alio novo morbo.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Historia Febris petechialis ann.
MDCLXXXIII. in Principatu
Mindensi grassantis,*

Quum anno MDCLXXXIII. copia Brandeburgicæ ab expeditione contra Turcas ex Hungaria redeuntes, in Principatum Mindensem hyematum reducerentur, attulerunt simul morbum castrensem, febrem nempe malignam petechialem & successively multos pagos & vicos, in quibus sumserant hiberna, lue infecerunt eadem. Ego juvenis adhuc medicus provincialis a Serenissimo Electore Brandenburgensi Friderico Wilhelmo constitutus ibi, feci quod muneris postulavit ratio, decumbentes passim visitavi, in morbi hujus maligni statum inquisivi & operam contuli omnem, ut pro mea tunc scientia perniciosam hunc morbum congruis præsidiiis oppugnarem & ne latius progredereetur, præcaverem. Excurritur & potissimum in præfectura Schlussemburg, plus quam centum hac febre laborantes offendi, in quibus præter summam

virium prostrationem & consueta alia malignarum symptomata, peculiare fuit, quod plurimi statim in principio atroci & diuturna cephalalgia, in syncope in primis, cum vertigine, oculorum rubore, oblivione ac postea delirio, afficerentur; conquerentes simul de magno tinnitu & susurro aurium. Quidam de raucedine, pectoris infarctu, faucium ardore & falso catarrho conquerebantur. Quibus mox corpus petechiis lividis & flavescentibus oblectum, moriebantur omnes, cum iis qui incongruo, vel nimis calido, vel nimis frigido regimine excepti & a balneatore alexipharmacis expellentibus & theriacalibus usi fuerunt. In quibusdam tanta erat corruptionis vehementia, ut ægri surgentes & in pavimento frigido ambulantes aliquandiu, funestum in plantis pedum nanciscerentur sphacelum, ut in duobus vidi. Qui autem paucas, & rubras habuerunt maculas, nec non ex plebeis, qui nec medico, nec medicamentis usi, ac minus meticulosi, solo regimine temperato, & potu seri lactis, vel decimo quarto die, remittente symptomatum vehementia, vel per largos & frigidos valde debilitantes sudores, vel per diarrhoeam sunt judicati. In bonis fuit status surdaster circa declinationem accedens & aliquandiu persistens. Qui evaserunt, vix intra aliquot menses ad perfectam sanitatem redierunt. In plurimis restitit tumor pedum, vel etiam abdominis, cum lenta febre & appetitus dejectione. Quidam diu stupidi & obliviosi manserunt. Nec defuerunt, qui, præsertim si caput frigidiori auræ nimis cito exposuerunt, post morbum gravitate capitis & difficultate auditus affecti sunt, quin nonnulli facti sunt & manserunt per totam vitam surdi. In pago, Radea dicto, eodem morbo infecto, commorabatur destillator quidam Chymicus, qui gloriabatur, summo se cum fructu uti spiritu nitri, instillatis in mensuram aque puræ, vel cerevisiæ Mindensis levis, quin-

quinquaginta ad manifestam usque aciditatem guttis, dato postea liberally tepido potu hoc medicato. Nec contemnendę virtutis deprehendi hoc experimentum, quo in aliquibus fluxus alvi cruentus quandoque suscitatus, non sine levamine cephalalgia aliorumque symptomatum, tantum quod qui eodem servati, paullo diutius imbecillitate ventriculi & intestinorum laborarunt, cachectici quasi facti, demum tamen etiam congruis remediis ad sanitatem traducti. Ego vero ad præsciendendum ulteriorem contagii progressum, iis, qui nobilioris fortunę & conditionis erant, præter moderationem & temperantiam, in victu, regimine & animi affectibus, & vitanda refrigeratione, suavi moderatum vini boni usum. Qui sanguine crasso & gravi abundarunt, uti Westphali ob victum durum & crassum fere omnes, his sanguinem subtrahere jussi, & mane alternis diebus assumere dosin tincturę bezoardicę, vel pulveris bezoardici, expectando postea sub temperato calido regimine cuticularem excretionem auctiorem, quę etiam tam in locis infectis, quam alibi versantibus, egregie profuerunt. Ceterum sanos ab ægrotis, quantum fieri potuit, separari jussi: pro medicina pulverem ex cornu cervi usto & lapidibus cancrorum leniter nitrosum, cum pauxillo camphorę cum roob sambuci, aqua & aceto vini singulis fere assumendum ordinavi: qui in primo morbi insultu sæpius usurpatus alios statim a morbo liberavit.

Epicrisis.

Nulla fere regio tam ferax morborum acutorum præsertim febrium catarrhalium mali moris atque petechialium, quam Austria & Pannonia. Unde etiam peculiare & grave hujus morbi genus Hungarica κατ' ἐξοχήν febris, audit. Evenit autem hoc plures ob rationes. Æstus interdiu his in regionibus est intensior; etiam autumnus, & vina ob id generosa admodum

& dulcia facit, noctu vero succedit rigidior aura, & ob excessivam hanc subitam cœli mutationem excretio salutifera, potissimumque quę per cutis poros succedit, mirifice turbatur ac interceptitur. Dein victus ibi solennis admodum plenus, ex esu carniū & vini generosi potu, aquę autem non adeo salubres; quibus sanguinis facile corruptibilis copia ingeneratur. Hinc non mirum est, quod frequentes ibi corrupti & putridi maligni morbi, in primis in militibus & qui victus illius insueri, simul inordinate vivunt, semicoctis & male præparatis cibis ventriculum onerant, noctu excubias agunt sub frigida aura & in locis humidioribus & frigidioribus degunt ac dormiunt. Neque etiam mirum, dispositionem ad hos morbos cum militibus huc venientibus alio transportari, sub quiete & ingluvie in hybernis, corruptos succos augeri, cruditates prima in regione accumulari ac tandem in apertum perniciosum morbum, hyeme præsertim, erumpere.

Id autem peculiare habet hic morbus, in primis in iis qui sanguine abundant, ut caput petat; hinc statim in principio venę sectio suadenda: si vero ex stomacho vitiosorum humorum ex ingluvie & toto corpore huc confluentium colluvie obfesso, eveniat, optimum utique consilium statim in principio, clementi, efficaci tamen emetico, stomachum, vel intestinorum simul canalem expurgare. Quem in finem ego quidem commendare soleo decoctum mannatum, cum dimidia vel una drachma radicis hypecacuanhę, aut infusum mannę ex vino cum duobus tartari emetici granis. Sic datis post hanc evacuationem bezoardicis & leniter diaphoreticis, cura succedit longe felicius.

Ex singularibus etiam in hac fuerunt sudores copiosi, frigidi, per aliquot dies & noctes manantes, vaporem acorem spirantes, non tamen funesti. Hippocrates enim Sect. IV.

aph.

aph. 17. malos eos pronunciat & mortis prodromos. Nos quoque largimur, quod sudor frigidus qui internæ viscæris cujusdam inflammationis, vel sphacelationis comes & tantum particularis est, internis calentibus & externis frigentibus, plerumque sit funestus. Sed longe aliam ejus frigidi sudoris esse rationem, qui a defectu caloris & virium prostratione oritur, docet experientia. Luculentum hanc in rem est testimonium Raygeri in schol. observ. Spindleri obs. XCV. sic habens: *vicissim sapius & ego in morbi declinatione post XIV. dies viribus bene constitutis & rite se habentibus, reliquisque bonis signis apparentibus, in calido corpore frigidos observavi sudores, post febres acutas & malignas bene judicatas, cum allevatione magna erupisse & ultra XXIV. horas durasse.* Quanquam autem hujus generis sudores non ad mortem tendant, magnam tamen dissipationem caloris & virium indicant. Hinc si unquam, certe tunc succurrendum analepticis, diætetis æque ac pharmaceuticis, corpus crebrius linteis calidis detergendum & fricandum, quo per externa internus calor excitetur, nec æger in limine recuperandæ sanitatis constitutus deficiat.

Vicissim in pessimis signis fuerunt sudores ab initio & per totum morbum effusius manantes, cum urina perpetuo tenui & copiosa. Hæ enim symptomatice sunt excretiones, manifestumque præbent indicium colliquationis & dissolutionis elementorum sanguinis mixtionem constituentium. Et secedente tam copiose sero, crassior evadit crur & ad cerebrum delatus, in vasis meningum capillaribus facile stagnat & inflammationem inducit.

Quod præterea spiritus nitri cerebro & liberaliter in aqueo vehiculo datus, quibusdam eximie profuerit, partim acido tribuendum, quod putredini resistit optime, partim stimulo quem intulit intestinis, quibus vellicatis

Tom. IV.

sanguinis & humorum impetus a capite ad inferiora vocatus & alvi fluxus cum euphoria proripitatus. Sed longe tutior clyſſus antimonii sulphuratus, cum diluente tenui potu sufficienti copia exhibitus, quem ego præstantissimum auxilium deprehendi, & commendo.

Ceterum in vadentibus exitialibus hisce morbis, id potissimum perito agendum est medico, ut propagationem & progressum contagii tempestive antevertat. Etenim longe facilius est, corpora ab insultu harum febrium defendere, quam infecta & oppressa perſanare. Ac nisi peculiare beneficium naturæ in curatione concurrat, omnia frustra molitur medicus, quantum vis doctus atque peritus.

OBSERVATIO II.

Juvenis robustus, sed ob vitam sedentariam sanguine non adeo puro plenus, animum laxandi causa Januario exeunte ruri exspatiatus, societatem cerevisiam gravem & spirituosam potantium offendit. Assidet cum iis, & vesperi domum iterum concedens, corpus admodum perfrigerat. Die post de molesto dentium conqueritur dolore, cum corporis lassitudine viriūque languore plane insolito. Altero die accedit tussis, cum sreatu, coryza, æstu, non tamen adeo gravi. Audita vero præterea debilitas, appetentia periit cum somno, intercurſarunt subinde horripilationes & extremorum refrigerationes, caput torpidum fuit, licet æger non lectum peteret, sed officio suo fungeretur. Accedente quarto die morbus ægrum affixit lecto, hinc consultus medicus, qui serum ex lacte cocto succo citri coagulato bibere jussit. Factum id, sed subsequutus alvi fluxus vigesies & ultra, ægrum intra diem & noctem ad fellam urgens. Inde vires magis collapsæ, partium tremor cum delirio, alvo quamvis fluente accessit, sub quo quinto die comparuerunt maculæ petechiales,

K atro-

atrociam morbi tamen non levantes, sed sexta stercora & urinam sine sensu reddidit, respiratio facta anhelosa, & nocte septimum diem antecedente mors excepit.

Epicrisis.

Hanc etiam febrem fuisse ex malignis illis catarrhalibus & petechialibus, quæ per aliquot menses nostra hac in urbe circumvenerunt, testatur dentium dolor rheumaticus, coryza, & raucedo cum tussi. Malignitatem autem junctam ingens statim virium lapsus, appetitus plane prostratus & somni defectus, cum pulsu celeri, debili, atque frequenti, nec non capitis dolor ac torpor faciunt testatum, licet ægroti, adstantes, ipsique minus periti medici, hæc haud raro minus ex æquo attendere soleant. Serum igitur lactis in principio ad alvum laxandam & sistendam sanguinis ebullitionem, non quidem sine fructu commendandum. Sed ubi catarrhales affectus jam per aliquot dies adfuerunt, minus proficua sunt ea remedia, quæ alvum turbant, & serum impurum ad interiora ac inferiora vocant. Licet etiam alvi laxitas, in catarrhalibus malignis criticis diebus sponte proveniens, admodum sit salutaria; primis tamen diebus alvum stimulantia nocent. Intus enim retinent materiam malignam, ac ut inflammatio ventriculi & meningum tandem sphacelosa inducatur, faciunt. Tum potius semper perspiratio servanda libera, & serum corruptum dissipandum per blanda diaphoretica & regimen moderatum. Neque minus in plethorico ejusmodi corpore ante invasionem admodum proficua fuisset venæsectio, subjuncta postea moderatori & longiori diaphoresi.

OBSERVATIO III.

*Petechie
in febre
& fra-
ctu di-
verse.*

Virgo triginta aliquot annorum, mensium anomaliis ab aliquot annis obnoxia, anno abhinc affecta fuerat

erysipelate capitis, quod in fistulas mali moris, glandulas colli, genas, faucesque perforantes desit. Sanata tamen adhibita omni diligentia a medico & chirurgo, sed ab eo tempore languidior mansit & macilenta. Januario hujus anni ineunte subito ipsam infestavit ingens capitis dolor, cum torpore, somnolentia, virium languore, valida quoque tussi sicca. Increvit hæc debilitas indies, nihil plane appetiit, nec dormivit, simul conquesta est de præcordiorum & spirandi angustia, pulsu frequenti, sed debili micante. Sexto die passim in pectore compa-ruerunt punctula, septimo accessit delirium, sequutæ convulsiones epilepti-cæ, ac mors, postquam macula magis venerunt in conspectum. Frater demortuæ insperato hoc discessu mirum contristatus, paullo post pariter con-queri cœpit de dolore capitis & artu-um, sine catarrhosis defluxionibus, vi-res conciderunt, appetitus periit, som-nusque defuit, quarto die petechiæ visæ ac pathemata mitigata, septimo cum caloris incremento sub inquietu-dine & anxietate accessit purpura, & petechiales maculæ disparuerunt. Suc-cessive tamen convaluit, terreorum bezoardicorum & absorbentium cum succo citri & aquis diapnoicis & analep-ticis usu ac potu prorsanæ.

Epicrisis.

In virgine, hac orta febris sine con-tagii suspitione. Sed docet omnino ex-perientia, corpora valetudinaria, imbecilliora, & ubi impuritas ex mensi-bus retentis, gonorrhœa, vel lue ve-nerea in sanguine & succis lymphati-cis restitat, facile corripitur grassantibus ex communi aeris insalubris vitio morbis & promte quoque suscipere contagium, quod nihil metuentibus a medicis, chirurgis & assistentibus contagiosis morbis decumbentibus, affertur. Quod autem ab initio statim exquisitus, & continuus capitis adfuit dolor, cui deinde delirium cum con-vulsionibus epilepticis junctum, id procul dubio ob debilitatem capitis ex-
per-

perpeſſo eryſipelate exulcerato factum. Dein frequentioris etiam experientia est contagioſis morbis defunctorum conſanguineos, ſola ſape animi perturbatione ac mœſtitia diuturna, in eundem incidere morbum. In his vero a ſanguinis miſſione, niſi corpus ſit eminentius plethoricum, merito abſtinendum, item a valide commoventibus, & evacuantibus, ac vires potius erigendæ, perſpiration ſecundanda & ſuccorum vitalium integritas conſervanda. Petechias comparente purpura rubra diſparuiſſe, in exanthematicis hujus anni febris ſape viſum, & quidem ſine damno, ſed ubi declinante petechiali morbo ſupervenit purpura alba, id ut plurimum fuit lethale.

OBSERVATIO IV.

Pete-
chialis
febris ex
ſeuore
ſto lo-
thalis.

Acres cum commilitone rixas habuerat adoleſcens viginti annorum, ſimulque terrore fuerat percuſus. Nocte inſequenti ſomno caruit, ac debilitatem, laſſitudinem, appetitusque proſtrationem per dies aliquot perſenſit. Quinto poſt die horrore, præcordiorum anxietate & æſtu præternaturali affectus eſt, cum pulſu celeri ac debili. Medicus in conſilium vocatus, ſtatim exhibuit vomitorium, ſanguinem ſubtraxit & ſubjuxit tincturam bezoardicam, nec non pulverem bezoardicum cum & ſine nitro. Sexto die comparuerunt maculæ rubræ, & nares aliquoties ſanguinem ſillarunt, ſomnus fuit paucus, vel nullus, urina ſanorum ſimilis, vires tamen non penitus viſæ proſtratæ, ſed ager ſurrexit ſubinde, & obambulavit, deſuit quoque delirium. Bene igitur omnia ceſſura ſpes fuit & morbus leniſſime bezoardicis temperatis tractatus. At quum ſeptimo die lecto ſurgeret ager, & per horæ quadrantem erectus ſederet in conclavi licet moderate calido, & ſufficienter teſtus, ſubito in lipothymiam incidit cum horrore cutis, plethæque petechiæ evanuerunt, & quæ

manſerunt, nigræ comparuerunt, acceſſit ingens præcordiorum anxietas cum furore, ita ut gladium in adſtantes ſtringere, & e fenestra ſe præcipientem dare vellet. Uſurpatus quidem pulvis bezoardicus cum nitro & camphora, conquievit etiam tantisper delirium, ſed debilitas increvit, horripilation perſiſtit, acceſſerunt convulſiones, & ſub finem diei ſeptimi mors inopinata.

Epicriſis.

Nunquam periculo carent petechiæ, licet omnia videantur pacata, & medicus conferat cuncta. Quodvis enim acciſſens in pejus omnia mutare valet. Heic ſitus erectus tam pernicioſam mutationem, delirium & mortem adduxit. Qui quantopere in morbis acutis & exanthematicis ſit noxiuſ, ſupra jam pluribus monuimus, ac ut evitetur, iterum monemus iterumque.

OBSERVATIO V.

Generoſa ſcœmina quadragenaria, corporis obefi, laxi & ſpongioſi, genio indulgens, variis que eduliis dulcibus, acidis, lacte, vino quotidie delectata, tempore quo malignæ exanthematicæ febres circumſebant, iſdem fere, quam quibus hæ incedeſbant, affecta fuit pathematibus. Adfuit quippe corporis laſſitudo cum inquietudine, cutis horripilatione, capitis doſique dolore, accedente poſtera die præcordiorum anxietate viriumque proſtratione. Datum illico lene emeticum, quod miram vitioſorum humorum colluviem evexit, & anxietatum & cephalalgia levamen attulit. Tertio die vena in manu pertuſa, & ſanguis largiter eductus, qui frigefactus cruſtam glutinoſam in ſuperficie contraxit. Sed poſt venæ ſectionem pejus habuit: ſopor præſto fuit continuus, facies tumida & fauces ſqualidæ factæ, urina vero tenuis naturali ſimilis ſeſſit. Quinto die ſpiritus factus diſſicilis, & poſt noctem admodum inquieti prodierunt maculæ rubræ in collo, dorſo ac manibus, quæ quidem anxietates

ates levarunt, soporem autem non sustulerunt. Interim ob alvum clausam clysteres injecti, qui ingentem foetidorum stercorum copiam evocarunt: septimo etiam die largo corpus sudore perfusum. Nihilo tamen minus sine sensu ac motu jacuit agra, appetens vinum, quod ipsi suspensa manu concessum. Quum vero inde melius haberet ac virium animi corporisque sentiret incrementum, post trihorium quatuor iterum vini Rhenani unciae potui datae, iisdemque potis, mirifice se viribus refici asseveravit. Sequutus postea sudor largior, infuso theae adjunctus, sopor mentisque stupor discessit, corpus quoque cum animo vires recepit, & agra ad sanitatem demum traducta, alternis semper, vel ternis diebus, alvo laxantibus subducta.

Epicrisis.

Quo major pravorum succorum prima in regione colluvies, eo graviora etiam in febribus popularibus malis moris adsunt symptomata. Urina quoque plerumque minguntur tenues, praecordia anguntur & caput exquisite dolet. Ad hanc igitur circumstantiam artificum cura attendendum semper. Tum enim optimum consilium, illico leni emetico sordes expurgare. Merito etiam sanguinis missioni praemittitur purgatio. Venasectio. heic quidem minus feliciter cessasse visa est sanguine ad caput allecto & soporem faciente. Quare etiam practico- rum plerimii venam in superioribus per- tundere dissuadent, ac ut potius in pede id fiat praecipiant, eo quod inde non facile coagatio sanguinis ad ca- put proriretur. Crusta autem illa glu- tinosa sanguini emisso innatans non malifuit ominis. Nam *Baglivus lib. Lopp. pag. 149.* disertis verbis scribit ac testatur: *observamus in xenodochio omnes fere ab acutis evasisse, quo- rum sanguini venasectione extracto crassa alba atque chylosa supercrese-*

hat: contra mortuos, quorum sanguis valde rubicundus. Et certe sanguis consistentia crassior non tam facile dissolutorio motui intestino obsecun- dat, quam tenuis partibus salino-sub- phureis scatens. Demum notandum & hoc, quod vinum temperatius, in malignis & petechialibus etiam febris- bus, non noceat, facta petechiarum eruptione & poris adapertis, sed quod potius vires refocillando, secreto- rios, & excretorios actus partium effectarum egregie juvet. Caven- dum vero ab eo, si inflammationis adsunt indicia in ventriculo & primis viis, si phrenitidis, si cutis arida, & sicca.

OBSERVATIO VI.

Biennio abhinc febris maligna con- tagiosa, non quidem epidemice, sed tantum sporadice circumibat, potissi- mumque complures ex domesticis or- phanotropei Halensis infestabat. Eundem hunc morbum nanciscebatur filius Inspectoris hujus orphanotro- pheï, theologi, tam eruditione, quam pietate & moderatione celebris, ipse paedagogii Regii alumnus. Pa- ter impensius hunc suum natum dea- mans, contristari non modo coepit & de salute, tam capitali morbo correpti angere, sed & crebrius decumbentem visitavit, quin lecti & hypocausti so- cium fecit, ac cum universa familia eodem in conclavi cibos cepit. Hinc autem factum est, ut omnes successi- ve a contagio inficerentur. Pater qui- dem statim tertio post die summum virium languorem, capitis artuum- que dolorem, somnum inquietum, anxietatem & ardorem circa praeco- dia, cum plenaria ciborum inappetentia expertus est. Accessit tonsilla- rium tumor, ardor & aestus faucium, quinto die delirium, postea sudores colliquativi, nono placida mors. De- cumbente hoc adhuc, uxorem idem morbus prostravit iisdemque affectu- pathematibus, eodem, altero post obi- tum.

Febris mali- gna co- tagiosa venase- ctione com- pressa.

tum mariti die, funeſto eventu. Excepit virgo his conſanguinitate juncta, quæ quinto die pariter expiravit. Ita ut intra quatrimum tres hæ perſonæ obirent. Medici qui curationi præerant, catarrhalem morbum eſſe cenſuerant & ob id venæſectionem omiſerant. Sed quum morbus ad reliquos etiam domeſticos, procederet & rumor paſſim increbeſceret, eundem tantum non eſſe peſtilentem, alius Medicus in conſilium vocatus, qui ob capitis dolores, venæſectionem inſtituendam eſſe in principio ſuaſit. Hinc omnibus quotquot poſtea corripuit, ſimulac conqueri cœperunt, vena in pede pertuſa & conveniens ſanguinis quantitas eduſta, tam felici effectû, ut non tantum morbus mitior incederet, maculæ petechiales cum purpura, ſecus quam in primis comparerent, verum etiam ex ſeptem nec unus occumberet, ac ipſe contagioſus morbus ſic deſineret.

Epicriſis.

Perquam utique notatu dignum, ſervatos eſſe qui ſanguinis miſſionem amiſerunt, qui omiſerunt ſub gravi & diuturno delirio periſſe, ad quem tamen eventum ſumma animi triſtitia multum forte contulit. De venæſectione quidem, an in ejuſmodi acutis, malignis contagioſis & exanthematicis febris proſit vel noceat? Medici adhuc in utramque partem diſceptant. Ego vero cenſeo, abſolute nil poſſe deſiniri, ſed conſiderandas eſſe a medico circumſpecto ac perito circumſtantias omnes, quoad indolem, cauſam, ſymptomata & tempus morbi, quoad ſubjectum, corpus ægrotans ſolidorumque & fluidorum in eo diſpoſitionem. Ego quidem multiplices edoctus ſum obſervatione, verum eſſe generalem hunc præcticum canonem: ſi corpus eſt admodum plethoricum, amplis vaſis inſtructum, ſanguinis miſſioni aſſuetum, ſi morbus ſanum antea corpus corripuit, nec a cõmuni ad putredinem inclinante aeris vitio abortus, ſi vehementer ſtatim

Tom. IV.

caput petit ac delirium metuendum; tum utique ante invaſionem tam ad præſervationem, quam etiam mox in principio, nunquam nocere poteſt moderata ſanguinis miſſio in pede; quin ſub his circumſtantiis in morbo Hungarico ipſaque peſtilentia venæſectio eſt utiliſſima. Subtracta enim nimia ſanguinis, & humorum copia, cordis & ſyſtematis vaſorum ſyſtole longe liberior redditur atque vegetior, una cum motu humorum ad exteriora, quo per univerſale illud emunctorium cutis nocens materia expellitur atque diſſatur. Neque minus a ſanguinis in partibus inferioribus miſſione inſignis ipſius a capite fit derivatio. Nam res certè eſt experientiæ, ſub acerbo capitis dolore, illico cordis, & arteriarum pulſum immutari, irregularem fieri & inæqualem, & pendentes inde functiones vitium capere; & viciffim ſi caput cum cerebro & nervis a ſanguinis ſtagnatione liberatur, pulſum mox in melius mutari una cum motu humorum progreſſivo vitali. Quod ſi vero adductæ hæ circumſtantiæ deſunt, corpusque minus ſanguine redundat, noxia omnino & pernicialis ſanguinis miſſio intempeſtiva. Quumque pauci ex medicis prudentia polleant diſcretiva, non mirandum, generoſo hoc remedio plus ſæpe damni, quam emolumenti afferri.

OBSERVATIO VII.

Quum anno MDCLXXXIX. hiemali tempore graſſaretur febris maligna, quandoque exanthematibus ſtipata, multosque, præſertim perverſa medicatione exceptos trucidaret, tota domus Conſilarii cujuſdam aulici eadem infecta eſt, & ipſe cum uxore graviter decubuit, noſtra tamen opera, benedicente DEO, regimine maxime temperato, & lenioribus diaphoreticis, convaluit. Poſtea fratrem ipſius ſimilis invaſit morbus, iſdem cum ſymptomatibus, virium proſtratione in primis, capitis & artuum do-

Febris maligna exanthematica jugulata emetico.

K 3 lore,

lore, cum inquietudine. Ego statim in principio vocatus, lene exhibui emeticum ex aqua florum sambuci, cardui benedicti ana uncia, tartari emetici grana duobus, mixturæ simplicis gutt. 20. quo assumpto ter vomuit viscidos cum bile humores & post vomitum valide sudavit. Promotus hic sudor circa noctem pulvere ex cornu cervi usti, antimonii diaphoretici, lapidum cancrorum, ana drachma una, cinnabaris, nitri puri ana drachma dimidia, camphoræ grana duobus, qui in sex doses divisus & ter quotidie assumtus. Potui præterea data ptisana ex cornu cervi, scorzonera, cum succo citri. Quibus morbus prima in herba feliciter jugulatus & æger post aliquot dies sanus prodit ac vegetus. Quumque brevi post famuli bini eodem modo conqueri inciperent, eadem methodo facili & explicita curatione ipsos ex ancipiti levavi.

Epicrisis.

Attentionem utique hæc meretur observatio, cujus generis plures notavi, malignum scilicet periculolum morbum, præsertim si a contagio accidit, corporibus alias bene valentibus, nec adeo impuris, vel imbecillis, mox in principio congruis remediis opprimi posse ac jugulari. Scilicet quum miasmata contagiosa primo omnium sese cum salivali latice misceat, sub hoc fermentescibili succo acrem malignam virtutem propaget atque multiplicet, hincque in naribus, faucibus ac oesophago catarrhosi quid simulet, & salivale fermentum destruendo, appetitum obtundat, quin etiam acredine sua nauseam & cardialgiam faciat; sane nihil magis indicatur atque e re est, quam ut istud proxima via per efficax conveniens pharmacum ocyus, antequam latius procedat ex primis viis, vomitu & salivatione everratur, postea vero ministerio accommodi diaphoretici reliquæ miasmatis virulenti per poros cutis evaporent. Sed even-

dum omnino ab alexipharmacis, inter quæ minime connumeranda camphora, præsertim cum nitro remixta. Nam hæc neutiquam, ut vulgaris fert opinio, sanguinem commovet, sed vel unica olei cinnamomi, aut caryophyllorum guttula, plus exæstuat, quam camphoræ drachma dimidia. Non tamen prætermittendus potus diluens sufficiens temperatus ex ptisana, ad componendum sanguinis orgasmum. Ego novi, practicum quendam non intelicem in more habuisse, in principio catarrhalium, & malignarum petechialium, simulac languor & ardor corpus infestavit, serum ex lacte cocto cum succo citri factum, largiter, sed per vices potui dare, tam felici effectu, ut post aliquot dies ardor, dolor, languor & gravedo disparuerit.

OBSERVATIO VIII.

Plures adhuc suppetunt observationes, sed ne nimii sumus in historiis, brevitate causa quædam duntaxat salutaria ex observationibus depromta monita afferemus. Scilicet frequentiori experientia compertum habeo, ut in quacunque exanthematica & contagiosa febre, sic etiam in petechizante & petechiali, non ita multo post contagio tactos fuisse, præsertim ex domesticis, qui ad arcendum morbum laxans, vel purgans assumere. Licet autem subductio in benignioris indolis exanthematicis minus noceat, si tamen peioris naturæ, uti petechiales, præstat utique ab omnibus alvum stimulantibus abstinere. Etenim ad cicurandam veneni contagio concepti indolem ipsumque iterum exturbandum, tum ad præsertionem in meruentibus, tum ad curationem in affectis, nihil aptius & efficacius, quam perspirationem liberam servare & integram, qua, præsertim in imbecillioribus, per alvum vacuantia immutata, venenum hoc magis detinetur intus. Hinc Celsus jam inter præcepta ad pestilentiam in-

Purgatio ad præsertionem minus proficua.

cur-

cursum arcendum etiam habet hoc : quod alvus non sit movenda, aut si jam per se mota est, comprimenta.

*In regi-
mine &
dieta
perver-
sa reci-
ditur.*

II. Crebriori edoctus sum experientia, declinante ac finito morbo, periculosiores, immo lethales excitari recidivas, quando acri corpus plus justo auræ frigidiori exponunt, in pavimento nudis pedibus incedunt & ventriculum adhuc languentem nimia ciborum, tanto magis carniū, insalubriū aut semicoctorum copia, simul ac semel onerant. Quare minus etiam sanitati suorum consulunt ii medentium, qui nimis cito appetentiam usu elixiriorum stomachicorum, quæ spiritus mineralis acidus ingreditur, excitare contendunt. Et novi utique tum a copiosiori cibo, si non recidive, tamen statum quandam cachecticum, cum tumore pedum & abdominis accessisse & tardissime penitus convalescere ægros.

*Contagium
diu de-
litescere
potest.*

III. Neque minus experientia constat, diu omnino latitare posse susceptum in corpore contagium, interdum per aliquot septimanas, antequam in actum decatur & perniciosam vim exerat. Atque hinc fit, ut qui eadem cum ægris domo contenti, sæpe successive unus post alterum aliquot hebdomadam spatio morbo afficiantur, licet jam antea aliquamdiu de lassitudine spontanea & functionum vitalium & animalium languore fuerint conquesti. His igitur cito succurrendum congruis dieteticis & pharmaceuticis, præsertim iis, quæ circulum sanguinis & perspirationem placide juvant, quæ putredini resistunt & crassum sanguinem custodiunt, de quibus supra mentio facta, quo citius venenum iterum e corpore proscribatur.

*Et cum
vesti-
mentis
affertur.*

IV. Sæpius quoque observavi, quod tempore insalubri, quo ob aerem gravem febres mali & benigni moris catarrhales & petechiales populares habuerunt circuitus, ex benigna facta sit præter spem maligna, a contagio, quod Medicis a vere malignis & petechialibus decumbentibus, cum vestimento aut capillitio attulerunt. Ut

adeo non sine ratione a Principum aulis & persona arceantur medici, qui curationem malignorum & contagiosorum morborum tractant, & sæpius inter ægros versantur.

CAPUT XII.

De Febre Pestilentiali.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Febri pestilentialis est acutissima, a miasmate venenato ex locis orientalibus advecto orta, ac nisi vigore motuum vitalium venenum per bubones & carbunculos cito propellatur, lethalis.

Definitio.

§. II.

Differt in eo hæc pestilentialis ab aliis contagiosis, malignis & exanthematicis febribus, quod omnium sit acutissima, ac interdum primo statim, vel secundo die jugulet. Dein nostris in regionibus nec epidemia, nec sporadica ex prava victus vel vivendi ratione, aut insalubri aeris constitutione prognata, sed sub aere saluberrimo, a solo contagio ex calidissimis jam infectis orientalibus plagis advecto, ortum ducit. Tum hoc habet peculiare, quod non ut aliæ malignæ febres & putride, per largos sudores, alvi fluxus, aut alias excretiones, sed tantum quod veneno ad partes externas glandulosas critiche & salutariter protruso, per tumores in abscessus desinentes, solvatur. Porro fecus ac in aliis contagiosis & petechialibus quoque febribus, tanta constantia & tenuitas miasmatis pestilentialis est, ut promte adhæreat rebus porosis, & ad multa milliaria, integra manente perniciosi sui vi, transferri possit. Demum singulare in hoc miasmate infectivo, quod prava & multiplicativa ipsius indoles intenso frigore non modo cicuretur, sed & plane extinguatur, quo fit, ut tempestate frigida & in regionibus præfrigidis, rarius, vel plane

Differtentia.

non, sub calido autem cælo & vehementissime & frequentissime grassetur.

§. III.

Initium. Quemadmodum vero in omnibus contagiosis & malignis febribus miasma venenatum cum aere haustum salivali fermentescibili latici sese insinuat, ac in his quas pertransit partibus perniciosam suam vim exerit primum: ita idem etiam quam maxime evenit in pestilentiali contagio. Hoc enim mox caput, cerebrum, nervos & purissimum illud lymphaticum nervorum fluidum petens, capitis torporem, gravitatem, somnolentiam & acerbum dolorem, sensuum stuporem, rerum omnium oblivionem, inquietudinem, vigilias ac virium prostrationem inducit. Per fauces ad ventriculum vectum, ciborum fastidium, nauseam, præcordiorum anxietatem, cardiacam syncopiam, vomendi conatum, nec non vomitum facit. Dein ad membranas medullæ spinalis tunicaeque arteriarum nerveas delatum, horrorem, pulsum languidum, parvum, contractum, frequentem, quin lipothymiam producit. Quæ quidem omnia statim inter initia sunt ordinaria pestis indicia atque symptomata, tanto vehementiora & celerioris operationis, quo plus venenum pestilentialiale aliorum contagiosorum & malignorum morborum miasma virulentia superat.

§. IV.

Et de cursu morbi. Quæ dein sub ipso morbo præsto sunt pathemata gravia & multa, nulli plenius & accuratius enarrata, ac in prima de hoc morbo descriptione, quam vetustissimus Historicus *Thucydides*, lib. II. de bello Peloponnesio de peste Attica dedit. Retinebimus igitur hanc morbi historiam, quam postea quam dixit ex Æthiopia in Ægyptum & inde Athenas pervenisse, sic insit: ego vero quod factum est narrabo; & quibus animadversis, si quando rursus incidat, possit aliquis provisum quippiam non ignorare, hæc monstrabo, qui tum ipse morbo laboravi, tum alios laborantes vidi. Itaque annus ille, ut in con-

fesso est, inter omnes maxime aliorum morborum immunis fuit; quod si quis alio prius morbo laborasset, in hunc omnes decumbebant. Alios vero ex nulla occasione, sed continuo, quum sani essent, primum capitis calores invadebant vehementes, & oculorum rubores, & inflammationes, atque internæ partes, & fauces, & linguae sanguinolentæ statim erant, spiritus difficilis & sætens exibat. Deinde ex his sternutatio & raucoedo succedebant, ac non multo post labor in pectus descendebat cum tussi vehemente. Quod si quando ad cor inhaesit, tum id subvertit, tum purgationes bilis, quæcunque a medicis recensentur, subierunt, atque hæc magna cum defatigatione. Plerisque singultus incidit inanis, convulsionem asferens vehementem, quæ nonnullis sub hac cessabat, aliis vero multo post. Porro corpus extrinsecus tangenti non admodum erat calidum, neque pallidum, sed subrubrum, lividum parvis pustulis & ulceribus scatens. Internæ vero partes usque adeo flagrabant, ut ne tenuissimum quidem stragulum, aut linteum impositum, neque aliud quippiam, præter nuditatem, ferrent. Ac jucundissimum plane erat in aquam frigidam se ipsos conjicere; quod multi fecerunt ex his, in quibus cura non adhibita, qui in puteos se dederunt inexhausta siti vexati, & perinde erat plus ac minus bibere. Atque impotentia quædam, quæ iis quiescere non licebat, & vigilie perpetuo comitabantur. Corpus, quamdiu morbus vigeat, non contabescit, sed præter spem labori obfisteat. Quam ob rem vel interierunt plurimi novem & septem diebus ex interno aestu, cum aliquid roboris adhuc haberent; vel si effugissent, morbo in ventrem irruente, & exulceratione in eodem facta, & diarrhœa simul immodica subeunte, plerique mox præ imbecillitate perierunt. Etenim initio sursum factum malum, quod in capite primum confederat, universum corpus pervadebat. Quod si quis maxima hæc superasset, huic extremarum partium noxa superveniebat. Malum enim

ad pudenda & ad summas manus & pedes decumbebat; & complures his amissis evaserunt, non nulli & amissis oculis. Non nullos etiam, quum primum exsurgere, cepit oblivio rerum aque omnium, ac tum se ipsos, tum amicos ignorabant. Morbus igitur, concludit paucis interjectis, (ut alia multa prætermittamus insolita, quæ cuique seorsum evenerunt, aliis alia) talem in universum habuit ideam. Alius præterea nullus infestavit eo tempore ex iis, qui consueti habentur, si quis autem accidisset, in hunc desinebat. Ac perierunt non nulli quidem ob negligentiam, alii vero diligenter etiam curati. Neque ullum, fore dixerim, compertum est remedium, cujus usu homines adjuutos esse constaret. Nam quod uni opem tulerat, id ipsum officiebat alteri. Jam vero nullum corpus visum est adversus morbum sufficere, quod ad robur & debilitatem attinet, sed sublata sunt omnia, quavis etiam vivendi ratione ad curationem uterentur. Res porro miserrima fuit in universo morbo tum animi defectio, cum quis se agrotare intelligeret; nam mente protinus ad desperationem conversa, multo se ipsos magis consernebant, neque reluctabantur; tum vero quoniam alter ab altero, dum curationis officio fungerentur, instar ovium occidebat, atque hoc maximam cladis partem attulit.

§. V.

Neque tamen in peste unius ejusdemque indolis semper sunt symptomata, sed multum utique secundum temperamenta & constitutiones corporum variant. Quam diversitatem probe cognoscere & scrutari oportet medicum. Id vero omnes qui de pestilentiali morbo scripserunt unanimi suffragio confirmant, corpora quæ spongiosioris, rari & porosioris, nec non obesi sunt habitus, temperamento sanguineos & phlegmatico-sanguineos, lexu fœminas, ætate juniores ac infantes, animo timidos & abjectos, vitæ genere pauperes, insalubrem diæ-

tam colentes, crapulis deditos & comestationibus in seram noctem indulgentes, longe celerius corripitur & gravius decumbere hoc modo, quam qui animo fortes ac intrepidi, corpore macilenti, nervosi & amplioribus vasis dotati, viri, senes, fluxui hæmorrhoidali obnoxii, item qui fonticulos & ulcera gestant aperta. Neque minus per observationes compertum, nihil ad suscipiendum & deleteriam miasmatis virtutem intendendam aptius esse metu, timore mortis animique consternatione, adeo, ut etiam quoddam solo terrore peste affectos & extinctos esse constet. Nam hi animi affectus sunt inter omnes præcipui, qui vitalem cordis arteriarum motum cum sanguinis circulo minuunt, destruunt & vires tam vitales, quam naturales & animales dejiciunt, quum tamen motuum beneficio venenum conceptum sit exterminandum.

§. VI.

Cujus autem porro indolis ac speciei <sup>Miasma-
tis na-
tura.</sup> naturæ sit venenum, quod pestem excitat, a priori accurate determinare admodum difficile, quia sensibus minus obvium. Quantum tamen ratione assequi & a posteriori judicare licet, duplicis esse videtur, partim sulphureæ putridæ multiplicativæ, instar fermenti, partim subtilis valde acris & causticæ, plus tamen alcalinæ, quam acidæ, naturæ. Putrida enim valde & peregrina sulphurea indoles ex eo patet, quod omnes maligni & putridis, quæ ex cadaveribus inhumatis, aquis stagnantibus putrescentibus & aliis foetidis excrementis fœdibus, trahant, & quod ipsum hoc miasma illico contaminet nervorum fluidum, motum solidorum systolicum sistat & corruptionem sphacelofam fœccis inducat. Causticam autem subtilem acrimoniam inesse miasmati ex eo concludendum, tum quod contagiosorum morborum ingressum ut plurimum antecedit copia insectorum sale caustico

flico præditorum & ex putredine genitorum, tum etiam, quod nerveas fibrillas vellicando & rodendo, dolorem, ardorem, tumorem & inflammationem causetur, conspicuum satis in bubonibus atque anthracibus.

§. VII.

*Solvitur
critice
per tu-
mores.*

Pestilentialia hoc intus susceptum venenum, illico, ut supra diximus, omnes omnino in corpore functiones turbat atque pervertit, ac nisi cito ab internis ad externas partes propellatur, certissime necem infert. Neque tamen hoc ut in aliis malignis fit per largos sudores, neque per alvi, aut urinæ fluxum, neque per hæmorrhoidum, aut mensium profluvium, neque etiam per narium stillicidium, spontaneum æque ac arte proritatum, ut potius, tales, præsertim effusiores excretiones, minentur exitium. Sed salutaris & critica, qua perfecte solvitur pestilentialis morbus, excretio, absolvitur per tumores in externo corporis ambitu prodeuntes; ita quidem, ut non secus ac in erysipellate, intra tertium & quartum diem eadem contingat, & quo citius ac melius, eo magis morbi inde mitescat atrocitas. Formale enim venenum his tumoribus contineri atque excerni, vel ex eo patescit, quod si chirurgus lancetta, qua aperti, venam sani hominis incidat, is illico etiam corripitur peste.

§. VIII.

Bubones.

Duplicis autem generis sunt pestilentialia hi tumores. Primum a Græcis vocatur communi omnium tumorum nomine bubo. Occupant hi bubones maxime glandulosa loca, frequentius inguinales & axillares, quandoque etiam parotides & mammarias glandulas, item maxillares inferiores sub mento, nec non asperæ arteriæ appositæ, ac sese manifestant tumore glandularum duro, dolente, tensivo, cum ardore, ac si boni moris sunt, intumescunt, molliores fiunt & suppurantur. Alterum genus, primo longe deterius, græco nomine audit

Vel anthracis.

anthrax, propria significatione carbonem ignitum designans, unde Latinarum diminutivum carbunculus. Celsus quidem lib. 5. cap. 28. sic describit anthracem: rubor est superque eum non nimium pustulae eminentes, maxime nigrae, interdum sublividae, aut pallidae. In his sanies esse videtur, infra color niger est. Ipsum corpus aridum & durius quam naturaliter oportet. Circa quod quasi crusta est, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco levare cutis potest, sed interiori carni affixa est. Et Mindererus, qui ipse pelli interfuit & de ea egregie scripsit, ita de carbunculis habet: quando anthrax magnitudine grani sinapis, aut cannabis consedit, contrahit circum limbum & circulum, aut ardentem halonem, amplitudine orbis mensalis, prout carnem & locum attingit. Caro quam tetigit a sana separatur ac uti eschara, seu caro putrida, excidit, ut hiet carum ac si lupi exdiscent. Ab his carbunculis nulla corporis pars immunis est, obfident tamen quam maxime membranas musculorum & substantiam cutis nervosam ac fibrosam, in dorso potissimum, brachiis ac femoribus. In loco, quem afficiunt, ægri primo pruritus sentiunt exquisitum, si scalpunt, pustulae emergunt, coloris vel rubri, vel lividi, vel albo-purpurei, vel nigri. Pustulae compressae sunt & pure plenae videntur, ac sub una, vel pluribus ex his, crusta cinerea, vel nigra concrevit, qua ablata, caro corrupta & spongiosa apparet, cum dolore intollerabili & ardore carnis circumjacentis, ac tandem insequitur totalis partitis sphacellatio, sive mortificatio.

§. XI.

Quibus autem lethalis est pestilentialis morbus, ex his non nulli primo statim, vel secundo die syncope pereunt, procul dubio ex Panico, quo perculsi terrore. Sed plurimi, quando venenum vel non expellitur, vel expulsum subito relabatur, & nervosis tunicis nobiliorum partium pleurae, & so-

Sphacellatur.

oesophagi, ventriculi & intestinorum, nec non meningibus inharens, inducit sphacelum, qui ocyus ad omnia viscera ipsumque sanguinem serpit, quo fit, ut cadavera illico mire foeteant, intumescant & citissime putrescant. Quandoque etiam, quando nimia tumorum pestilentialium copia prodit, ob inflammationem, dolorem & ardorem intolerabilem, ex febre symptomatrica, non secus ac in variolis fieri solet, occumbunt.

Præservatio & Curatio.

§. I.

*Optimum præservativum fuga & tempe-
rantia.* Quum in comperto sit, nostris in regionibus pestilentiam non gigni, sed ex remotis locis advehi, non securius utique & certius datur consilium præservatorium quam fuga contagii. Vetust enim jam Celsi est præceptum, ut adhuc integer, qui tamen securus esse non possit, naviget & peregrinetur, quod etiam in peste Italica anni 1573. eximie profuisse, testis est Natalis Comes hist. lib. 27. Et Sanctorius Med. stat. Sect. aph. 138. libere profitemur: qui aliud remedium pro vitanda peste instituunt, quam fugam, vel sunt homines ignorantes, vel volunt aruscare. Eandem etiam ob causam optime salutis civium consulunt principes, qui tempore pestis advectionem & accessionem contagii modis arcent omnibus, si vero domus fuerit infecta, sanos illico segregare & omnem mortuorum suppellectilem comburere jubent, ne cum ea ad alios transferatur & morbus. Omnibus vero grassante pestilentia temperatissime vivendum, vitandus omnis excessus in rerum non naturalium usu, maximeque animi affectibus, & abstinendum a cunctis, quæ vires ullo modo deicere, perspirationis successum turbare & cruditates prima in regione gignere possunt. In primis animus firmandus, & terror, metus ac pullanimitas discutienda, quum certum sit, timorem ac terro-

rem plures in peste necare ac ipsum miasma.

§. II.

Qui autem inter infectos versari ne-*in acidis* cessum habent, his videndum, ne miasma succos vitales subeat, nec salivales intra primas vias stagnantes humores in sui societatem, quod facile fit, pertrahat. Hunc in finem commendanda frequens exspitio & oris, cum aceto vini, vel vino collutio, vel horum in nares attractio. Major efficacia ad huc, si scordio, ruta, vel corticibus citri fuerint imbuta. Acidum enim genuina miasmatis putridæ & sulphureæ indolis videtur esse antidotus, quippe quod teste Chymia mechanica sulphur & salia volatilia figit atque enervat. Quare longe tutius est acida degustare, vel in ore continere, quam radices alexipharmacas zedoariæ, angelicæ, ostrutii &c. masticare. Expedit hinc quoque tum vel vinum Rhenanum, vel acetum bezoardici aliquot cochlearia, cum aqua aut vino diluti, assumere. Locuples certe hanc in rem testis est Forestus; ego, inquiens, cum grassante peste, nusquam trepide, plenus civium studio me ad agros conferrem, illis auxiliis ac potissimum mali citri putamine succulento, dentibus attrito, me munire suevi. Turcæ, memorante Cole lib. de morb. acut. pag. 88. regnante pestilentia, frequentius utuntur succo limonum, quem liberaliter omni iusculo instillant.

§. III.

Inter externa adversus contagio-*Et fonticulis.* nem præsidia plures commendant fonticulos; inducti forsitan primum observatione, qua constat, eos, qui ulcera chronica & scorbutica in artubus gestarunt, a peste & aliis contagiosis morbis fuisse immunes. Multus in primis in laudanda hac fonticulorum virtute est Hildanus Observ. chirurg. cent. 4. obs. 23. sic habens: Neminem autem, quod notandum, eorum, qui fonticulos in cruribus & brachiis habuerunt, præter unum aut alterum sum-

me cacochymicum, peste obuisse memini, & proinde presentaneum preservativum tempore pestis esse, cum in aliis multis, tum etiam in memetipso expertus sum. Et idem mihi quoque a medicis qui pesti Erfurtensi interfuerant, relatum olim esse, memini. Ratio tam egregii effectus prophylactici videtur esse hæc, quod materia suscepti miasmatis, quæ firmiter adherere solet serosiori sanguinis parti, naturæ vigore ad partem cui fonticulus insidet, tanquam debiliorem, cum hac ceu vehiculo ablegetur, & per hoc emissarium excernatur, unde tum sæpe circa fonticulum insolitus dolor ac tumor observatur. Forfan etiam confidentia, quam gestantes de hoc, tanquam certissimo foveat præsidio, metum excutit & resuscitando animi vires juvat, eodem modo ac de amuletorum adversus pestem virtute censendum.

§. IV.

Indicationes & curatio.

In curatione porro omnia a medico perito hos in fines dirigenda: I. ut ope naturæ expulsionem suscepti veneni per congruas vias maxime tumores illos criticos promoveat horumque habeat rationem curare; II. ut vires, quæ cum vita pari passu ambulant, suscitent & urgentibus symptomatibus occurrat. Sed quum quo pacto & quibus hæc rite sint perficienda, ego ex propria tradere nequeam experientia, aliorum utar, & methodum, quam in curanda peste summo cum fructu adhibuit doctissimus pariter & exercitatus Medicus, Joannes Langius, heic inferam, cui postea iudicium meum & monita rationi & experientiæ congrua subjungam. Ita autem gravis hic auctor suam pestem curandi rationem lib. I. epist. 18. describit: Jam tu probe nosti, me multos, de quibus etiam conclamatum erat, in hac pestifera lue hac methodo curasse. Primum, si alvus, aliquot dies ante morbi initium, parum, vel nihil excreverat, tum glande imposita, aut levi exemate tam exone

ravi. Postea alexipharmacum sudoriferum exhibui, quod, pro ratione ætatis ac virium, sudorem duas, vel tres, aut plures horas, promoveret. Cordis epithema applicui. A sudore hora sexta, vel septima, refectis tamen aliquo juscule viribus, venam opportunam secui, ac mox ab alexipharmacico aliis singulis diebus, mane & vespere, potagia alterantia, quæ sua qualitate & substantia veneno resisterent, exhibui, & cor quoque confortarent, qualia sunt, quæ ex succo citri, limonium, aurantium, acetosæ & jugulæ, cum momento aceti & saccharo decocta conficiuntur. In morbi declinatione, si appetitus edendi languebat, ad reliquias morbi exstirpandas, medicamentum ex rhubarbaro, agarico, cassia, aut rore Syriaco, sive manna & tamarindis Indorum exhibui. Postremo chirurgis, ne ulceris aut carbunculi consolidationem precipitarent; coquis vero ut præscripto tempore commoda esculenta & potulenta ægro suppeditarent, edixi. Quæ curationis ratione ingens agrorum numerus, Deo optimo auspice, convaleuit. Bubonibus, pergit paucis interjectis, vero & carbunculis, si circa emunctoria, juxta aures paratis, sub axillis abscessus, in inguinum adenibus bubo, virtute expulsante eruperit, aut interim carbunculus in brachiis aut cruribus effloruerit, tum festinanter, veluti in vulneribus virulentis, medicamenta, quæ venenum extrahunt, ad locum applicata, vel cucurbitulas, aut emplastrum ex fermento, theriaca, farina, sinapi & cepa sub cineribus cocta conficito, additis opoponacis & galbani gummis, acerrimo aceto solutis, imposito & abscessum ante maturationem scarifica, aut aperi, vel cauterio adurito. Si vero patiens ignem veretur, cauterium potentiale ex cantharidibus & fermento confectum, aut contusam ex oleo flammulæ radicem applicato, quæ sua virtute calorisca & ardente non modo noxios humores attrahunt, sed & non raro factas ex his collectiones aperiant.

§. V.

§. V.

*Inisio-
ne & vi-
gente.*

Et utique hæc pestem curandi methodus rationi consentanea. Nam in omni morborum curatione sedulo tenendum hoc monitum, ut si alvus sub initium per aliquot dies, parum, vel nihil excreverit, leni enemate ducatur, quo ab excrementis liberentur intestina, ne inde tam symptomata exacerbentur, quam remedium virtus obtundatur. Dein probandum merito auctoris institutum, quo commodo alexipharmaco sudorem per aliquot horas movit, ut halituosum illud venenum cito exharet & per cutem distaretur. Neque etiam de nihilo putandum, quod cordi applicuerit epithema. Quamvis enim non proxime tangat & afficiat cor, sed potius dextrum orificium ventriculi ejusque tunicas nervosas & musculosas; multum tamen interest, ut ventriculus, seu pars maxime nervosa, & exquisiti sensus & quæ cum nervosis universi corporis partibus consensum alit intimum, ac ubi venenum primo omnium perniciosam suam vim exerit, probe defendatur, quod fit per topica, quæ antispasmodica simulque roborante balsamica virtute pollent; quem in finem ego commendare soleo, quæ ex theriaca, oleo nucistæ expresso, camphora, croco, castoreo ac balsamo Peruviano concinnantur. Porro post usum alexipharmacorum venam secare jussit, quod omnino proficuum. Initium enim curationis a sanguinis missione facere periculosum, eo quod primo vel secundo post eam die, motus sanguinis ad peripheriam, adeoque etiam perspiratio, semper quodammodo immittitur, ut venenum intus maneat. Ne dicam, metum & terrorem in peste correptis, protinus motum sanguinis a corporis ambitu revocare, ut hinc venæ sectio, quæ idem efficit, non possit non nocere. Sed admitti utique hæc potest si consuetudo, sanguinis abundantia & vitæ lautus atque vinosus urget, post usum medicamenti sudoriferi, eo quod

demta sanguinis copia, propulsio materiæ virulentæ ad glandulas facilitatur & promovetur, tanto certius, quando postea lenioribus sanguinis ad exteriora fluxus subinde adjuvatur. Recte etiam laudantur acida, uti succus citri, limonum, aceturum &c. quod tota substantia veneno resistent, quippe quæ putredinem humorum & dissolutionem sanguinis valide obtundant & ob id merito omnibus alexipharmacis & antiloimicis anteponuntur.

§. VI.

Fractio præterea morbi vigore, sub declinatione alvum expurgat lenioribus. Quod quidem sicuti in principio pestis aliorumque contagiosorum morborum, ob effectum motum humorum ad externa retardantem, admodum nocivum; ita vicissim quam maxime conducibile, in declinatione. Sic enim educuntur sordes sub morbo genitæ perniciosæ, quibus retentis appetitus prostermitur, lentæ, immo purpuraceæ febres de novo inducuntur, vires languent, calor fit lentus, novusque ac capitalis haud raro repullulascit morbus. At virus tum extrahendum in tumoribus pestilentialibus suadet cucurbitulas, scarificationem & vesicatorium, ac in eo pariter consentientes habet loimiatros. Inprimis elegans *Riverii* est observatio *Cent. 2. obser. 19.* qua seu expertæ virtutis præsidium laudatur, ut, statim ac quis peste correptus, cantharides cum fermento & aceto pone aures ac in aliis suctis emunctoris applicentur, ac in lecto postea quieti decumbere jubeantur ægri, eoque facto, post 24. horas effluere humorem atrum serosum & pestilentem morbum post aliquot dies plane discedere. Neque minus probe etiam monet *Langius*, ne præmature ac cito ulcera contoidentur. Evocata potius ad partes externas materia & suppuratione facta, tumor aperiendus, ulcus suctis digestivis mundandum, sed diu apertum servandum, admota turunda, qua virus om-

*Nec non
declinā-
se mor-
bo.*

ne per illud sufficienter expurgetur, & tandem ad cicatricem perducendum.

*Cautela & Observationes.
practica.*

§. I.

*Pauca
remedia
optima.* Perquam attentione dignum est *Sanctorii in Med. stat. aph.* 139. effatum: *nobilium fere nemo cum remediis, plebei vero sine iis plures, sanantur.* Nam experientia uberius docet, plebejos, modo non omnibus subsidii destituantur, sed temperato regimine, & ad satietatem levi potu utantur, citius & rectius tam in pestilentialibus, quam aliis contagiolis malignis febribus convalescere, quam opulentos, qui Medicorum, & medicamentorum copia obruuntur plane. In illis quippe valens & robusta est natura, cui si negotium committitur curationis, longe felicius utique succedit, quam si artificiosa medicatione, nonnunquam plane perversa, impeditur ac turbatur. In nobilibus autem, quum per se ob inordinatam vitæ victusque rationem jam tum debilior natura, longe magis utique medicamentorum multorum, variorum, quin sæpe minus congruorum usu, in opere suo turbatur, & morbus ad infelicem eventum promovetur.

§. II.

*Alexi-
pharma-
ca sola
nocent.* Inprimis nihil perniciosius est, quam radices sic dictas alexipharmacas, oleo volatili calido turgidas, carlinæ, angelicæ, petasitidis, zedoariæ, serpentariæ, Virginianæ, imperatoriæ, vincetoxici, pimpinellæ, ostrutii, & ex his præparatas essentias, elixiria, theriacam quoque & mithridatium, ceu genuinum antidorum, liberaliter offerre. Multo vero magis detestandi adhuc illi tantopere laudati spiritus volatiles, urinosi & oleosi, ut cornu cervi, viperarum, fuliginis, item salia volatilia, nec non ballamum sulphuris. Tantum enim abest, ut iisdem noxium expellatur, ut potius intus detineatur, &

partibus nervosis altius insigatur. Perpetua quippe hæc lex est, secretionibus, quæ antecedunt excretionem recrementorum in corpore, melius sub liberiori & moderatori ad emunctoria appulsa succedere, quam ubi humores impetuose ac celeriter commoventur. Augent potius calidiora pharmacæ anxietates præcordiorum, calorem intendunt, dissolutionem humorum promovent, & miasma quoque malignum facile & cum impetu ex ventriculo in sanguinem ac nervosas partes agunt, ut sic multiplici ratione sint detrimentosa. Et hæc omnino ita esse, loquuntur passim medicorum, qui pestilentia interfuerunt, scripta, e quibus nominasse sufficit *Hildanum, Chald. de Heredia*, nec non *Thonerum*, qui pluribus observationibus confirmat, alexipharmacis calidioribus usos, peste absultos esse omnes.

§. III.

Neque tamen penitus radicum & herbarum sic dictarum alexipharmacarum usus in peste dammandus. Tum enim non nocent, quando miscentur cum iis, quæ vim earum commoventem nimis & calefacientem, cicurant, & quasi ad temperamentum reducunt, uti sunt maxime acida, cum nitro. Sic relatum mihi est, in peste illa, quæ anno 1682. nostram hanc urbem infestavit, eximie profuisse mixturam ex aquæ cardui benedicti & aceti vini quatuor cochlearibus, lapidum cancrorum & theriacæ drachma, concinnatam & iterato datam. In peste quoque, quæ anno 1575. totam fere Lombardiam pervagata, multipassim & præcipue Mediolani convalescere dicuntur, succo ex ruta capraria, cum aceto, aqua cardui benedicti & modico theriacæ hausto, corpore postea ad sudorem contesto. Ipse *Thonerus. obser. pag. 21.* testis est, nil profuisse in peste, præter acetum theriacale, inter initia ad eliciendos sudores exhibitum, eodemque hoc remedio anno MDCXLIII. grassante inter milites febre maligna, intergram.

gram gregariorum cohortem fuisse servatam, convalescentibus omnibus, quibus tempestive hoc acetum oblatum, exceptis paucis, qui serius a chirurgo acceperant. In peste quoque Romana tam egregia præstitisse acetum cum ruta, radice pimpinellæ, betonica, allio, & baccis juniperi, addito camphoræ momento infusum, ut quotquot illo usi fuerunt, quamvis inter infectos degerint, pestem evaserint, fidem facit *Kircherus de peste pag. 375.* Quin propter acetum, seu præcipuum ingrediens, aqua prophylactica *Sylvii*, in malignis morbis & ipsa peste, magni semper æstimata. Et *Gesnerus* ob id *lib. 3. epist. 27.* auctor est, ut omnia alexipharmaca ex vino, cui acetum admixtum, præbeantur. Conveniunt autem hæc alexipharmaca acidis nupta primo maxime die, ubi resolutione ac sudore opus est. Nisi enim, ex vero asserit *Mindererus*, intra viginti quatuor horas ab invasione alexiteria exhibeantur, omnia medica præsidia fore irrita.

§. IV.

Inter ea vero, quæ præsentissimæ in pestilentiali morbo efficaciam, communi omnium, qui de peste scripserunt, suffragio, sunt maxime acida & terrea. *Fracaſtorius lib. 3. pag. 246. de morb. contag.* tam ad præſervationem, quam curationem commendat hoc: recipe succi acetosellæ uncias duas, citri unciam, diascordii *Fracaſtorii* drachmam, specierum cordialium scrupulos duos, aceti unciam. *Mindererus de pest. cap. 15.* disertis scribit verbis: nulla est putredo, nulla infectio, nulla humorum depravatio, quæ per acida non superetur. Sane, ut liberrime loquar, si mihi vitriolicorum remedium usum, vel interdiceretur, ego ad curationem pestis nunquam, vel certe inermis, accederem. Item testatur *Fonseca de ver. rat. curand. pest.* *Johannes Crato*, inquit *Augenius de Monte Sancto*, *Martinus Rulandus*, & alii in febribus pestilentialibus spiritum vitrioli summopere prodesse testan-

tur. Et ego id testari ingenue possum, me non modo cum syrupis, sed & cum conserva rosarum mixtum, felici cum successu cum exhibuisse. Ex terreis vero & bezoardicis fixioribus singulari virtute pollent antimonium diaphoreticum, bezoardicum minerale, lapides cancrorum, cornu cervi ustum & philosophice præparatum, succinum, terra sigillata, bolus Armena & cinnabaris. Ex quibus varia concinnari, eademque vel sola, vel acidis nupta, in usum vocari possunt. De quibus tamen omnibus pluribus legendi *Antonius Schneeberg in catal. med. simpl. adv. pest. opera Henrici a Bra edit. Unzerus lib. 2. antid. pestil. nec non Mindererus de pest. cap. 15.*

§. V.

Deinde inter remedia in pestilentia conducibilia præcipuum fere locum tumentur analeptica. Vires enim in atroci hoc morbo, tam propter gravem animi metum & consternationem, quam ob ingentem malignitatem, summopere sunt prostratæ. Hinc medico quam maxime enitendum, ut removeat ex rebus moralibus & non naturalibus omnia, quæ easdem offendere possunt, & in medicatione fugiat anodyna & valde vaporosa, graveolentia. Ad reficiendas autem vires præstabilis aqua confortans, nostra methodo sic paranda: recipe melissæ Turcicæ manipulos quatuor, rosarum cum sale contusarum, fiorum liliorum convallium ana manipulum, corticum citri recentium unciam unam semi, cinnamomi acuti unciam, macis unciam dimidiam, affunde vini Rhenani mensuram, aquæ communis mensuras tres, & leni igne abstrahere duas cum dimidia mensuras. Potest hæc aqua vel cum tantundem aquæ cardui benedicti remixta, vehiculum præbere sumendis reliquis medicamentis omnibus, vel sola dari, cum syrupo acetositatis citri & spiritu salis acidulata.

§. VI.

Neque minus apprimè in pestilentia pro-

Nec non analeptica.

Item analeptica.

Optima in peste acida & bezoardi ca fixa.

proficua sunt emetica. Nam prima & præcipua in medicatione indicatio est, ut venenum susceptum ocyus citius e corpore pellatur. Jam vero miasma contagiosum primo omnium salivali sese immiscet latici, cum hoc ad ventriculum descendit & inde ad sanguinem transfertur. Hinc optimum utique consilium, ut venenum brevissima, qua subiit via, iterum exturbetur, simul atque cruditates primæ regionis, quæ deleteriam ejus virtutem mirifice intendunt, per stomachi os everrantur. Sed opus est, ut cito id fiat, simul ac quis se infectum & languorem cum cardialgia sentit. Sic subjuncto congruo sudorifero, prima quasi in herba jugulari posse morbum multiplici constat experientia, eodem modo ac cap. 10. & 11. in aliis malignis morbis id succedere pluribus docuimus. Curiosa non minus quam notabilis hanc in rem est observatio *Riverii*, de quodam, qui simul ac ex symptomatibus, dolore capitis & nausea, se peste laborare conjecit, illico pennam oleo illitam in fauces immisit, qua educta per vomitum materia, primum serosa, dein flava, tandem porracea, in lectum se contulit, jusculem sumisit, sudavit & illico convaleuit.

§. VII.

Sub certa conditione admittenda venæ sectio. De venæ sectionis utilitate non æque inter omnes convenit, sed sunt qui laudant, sunt qui damnant. Optime præcipit *Celsus lib. 3. cap. 4. desiderat*, inquit, propriam animadversionem in febribus pestilentialibus casus. In hac minime utile est, fame aut medicamenti uti, aut alvum ducere. Si vero vires sinunt, sanguinem mittere optimum, præcipue si cum dolore febris est. Neque minus fidem facit *Riverius in opp. tit. pest.* se in pestilentiali parotide, quæ plures necavit, venæ sectione, moderata tamen, ad uncias aliquot, & repetita, plures servasse. Nos quid de ea censeamus, supra jam in epicrisi ad *Langii* methodum exposuimus. Omnis autem huc redeunt: nunquam in principio post

invasionem statim, ubi terrore & metu ager jactatur, habet locum, sed secundo vel tertio die, si urget plethora & vires sinunt, admittenda moderata.

§. VIII.

Sic etiam de nitri usu ambigunt medicantes. Qui rejiciunt, putant illud nimium refrigerare & expulsionem veneni ob id resistere, pestis etiam venenum jam tum esse stupefactivum, putredinosum ac diarrhœas inde metuendas fere lethales. Qui probant illud non secus ac in aliis exanthematicis inflammatoriis & malignis febribus, diaphoreticis nuptum, egregie prodesse contendunt. Sed lis facile dirimenda. Spectanda sunt individua eorumque natura & temperamenta & expendinga morbi symptomata. Si corpus est plethoricum, temperamentum cholericum, vel sanguineo-cholericum, æstus acris, febris intensa cum siti & dolore capitis; nitrosa, refracta dosi cum bezoardicis pulveribus data, commodum locum habent omnino. At ubi torpor & somnolentia, pulsus debilis, extrema frigida & timor præcessit ingens, abstinendum a nitrosis esse docet ratio. Semper tamen tutius est, si nitrum sociatur camphoræ, quo conubio camphoræ vaporosa & nitri refrigerans indoles optime cicuratur & medicina emergit, non modo alexipharmaca, sed & inflammationi efficaciter resistens. Memini ego, me olim quum Londini versarer, a peritissimo chirurgo sene, qui pesti Vienneensi interfuerat, audivisse, se summo cum fructu usum esse electuario, quod vocabat nigrum, composito ex rob sambuci & mellis ana libra dimidia, pulveris pyrii uncia & camphoræ drachma, ad unam vel duas drachmas dato. Et *Giselerus* quoque se in peste Brunsvicensi summo cum fructu adhibuisse pulverem pyrium affirmat.

§. IX.

Perite præterea tractandi critici illi tumores pestilentem morbum solventes. Bubones quidem, si cito pro-

Ac mī-
trofa.

Bubonē
& an-
thraxem
tracta-
re.

rum.

rumpunt & cito maturant, boni; ſi autem ſtatim redeunt, metuenda aut mors ipſa, aut minimum gravia ſymptomata, ex inguinalibus paralyſis & gangræna ipſius lateris, ex mento relapſis deglutitio ſolidorum & liquidorum intercepra, cum angina ut plurimum lethali. Periculoliores etiam qui pone aures, peſſimi, quibus carbunculus inſidet, & lethales circulo livido ſepti. Carbunculi deteriores ſemper quidem bubonibus, ſed quo majores, quo nigriores, & quo propiores cordi, eo magis periculoſi. In utriſque ex internis optima ſudorifera, & quæ ſuccos ad ambitum corporis agunt. Exterius in bubonibus, ſi tardius prodeunt, attrahentia imponere jubent, cucurbitulas, quin veſicatoria. Si protuberant, ſuppuratio promovenda cataplaſmate ex ficibus, radice liliorum alborum, cepis ſub cineribus toſtis, cum farina lini, melle & croco; vel imponenda ſuppurantia ſimul atque diſcutientia, emplaſtrum diachylon tam ſimplex, quam cum gummatibus, de mucilaginibus, nec non de meliloto. Ubi ſuppurarunt, aperiendi & baſſamo *Arcaei* nonnunquam unguento Baſiliconis remixto mundandi & conſolidandi, ita tamen, ut non nimis cito coeant, ſed aliquamdiu materiæ fanioſæ concedatur effluxus. Anthracibus, quia humor jam corruptioni obnoxius, non admovenda ſuppurantia, ſed curandum, ut cruſta decidat: quem in ſinem Loimiatræ conſinia diſſectivo inungere & acre emplaſtrum ſuperponere jubent. Cruſta delapſa unguento *Ægyptiaco*, vel fuſco *Wurzii* cum melle roſato tractandi. Quod ſi autem corruptio ſphaceloſa aſeſt, & latius ſerpere videtur, prohibendum hoc ſcarificatione ſufficienti & applicatione liquoris, qui potenter inflammationi ac putredini reſiſtit, expertæ ſæpius a me virtutis, parandi, ex uncis quatuor ſpiritus vini rectificati, drachmis duabus camphoræ, drachma croci & tantundem nitri artificialis, quod ex ſpiritu ſalis ammoniaci urino-

Tom. IV.

ſo & ſpiritu nitri conſit, ac a vini ſpiritu perfecte ſolvitur.

§. X.

Demum quoad regimen in genere *Regimen*, adhuc tenendum, quod, ſicuti in omnibus acutis exanthematicis morbis, nimius lecti & conclavis calor omni ſtudio, ceu ſummopere noxius, vitandus, ita multo magis ipſa in peſtilentia. Viciffim vero arcendum etiam frigus, ne tumorum eruptio & diſſatio ſubtilioris venenofæ materiæ per cutis poros ullo modo intercipiatur. Temperata potius ſint omnia, uti jam in antecedentibus paſſim monuimus, iterumque monemus.

CAPUT XIII.

De Febre Eryſipelacea.

Theſes Pathologicæ.

§. I.

AD exanthematicas febres merito *Descrip- tio mor- bi.* etiam reſertur eryſipelacea, in qua ſub intenſiori ſanguinis & humorum motu, ſerum acre, ſulphuræ, cauſticæ naturæ, ad partes extremas, cum tumore, rubore, ardore & dolore propellitur.

§. II.

Certe non tam levis, innocens & *Multum convenit cū peſſe.* ſimplex eſt eryſipelacea febris, ac vulgo putatur, ſed gravis ſæpe, periculofa, & non raro lethalis; quia multum affinitatis alit cum morbo omnium atrociffimo, ipſa febre peſtilentiali. Nam ſicuti hæc ſubito cum intenſo horrore, æſtu, virium proſtratione, vehementi dorſi capitisque dolore, vomitu quoque & delirio accedit; ita & ſæpiſſime eryſipelas ſtatim in principio iſdem ſymptomatibus ſtipatum adoritur. Sicut deinceps in peſtilenti morbo inter tertium & quartum diem materia maligna ad corporis ambitum propellitur, remittente poſtea paululum ſymptomatum atrocità; ita ſimilem ſucceſſum ſervat eryſipelacea febris. Quemadmodum porro peſtilentialis

L ve.

venenata materia maxime glandulas, & quidem inguinales, invadit, ibique dolorem primum ac tensionem efficit; sic etiam gravi erysipelate affecti, primo tumorem, ruborem ac dolorem sentiunt in inguium adenibus, unde postea materia ferventissima & adurentis quasi naturæ ad pedes descendit. Uti quoque materia pestilentialis sedem sæpius figit in glandulis mammariis, axillaribus & parotidibus; ita eadem observatur in erysipelate, quod ubi capiti imminet, patiuntur primum parotides, si mammis, axillares. Pestifera præterea materia in glandulis abscessus format, ac partibus extremis facile gangrenam & sphacelum inducit; sacrum autem ignem axillares præsertim & mammarias glandulas sic sæpe adurere, ut pus contrahant, & artus sceda corruptione afficere, omnes qui medicinam faciunt, uberius norunt. Demum sicuti in peste nil periculosius, quam si materia expulsa ab externis ad interiora relabatur; sic eadem noxa idemque periculum a retrocessione erysipelatis metuendum.

§. III.

Differt a peste inflammatione & phlegmonæ. In eo tamen erysipelacea a pestilentiali febre differt, quod non ex contagio, sive causa externa, sed interna oriatur, nec contagiosa sit, & alios sola exhalatione inficiat, nec tam virulenta sit, & cum mortis periculo juncta. Inflammatio autem erysipelacea ab aliis his distinguitur, quod tumor in illa depressior, dolor non tam sensitivus, color quoque roseus & floridus, qui in his magis fuscus. Neque minus a phlegmone discernendum erysipelas: in hoc enim inflammatio magis superficialis, in latum diffusa & pressa colorem exuit, materia quoque pauca & tenuis, in illo autem profundior inflammatio, subjectam non modo cutem, sed & pinguedinem & musculos tangens, tactu ob duritiem colorem non deponens, ac fit a stagnante impuro sanguine, propterea facilis in gangrenam est transitus.

§. IV.

Est verum vel nothum. Ipsum autem erysipelas a practicis vulgo distinguitur in verum, quod & simplex, ac in nothum, quod & scorbuticum vocant. Simplex facilis obscurat commodis remediis internis & externis, ac tantum in superficie cutis hæret; nothum autem magis est chronicum, ob succorum impuritatem altius radices agit, difficile curatu & facile abit in ulcera mali moris. Subdividunt igitur hoc iterum in illud, quod cum, & quod sine exulceratione est; in exulcerato plus utique periculi metuendum, & ægris, & medicis, & per longum sæpe tempus detinet ægre consolidandum. Porro erysipelacea febris quandoque idiopathica, sive morbus primarius, quandoque symptomatice & morbus secundarius. In anasacra quippe, ascite, item diuturno ictero, *Idiopathice vel symptomatice.* flavo & nigro, accedit haud raro symptomatice erysipelas, & cito ægrum jugulat. Sæpe etiam complicitur vulneribus partium nervosarum, præsertim cranii ejusdem membranarum, item fracturis ossium, ac tum quoque in ancipiti versatur æger.

§. V.

Differt ratione corporis. Deinceps non in omnibus unius semper ejusdemque indolis est erysipelas, ac vehementiæ. Etenim in quibusdam, juvenibus maxime, materia nec adeo virulenta, nec adeo multa, levius facit atque benignius, quod neque glandulas occupat, neque febrem intensam movet, sed secundo mox die prodit, cum rubore, tumore ac dolore in pedibus, & sub perspiratione debita, vel leni remedio domestico, promte discutitur. Contra ea in cacochymicis, senibus & impuris corporibus, ubi materia, & copiosior, & deterior, systema nervorum & vasorum gravius exagitur, febris est acrior, dolores & inquietudines acerbiores, ac nisi exquisita medicatione excipiantur, diu affligit & ægrius cedit. *Ex partium.* Differt quoque erysipelas ratione partium, quibus incumbit, & variis distinctis stipatur symptomatibus. In pedibus nitorem in-

inducit tibiis, quin, si gravius, cum dolore ad crura usque propagatur, & levi tactu exacerbat. Faciem si occupat, intumescit hæc successive, rufescit, interspersis copiosis aqueis vesiculis, oculi tumore clauduntur, spiritus difficulter trahitur, nares & fauces aridæ valde sunt & siccæ, & torpor plerumque ac sopor conjunctus est, quin ob propinquitatem cerebri metuendum, ne in phrenitidem, vel lethargum degeneret lethalem. Mamas ubi erysipelas tægit, intumescunt, sæpe lapidis instar indurecunt, cum exquisito dolore, & facile sequitur suppuratio. Sub axillis ibique positæ glandulis, acerbissimo stipatur dolore, & plerumque in abscessum desinit. Umbilicalem regionem in infantibus frequentius infestat, ac inde per abdomen spargitur, cum gravibus paræthematibus, funesto ut plurimum eventu.

§. VI.

Zoster. Ex peculiaribus erysipelatis generibus est illud nostro tempore paucis cognitum, & a veteribus quoque parum notatum, quod *Plinius* vocat *Zoster*, nostri zonam. Gravioribus hoc prodit symptomatibus, & supra umbilicum medium corpus ambit instar cinguli, ex præcordiali regione per dorsum tractum, latitudine ut plurimum aliquot digitorum transversorum, cum intensissimo ardore, insidentibus pustulis acerbis, instar ignis urentibus. Sed perniciosum est, ac interdum necat. Omnium vero, ut ita dicam, malignissimum est, quod post magnum virium languorem in corporibus senilibus, eminentius cacochymicis, nonnunquam etiam in febribus malignis & pestilentialibus, sub papilla & in cordis regione, vel etiam manibus aliisque exquisitoris sensus partibus, prodit, lividum mox fit, demum atrum, morte cito subsequente, quod *Platerus* inprimis *opp. tom. 2. pag. 23.* sub nomine macule latæ describit.

§. VII.

Ad causas hujus febris quod attinet,

materialis neutiquam simplicis, biliosa, vel salsa, sed potius caustica, acris & putrescentis indolis esse videtur. Vehemens enim ipsius in partes nervosas operatio, totius corporis æconomiam functionum illico graviter turbans, & vigiliam, delirium, inquietudinem, anxietatem, corporis jectigationem, vomitum & sensuum turbationem, inducens. Longe gravior adhuc, quando expulsa materia retrocedit, quippe quæ tum haud secus ac venenum, cito deliria, inflammationem internam, asthma convulsivum & spasticas stricuras ciet sæpe lethales. Ne dicam gangrænam & sphacelum, quæ erysipelas inprimis male tractatum facile excipiunt, virulentiam materia loculenter satis prodere ac indicare. Unde vero hæc materia trahat ortum, non adeo quidem in expediri; ego tamen crediderim, ex bile variis ex causis vitiata & corrupta reddita, in duodeni flexura stagnante diutius, ibi cum succo pancreatico confermetata quasi & caustica acris facta, eandem conslari, inde successive ad sanguinem & cerebri spinalisque medullæ membranas ferri, universum nervosarum & vascularum partium systema male afficere, febrem efficere, donec demum ad externum corporis ambitum pellatur.

§. VIII.

Ad concipiendam hanc erysipelatis materiam, dispositi præ reliquis temperamentis sanguinei & sanguineo-cholericis, plethorici, juvenes, viri, nec non scemine gravidæ, in quibus tamen benignioris esse solet natura. Sed in scorbuticis, senibus & cacochymicis, item sceminis, suppressione, vel emâtionem, aut retentione mensium laborantibus, deteriore obtinet genium. Crebrius etiam & facili ex causa eidem obnoxii, qui a parentibus eodem affectu prognati, & qui semel passi, sæpius postea ipsius experiuntur insultum, præsertim si senes & scorbutici. Ego quidem anniverfaria æquinoctialia, quin singulis mensibus redeuntia erysipelata notavi. Sed de his, in senibus maxi-

Causa materialis.

Subjct.

Et macula lata.

me & cacochymicis, verum etiam deprehendi *Hippocratis in aphor.* effatum: quod qui sæpe erysipelate corripiuntur, tandem eo moriantur.

§. IX.

*Causa
procatav-
tica.*

Quæ autem hanc intus delitescentem erysipelatis materialem causam evolvere & in actum deducere possunt, ex rebus non naturalibus sunt multa. Inter hæc primum ac præcipuum locum sibi vindicant animi affectus vehementes, ira præsertim ac terror, & consignavit inter alia *Fallopius* exemplum scemine, quæ quotiescumque irata, erysipelas nasi incurrit, potu atque hordei facile discutiendum. Excludit dein erysipelas aer nimis calidus & intensior solis ardor, nec non vicissim subita & vehemens corporis, vel pedum refrigeratio. Idem facit cibus calidus, potus exæstivans, crebra ebrietas, nec non balneum fervidius. Inprimis vero ad exclusionem hujus mali faciunt evacuationes sanguinis tam artificiales, per scarificationes & venæ sectiones, omiffæ, quam spontaneæ per nares, uterum & sedis venas, interceptæ. Speciatim capitis erysipelas frequentius accidit his, qui diu noctuque in aere humido & pluvioso degunt, item senibus. In mammis solenne est puerperis, præsertim lactantibus, post gravem terrorem, tumque illico sistitur lactis effluxus, mamme duræ fiunt, & a lacte coagulato tumescunt.

§. X.

*Eventus
bonus.*

Interim erysipelas, si cito & sine adeo vehementi commotione erumpit, nec corpus sordidus, nec locus nobilior, aut cum nervosis partibus communicans, non tantopere periculofum, sed sub auctiori perspiratione, adhibitis congruis remediis, post unum aut alterum diem, tumor sensim subsidet, ardor ac dolor evanescit, color roseus mutatur in flavum, cuticula finditur, in squammas fatiscens secedit & morbus ex voto solvitur. Quin salubritatis plane notam quandoque fert; ac novi alios morbos, præsertim asthma convulsivum, nec non colicam convulsi-

vam, erysipelate superveniente, fuisse feliciter sublata.

§. XI.

Malus;

Sed ubi erysipelas magnum, profundum, succi corporis eminentius impuri, pars exquisitoris sensus, periculo, uti supra passim dictum, non vacat. Aut enim rubor livorem & nigredinem induit, ac brevi in sphacelum transit funestum, aut inflammatio discuti renuit, suppuratur, ac ulcera mali moris, fistulas & gangrænam inducit. Minimum in sanguineo-phlegmaticis & cacochymicis post erysipelas remanet ingens tumor pedis, ut tibia magnitudine tripla naturalem statum excedat, isque tumor difficulter admodum abigitur. Qui autem hoc morbo moriuntur, febre pereunt, quæ ut plurimum juncta est cum difficillima respiratione, interdum cum delirio, aliquando cum sopore, & intra septimum plerumque diem catastrophe accidit lethalis.

§. XII.

*Ex per-
versa
medica-
tione.*

Male etiam cedit, quod perversa medicatione excipitur. Nam prisceum & verum *Hippocratis aph. 25. Sect. VI.* est dictum: quod si retropellatur, sit perniciosum, quin funestum; id quod sæpius incidit. Novi ego post vomitorium & validum purgans recessisse erysipelas, insequutam ventriculi inflammationem & mortem. A venæ sectione etiam ad interiora revocatum esse, & vagum postea cum longe majori incommodo factum fuisse, vidi. Observavi quoque; repulso ab ipsa camphora cum minio & bolo cruris erysipelate, excepisse febrem intensam, stomachi dolorem intolerandum, respirationem mire laboriosam, vomitum biliosum, viriû languorē, appetitusque prostrationem, nec prius conquivisse hæc pathemata, quā datis antispasmodicis leniterque; diaphoreticis, & revocato ad pristinam sedē per vesicatorium erysipelate. De capitis erysipelate repellentibus, frigidis, adstringentibus, vel etiam nimis spirituosiss, necnon camphoratis linimentis tractato, compertum habeo,

habeo, quod induxerit vertiginem, affectus ſoporofos, anginam, phrenitidem, linguæ paralyſin, quæ mala ſenioribus & ſcorbuticis haud raro fuerunt funeſta. Neque minus frigida, ſaturnina, oleoſa, linimenta ſpirituofa, largiter camphorata, exterius admota, malum eryſipelatis eventum procurant, ac ut in ulcera mali moris, grangrenam & ſphacelum degeneret, faciunt, uti pluribus *Hildanus Cent. I. obſer. 82. Moynichen obſer. 2. pag. 245. item Timæus a Guldenkleee lib. 6. caſ. 33.* teſtantur.

Curatio.

§. I.

Indicationes
eyes.

Reſta eryſipelati medendi metho-
dus tribus his abſolvitur indicationibus: I. ut motus iſte febrilis naturæ nullo modo impediatur, ſed potius ſi deficit, promoveatur, ſi excedit, ad temperamentum reducatur; II. ut materia ſubtilis cauſtica, nervoſis partibus inſidens temperetur, atque ad ſe & excretionem præparetur; III. ut ſtaſis lymphæ putridæ & cauſticæ inflammatoria in partibus externis diſcutiatur, & ad perfectam expulſionem traducatur.

§. II.

Præſidia
prime.

Inter ea præſidia, quæ motum febrilem nature quodammodo languentem excitant & promovent, ex clariſſimis remediis laudem omnino meretur mixtura ſimplex, quando cum ſpiritu nitri dulci, aut melius adhuc liquore noſtro anodyno minerali, miſcetur; vel ſi eſſentia ſcordii, aut pimpinellæ albæ, non adeo ſpirituofa & concentrata, cum tantundem liquoris anodyni noſtri confunditur & ad viginti, vel triginta guttas porrigitur. Juvat quoque expulſionem inſuſum theiforme ex herba ſcordii, floribus ſambuci & ſemine ſcœniculi compoſitum, nec non ex temperatioribus pulvis bezoardicus noſter, aut Ludovicianus. Motus ſpaſmosque excedentes moderatur emulſio, ex aqua flo-

Tom. IV.

rum ſambuci, tilix, acaciæ cum ſeminibus quatuor frigidis majoribus, nec non ſemine napi, præſertim ſi loco vehiculi uſurpetur, cum quo pulvis noſter bezoardicus, vel ſolus, vel cum aliquot nitri & cinnabaris granis, aſſumatur. Idem facit, ſimul atque expulſionem ſuſtinet mixtura ex una ſpiritus bezoardici Buſſii & tribus liquoris noſtri anodyni partibus. Ubi vero motus legitimi, nec nimii, nec deficientes præſto, utiliſſimum omnino domeſticum illud remedium, ex rob ſambuci uncia, cornu cervi uſti drachma, ex aqua florum ſambuci ſumtum, cui ego in calidioribus cum fructu adjicere ſoleo decem, vel duodecim nitri puri grana.

§. III.

Ad demulcendam humorum acrimoniam, materiamque recte præparandam, præter jam dicta, ſpectatæ ſunt virtutis decocta loco potus ordinarii ſumpta, ex raſura cornu cervi, radice ſcorzonæræ, althææ, liquiritiæ & chinæ cum ſemine ſcœniculi, item decoctum avenaceum. Diſcuſſio ſtaſeos inflammatoriæ per externa perficienda. Sed nil fere ex his ſine periculo adhiberi poteſt, ac debet, quam pulvis ex floribus ſambuci & radice liquiritiæ, rejeſtis omnibus unctuoſis, ſpirituofis, terreis, adſtringentibus, ſaturninis, ſub temperato calore lecti & hypocauſti, ſubinde inſperſus.

Cautela & Observationes
Præctica.

§. I.

Perpetua in practico eſt regula: in acutis & exanthematicis febribus, corpus ſemper in blanda & continua diaphoreſi eſſe ſervandum, quo ſanguinis equalis ad ſuperficiem corporis fiat & maneat motus, ac cum hoc excrementitia materia jugiter adveſta diſſletur. Hinc merito etiam idem in eryſipelate tenendum, cum quoad totum corpus, tum maxime quoad partem affectam, quo & dolores mitigantur.

L 3 tur,

tur, & discussio egregie promovetur.

§. II.

In topicis idiosyncrasia spectanda. In externorum usu cautione opus est maxima, ne noceant, & vel repellant, vel in ulcus convertant erysipelas. Quin quum cujusque fere corporis peculiaris sit idiosyncrasia, sive specifica quædam & individualis sensibilitas, quæ quam maxime in cute, seu parte nervosa, viget: hanc etiam ob causam in vitiis cutis eo majori cum circumspeditione topica admovenda, quia non omnia fert omnis. Observavi enim sæpius in mammarum erysipelate, admoto innoxio, & in aliis vel centies probato emplastro, brevi tempore auctam potius fuisse cum dolore inflammationem, quæ remoto emplastro illico remisit. Hinc tutissimum nihil applicare, nisi forsan species pægoricas, ex floribus chamomillæ, sambuci, meliloti, radice liquiritiæ, farina fabarum, in forma sacculi, vel pulveris.

§. III.

In suppuratione agenda. Quod si adhibitis licet efficacibus internis & externis discutientibus, erysipelaceus tumor tamen manet, rubor livescere incipit, dolor profundius hæret, & ad periostium pertingere videtur, ad ulcerationem tendit erysipelas. Tum igitur transeundum ad ea, quæ suppurationem promovent, ita tamen ut simul corruptioni putredinis occurratur. Hunc in finem utilissimum emplastrum diachylon simplex, rite confectum, adjecta sufficienti quantitate camphoræ & croci, vel etiam emplastrum Barbette saturninum saponatum, superpositis epithematibus balsamicis, quæ corruptionem arcent. Quando his pus contractum & profundius hæret, aperiendus tumor lancetta, & pus successive, non simul & semel, evocandum. Ne autem in glandulosis maxime locis abscessus in fistulosa & mali moris ulcera transeat, post materiæ secessionem, injiciendus liquor balsamicus, ex tinctura florum hyperici, essentia balsami Peruviani, myrrha electa, & aliquot guttulis spiritus terebinthinæ.

§. IV.

Quando erysipelas nimis profundum & magnum, sphacelum, ex colore in bruno-rubicundum vergente & symptomatum post expulsionem perduratione cognoscendum, minatur, præter interna inflammationi & putredini resistentia, nitrum maxime cum momento camphoræ, externe spirituosæ & roborantia, conficienda ex aqua calcis vivæ, spiritu vini camphorato, aceto vini cum lythargyrio, admixta quoque essentia scordii & myrrhæ, crebrius calide cum linteis duplicatis applicanda.

§. V.

Sanguinis missio in erysipelate quandoque noxia, quandoque utilis. Ne igitur delinquat artifex, tenendum: si invadit erysipelacea febris plethoricos, potibus spirituosos assuetos, primis statim diebus vena in brachio pertundenda. Sic enim liberior fit sanguinis progressus, & expulsio materiæ ad cutem promovetur. Tanto vero magis utile id est, si caput petit erysipelas, tumque gravia hoc auxilio præscinduntur symptomata. Consultum quoque est interdum loco venæ sectionis, cucurbitulis cum scarificatione in cervice uti. Semper tamen post sanguinis subtractionem curandum, ut expeditus & æqualis maneat perspirationis successus.

§. VI.

In erysipelate scorbutico, quod diu detinet, in usum vocanda sanguinem depurantia, & leniter laxantia, cum diaphoreticis, ita quidem, ut per aliquot dies alvina regio expurgetur, dein per aliquod tempus subjunganter diuretica ac diaphoretica, idque alternatim aliquoties repetatur, simulque pro potu ordinario decoctum temperans ex lignis & radicibus mucilaginosi, cum amaris, præsertim cum radice cichorei, taraxaci & pasulis, bibatur.

§. VII.

Quod sæpe recurrit erysipelas, non sine periculo est. Hinc eo annitendum

Sphacelus imminens arcentus.

Sanguinis missio conditio.

Scorbuticus in remissis sanandus.

Recidivans quibus annitendum.

dem medico, ut corpus ab hoc malo vindicaret. Ad quod obtinendum ego quidē nihil efficacius deprehendi, quā debirum, sub cōgruo regimine & victu, præparato prius, sive per laxantia, sive sanguinis missionem, corpore, institutum aquarum mineralium usum; eoq; nomine præ reliquis laudem merentur acidulæ Egranæ, thermæ Emsenses, nec non Carolinæ mitiores. His autem deficientibus, venæ sectio, vere & autumnō præsertim, purgationes per epicrasin & ea, quæ sanguini repurgando serviunt, cum exacto in vita victuque moderamine, operam locant commodissimam.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Erysipelas exulceratum. Vir triginta annorum, pallidus facie & vitæ sedentariæ addictus, gravi terrore ex oborto improvise incendio fuerat percussus, ac per integrum postea diem sub celo humido & pluvioso degerat. Die post ingens horror per horæ spatium totum concussit corpus, sequutus calor intensus, cum dolore tensivo ac pungente in inguine, lassitudine, impotentia dextrum pedem movendi, conatu vomendi, & somno inquieto. Tertio post invasionem die rubicundus & ardens tumor dextrum pedem occupavit. Adhibita hinc varia paregorica externa parabilia & domestica, interne vero nihil præter copiosum & frigidum sub calore potum, datum. Cessavit tandem tumor & dolor pedis, sed collectus alius ingens in malleolo tumor, cum ardore, tensione, rubore, & pulsatione. Applicata iterum externe varia emplastra & linimenta spiritiosa, at incassum. Hinc in suppurationem tendit. Ad quam promovendam, ad motum cataplasma emolliens. Successit etiam suppuratio, sed stipata febre & atroci circa partem affectam dolore. Apertus demum abscessus, & rite balsamicis mundatus fuit & tractatus, ut omnia bene cedere

viderentur. At quum ex improvise ira corriperetur, die post denuo ipsum incessit horror, intensus per totum corpus ardor, ac obortus in genu sinistro infra flexuram tumor, nulla arte discutiendus. Adfuit simul febris, vigilia perpetua & inappetentia, æger ob tumoris molem ac dolorem nec pedem extendere, nec eo in latere decumbere poterat. Tandem successit suppuratio, sed generatus in femore abscessus, qui ingentem puris copiam ex cavo, quod sibi in musculis supra positus fecerat, fudit, ægro interim penitus contabescente. Nihilominus tamen injectionibus, variis emplastris, externe & interne congruis sanguinem depurantibus adhibitis, æger sanitati restitutus.

Epicrisis.

Cachecticis corporibus frequens malum est erysipelas, neque in his tam facile discutitur, ac in sanguineis & cholericis. Ob profundiorē enim & firmiorem tubulorum obstructionem serique viscositatem, vel in abscessum, vel si incautius constringentibus, frigidis, & quæ tonum partium destruunt, tractatur, in sphacelum degenerat. Terror autem vehemens ad interiora, cor nempe & pulmones, pellit sanguinem, eodemque inde postea iterum repulso, febris suscitatur, viscerum humores cum impetu minimis tubulis impacti hærent, & inflammationem faciunt, idque facile accidit in pedibus, per quos sanguinis circulus jam tum difficillimus. In hoc quidem erysipelas gravioribus stipatum fuit symptomatibus, ob partes, quas occupavit, valde nervosas ac tendinosas, quarum irritatio & molesta affectio, ut semper cum exquisitori doloris sensu juncta, ita febrem, anxietatem, inquietudinem, aliaque peperit utique. In his igitur partibus summa semper in usu topicorum cautio opus est, nec nimis calida, nec acriora, nec spiritiosa, aut emplastra admovenda; sed potius demulcentia cum diaphoreticis ac nervinis, quo impediatur

suppuratio, ex qua ulcera difficulter sanabilia emergunt.

OBSERVATIO II.

*Erysipelas fun-
sum in
sene.*

Vir sexaginta & octo annorum, carnosus & habitior, fluxui hæmorrhoidali ante obnoxius, jam a biennio eodem carens, ciborum tamen appetens, tempestate humida & calida fecerat iter, & ira commotus largum spiritus vini haustum ingurgitarat. Vesperti domum redux correptus est horrore cum vomitu, quem exceperit intensissimus calor, caput occupans, somnum turbans mentisque alienationem inducens. Die post insignem in inguine tumorem & ardorem sensit, ac tertio die dolor, rubor & ardor totum femur cum tibia occupavit. Inde remiserunt quidem priora symptomata, pulsus tamen mansit celer, & æger insuperabili sopore oppressus jacuit. Medicus accitus interius porrexit tincturam volatilem bezoardicam, naribus admovit spiritum salis ammoniaci, & loco affecto applicuit cataplasma ex aqua florum sambuci, aceto, lithargyrio, myrrha & bolo. Sed sopor discuti renuit, quin adauctus potius, ut plane non excitari posset æger. Sexto quoque die color pedis rubens in brunum & nigrum conversus, facies cum rubore intumuit, venter a prima statim invasione oclusus, injectos quinque clysteres sine operatione reddidit, die octavo accessit difficilis respiratio, & post hanc lethum.

Epicrisis.

In sensibus & plethoricis erysipelacea febris multum alit periculi. In nostro delirium secundo statim die indicavit congestionem sanguinis & quidem impuri ad caput, quæ postea etiam gravis soporis exstitit causa. Medicus vero perperam egit, quod nec primo statim die venam secare, nec alvum abducere iussit, sed potius interne & externe volatilia sanguinem magis exæstuantia adhibuit. Male etiam parti affectæ imposuit adstrin-

gentia, quibus discussio & exhalatio non modo impedita, sed etiam stasis obfirmata, & sanguis repressus ad caput vergit, præsertim quum intestinorum tunica etiam essent stricta & alvus oblerata, postea tamen decubuit quoque sanguis ad pectus, & ob difficilem per pulmones cursum, anhelosum spiritum & mortem demum induxit.

OBSERVATIO III.

Fœminam novi triginta annorum, *Erysipelas topi-
cis cor-
ruptum
internis
sanatū.* proceram, teneram ac biliosam, quæ per aliquot annos alvum segniorem & crebriorem iram fuerat experta. Hanc initiantem autumno, sub aquilonis tempestateprehendit erysipelas in manu sinistra, cum digitorum tumore ac rubore. Applicata topica varia & inter alia albumen ovi cum alumine conquassatum. Depulsum etiam malum, sed brevi post rediit idem, non vero pristinis cedere voluit remediis. Tumor quidem cum rubore discussus, dolor autem lancinatorius, cum formicationis sensu in digitis eorumque articulis diu perstitit, quin sub victu minus laudabili crebriorique animi commotione increvit quotidie. Ruptus tandem tumor ploravit materiam ichorosam acrem, cutem passim erodentem, & ulcus enatum dolens & pruriens, noctu præsertim. Licet etiam varia externa & interna sanguinem depurantia adhiberentur, succrevit tamen alius dolorificus glandulosus in junctura brachii tumor, qui ad digitorum apices radium quasi vibrabat, sive lineam rubicundam, cum intensissimo cruciatu. Summis postea malum magis vires, digiti intumuerunt, aperti tandem, excrevit caro copiose spongiosa & ichor foetidus rodens exstillavit, appetitu & viribus simul prostratis somnoque deficiente. Admoverant chirurgi imperiti, affectæ parti valde acria, calida, decoctum ex vino cum spiritu vini camphorato, balsamo sulphuris, & oleo tartari foetido; simulque interius deco-

decocta lignorum & pilulas purgantes mercuriales liberali manu dederant, sed frustra. Applicarant postea linimentum ex vino, myrrha, thure, cerussa, herba chelidonii, floribusque sambuci, cui aliquid mercurii præcipitati admixtum, quo acris defluxio intra binas hebdomades substituit. Tumor quoque in junctura litu cum spiritu viui camphorato, cui balsamum sulphuris admixtum, discussum. Sed non ita multo post tœmina insignem virium incurrit languorem, plenariam appetitus defectionem, facile animo defecit, & ob id supina in lecto jacuit, crebrius præterea doloribus in manu, dorso ac pedibus, nec non ventris torminibus afflicta, pulsus quoque iusto fuit languidior, cutisque mox frigore, mox volatilo æstu perfusa. Ego in consilium vocatus, pulverem ex lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici ana drachma, nitri depurati, arcani duplicati ana drachma dimidia, cinnabaris nativæ granis 15, in octo doses divisum, bis quotidie dedi. Pro potu ordinario suasi decoctum ex radicibus temperantibus, & iussi, ut mane in theiformi infuso fumeret quinquaginta guttas mixturæ ex liquoris nostri balsamici uncia dimidia, essentia croci, liquoris nostri anodynæ ana drachma. Consilium quoque dedi, ut subinde pilulis nostris uteretur, & affecto brachio iuniori permitteret fonticulum. Quibus per tres hebdomades usurpatis, exspirarunt sensim atrociora pathemata, appetitus rediit, somnus factus quietior, dolor remisit, & vires cum sanitate restitutæ.

Epicrisis.

Gravia varia & insolita pathemata impuritate scorbutica, sive feri acris biliosi redundantia, si in partes extremas tendinosas & nervas critico quasi motu amandatur, pullulare, uberius certe hæc docet historia. Periculosum etiam in ejusmodi casibus topicorum usu insisteret, quorum non alia vis, quam ut ionum partis affecta variis modis de-

struant, materiam a sanguine separatam vel ad interiora pellant, vel ejus discussionem impendant, & ita firmiorem faciant; ut symptomata non possint non aut magis increfcere, aut diutius affligere. Longe tutior & facilius hisce malis medendi ratio est, si internis dyscrasia humorum emendatur, materiæ acris affluxus divertitur, eademque per alia emanatoria, cutem, urinam, aut alvum, excluditur.

OBSERVATIO IV.

Fœmina generosa, triginta aliquot annorum, sanguinea, spongiosa & carnosa, postquam valens antea & menstruam purgationem etiam recte experta, venationi interfuerat ante & post solis occasum, sub cœlo nubo, autumnali, pluvioso, & corpus ob id non leviter perfrigeraverat, brevi post subito correpta est ingenti horrore, quem excepit æstus mordax cum inquietudine & tertio die erysipelas in crure. Brevis hoc depullura, ne autem rediret, medicus ortum ejus ex sanguinis plenitudine arcessens, tuasit, ut e pedis vena emitteretur sanguis largiter. Sed quum agra Octobre peregrinationem institueret, rediit idem malum, & longius quam prius perstitit. Medicus igitur vulgari jam hypothese, omnium morborum causam plethoram esse, addictus, eandem heic etiam subesse opinatus est, eaque propter rursus venam secari iussit, largiterque extraxit sanguinem; nihilo tamen secius post binas hebdomades denuo infestavit erysipelas eundem locum. Licet etiam postea pulveres absorbentes cum nitro, scarificationes & infusum laxans in usum vocaret, quibus tamen nihil aliud effecit, quam ut binis quibusvis mensibus erysipelas recrudesceret, pedis ante affecti tumor & imbecillitas persisteret semper. Denum ego in consilium vocatus, commendavi Carolinarum intersum & externum usum, cum et aësto in vita victuque moderamine & abstin-

Erysipelatis crebris incursum non vena sectione, sed Carolinis depulsus.

tia ab acidis, dulcibus, fructibusque horis, quibus mire antea ægra delectata injunxi quoque frequentem usum elixirii nostri balsamici, ex amaribus extractis, corticibus citri & sale tartari cum vino Hispanico confectis, sanguinis autem missionem interdixi. Inde erysipelas primum depulsum, subsequuti vero dolores rheumatici, per aliquot hebdomades affligentes, qui tamen repetito insequentis anni Carolinarum usu, etiam prorsus abacti, & ægra perfectam recuperavit sanitatem.

Epicrisis.

Perperam omnino heic a Medico ad recidivam arcendam commendata sanguinis missio, eaque repetita. In nostra enim natale erysipelatis ex perspiratione suppressa, eaque propter hac magis adhuc sanguinis missione immutata, non potuit non impurorum succorum copia crescere, quæ per erysipelas singulari naturæ vigore expulsa. Recidivæ autem frequentiores, quum de sanguinis impuritate testentur, hæc vero de viscerum maximeque hepatis vitio; ego certe acidularum, vel thermarum, ad sanguinem purificandum & viscera expedienda, & elixiriorum balsamicorum, quæ visceribus & succis spiritus ascitiam reddunt, usu præstantius novi nihil.

OBSERVATIO V.

Erysipelas scorbuticum sæpe recidivans. Novi in Westphalia virum sexagenarium generosum, macilentum, sanguineo-melancholicum, qui delectatus carnibus & piscibus salitis ac infumatis, ab aliquot jam annis, ter vel quater quotannis, in pede sinistro, circa malleolum, passus fuerat erysipelas, quandoque exulceratum. Hic meum petiit adversus hoc malum auxilium. Suasi igitur, ut inter malleolum & genu inureretur fonticulus, qui materiam a malleolo exquisitioris sensus parte ad tibiam traxit, immuni ab erysipelate & fonticuli & malleoli re-

gione. Tum consilium dedi, ut loco porus ordinarii acidulas Antonianas cum tertia vini parte biberet, a victu duriori abstineret & mane juscula cum radice cichorei, apii & scorzonæ forbillaret, & pedem debilem & tumidum fascia spiritu vini camphorato madida ligaret arctius. His aliquandiu usurpatis, liber postea diu mansit ab erysipelatis incurfu.

Epicrisis.

Westphalis ob victum durum & crassum semper sanguis spissus lente scens, qui e vena missus, eandem ac apud nos pleuriticorum, exhibet faciem, cum cuticula glutinosa. Hinc etiam ipsis admodum familiares inflammationes maximeque erysipelas scorbuticum. Adversus quod vero optime sese muniunt tempestiva sanguinis missione, potu ipsis frequentissimo feri lactis, & vere usu infusi laxantis & resolventis ex vino. Pedes autem, quia lentior in ipsis sanguinis ascensus, perspiratio quoque languidior, ob id maxime & œdematosi & erysipelacei tumoribus sunt obnoxii.

OBSERVATIO VI.

Professor celeberrimus, quinquaginta aliquot annorum, purpura scorbutica crebrius afflictus, post corporis intensam refrigerationem, corripiebatur subito languore virium, inquietudine, somni appetitusque defectu, horripilatione, æstu, cui juncta quædam mentis turbatio. Durabant hæc per tres fere dies, quibus elapsis, nocte antecedenti sensit intolerandum plane ardorem in præcordiali regione, ad dorsum usque excurrentem, mane autem inspecto loco dolente, insolitum comparuit exanthema, rubicunda nempe area, ex præcordiis ad dorsum cinguli instar extensa, cui insidebant confertim pustulæ partim albæ, partim rubræ nigrescentes. Inde quidem symptomata remiserunt, excepto ex-

Zona ex purpurea venatione.

qui-

quisito ardente dolore, qui tantus erat, ut nec somnum capere, nec locum affectum contingere posset. Medici, quorum consilio utebatur, quid hoc rei, nesciebant, & purpuræ peculiare genus, aut scorbuticum quoddam exanthema esse volebant; ego vero illico cognovi peiorem erysipelatis speciem, & interne diaphoretica temperata, & externe in fine oleum ovorum adhibui, quibus aliquandiu usurpatis, intra quatuordecim dies, dolor conquievit, pustulæ aruerunt, cuticula aspera facta, fissæ & desquamata.

Epicrisis.

Est hic affectus ex rarioribus, paucis visus, plurimis incognitus. Solus fere ex veteribus est *Plinius*, qui ejusdem sub nomine *Zoster* meminit. Quam periculosus autem sit binis exemplis confirmat *Joannes Langius epist. pag. 110.* uno Marchionis Georgii in Onelspachio, qui eodem ex ulcere crucis a Chirurgo intempestive

consolidato interiit, altero Comitæ Palatini Otthenrici, qui a lumbis ad genua usque hoc exanthemate circumdatus, febre simul ad delirium usque æstuans, incisa tamen utriusque pedis vena, adhibitisque, quæ febrem restinxerunt, a morte adhuc vindicatus. Idem etiam cum hoc esse videtur affectus, quem *Tulpius lib. III. cap. XLIV. observ. medicinal.* sub nomine exedentis præcordiorum herpetis describit, in viro pleni habitus & calidi jecinoris, qui vehementer circa præcordia doluit, cum acri pruritu, insigni dolore, & frequentibus pustularum conglomeratarum circulis, primum rubris, mox albicantibus, & comparente in qualibet earum crusta nigra, qua convenienti litu separata, qualibet degeneravit in humidum ulcusculum, cum acri dolore, sudore effuso & interdum tam impetuoso virulentæ materiæ raptu ad interiora, ut animus non secus aliquoties deficeret, ac si ipsum occupasset contagiola aliqua peccilentia.

S E C T I O II.

DE FEBRIBUS ACUTIS INFLAMMATORIIS

I T E M

LENTIS PUTRIDIS HECTICIS

N E C N O N

SYMPTOMATICIS.

CAPUT PRIMUM.

*De Febris Inflammatoriis in ge-
nere, speciatim de Febre acu-
ta sanguinea, gravis
Synocha.*

Theses Pathologicae.

§. I.

*Inflam-
matoria
febris
unde.*

In irritatio generis ner-
vosi spasmodica per omnes
solidas nerveas corporis
partes proximam cau-
sam constituat omnis mo-
tus febrilis, qui horrore & velocio-
re contractione cordis & arteriarum
absolvitur; pro diversa tamen indole
& actione materiae genus nervosum
præter naturam afficientis, diversa
emergit febris species, distinctis phe-
nomenis, effectibus & symptomati-
bus sese prodens, ita quidem, ut si
stimulus sit ab humore acris, putri-
do, seu corrupto, quem veteres vo-
cant ichorem, exanthematica plus
minus malignæ excludantur, ubi

vero sanguis, vel alius humor præ-
ter naturæ consuetudinem alicubi
congestus nervosæque membranas
tendit impensius cum dolore ac pre-
mit, inflammatoriæ acutæ, sine
exanthematibus, suboriantur.

§. II.

Jam quidem omnis continua fe-
bris inflammatorii quid, sive a
qualitate prava acris caustica, sive
a quantitate nimia molesta, humo-
ris cujusdam alit: attamen pro-
prie inflammatoria febris dicitur il-
la, cujus causa est eminens vascu-
lorum, secundum naturam non san-
guinem, sed tenue liquidum ve-
hementium, a sanguine oppletio at-
que distensio. Hæc autem evenit
vel in pluribus partibus simul, vel
in una tantum. Hinc febres inflam-
matoriæ vel universales, vel parti-
culares. Ex illis sunt, quando om-
nes fere sensu & motu instructæ
corporis partes, maximeque nervo-
so-membranaceæ, leviori inflam-
matione affectæ, quod accidit in
synochis. Hæc vero sunt, quando
uni tantum certæ parti insident, a
qua etiam in scholis medicorum va-
riam

riam sortiuntur denominationem, adeo, ut si meninges tangat inflammatio, febris audiat phrenetica; si fauces, anginodes; si pleuram, pleuritica: si pulmones, peripneumonica; si ventriculum, stomachica; si duodenum & biliaris ductus, ardens & biliosa; si ileon, iliaca; si renes, nephritica; si mesenterium, mesenterica; si vesicam, vesicalis; si uterum, uterina; si intestinum rectum, hæmorrhoidaria. Deinceps inter febres inflammatorias alię sunt idiopathica primarium morbum efficiences, alię symptomaticę, sive secundarię, quę sequuntur alium morbum, sed pessimo plerumque & lethali eventu, uti maxime de febribus continuis constat, qui ut plurimum inflammatione in sphacelum abeunte necant. Jam de singulis seorsim.

§. III.

*Synocha
descri-
ptio.*

Synocha igitur, sive sanguinea febris, est acuta, continua, fuscitata a sanguine in partibus maxime nervoso membranosis nimium congesto, qui, nisi opportune naturę & artis beneficio discutatur, inflammationem inducit lethalem.

§. IV.

*Subiecta
& diffi-
cultas.*

Corripit hæc frequentius plethoricos & succulentos, temperamento sanguineos & sanguineo-cholericos, etate juvenes ac viros, sanguinis evacuationibus assuetos, idque quovis anni tempore, potissimum tamen vere & æstate. Indicia autem ipsius & signa, quibus ab aliis acutis & inflammatoriis febribus discernitur, huc redeunt. Invadit hæc cum vix notabili horripilatione & leni admodum frigoris sensu, in aliis autem gravis est horror & longius extrahitur frigus. Alię mitius primum accedunt, sensimque increbescunt, donec ad statum & vigorem perveniant, sed hæc cum gravissimis statim adoritur pathematibus. In aliis certis temporibus notabilis observatur symptomatum remissio, quę in synochis rara, vel nulla, ut potius eadem quam sub accessione vehementia us-

que ad criticum tempus insistant, eaque propter haud incongrue a quibusdam non continuę, sed continentes, vocentur. In malignis ab initio pulsus parvus, debilis & contractus, in hac magnus & plenus. In synocha hinc in principio absolute necessaria sanguinis missio; quam alię continuę sæpe non ferunt.

§. V.

Causam hujus febris proximam præbet diffusior sanguinis in partibus ac visceribus internis congestio atque stagnatio. Quam in corporibus, calido sanguine, ex potuum spirituosorum largo usu, corporis exstuatione, animique excandescencia, plenis, ex facili inducit potus ingurgitatus frigidior, corporis extremorumque refrigeratio, & perspiratio quacunque ex causa prohibita. Sic enim tubulis & poris in externa superficie constrictis, sanguis cum impetu plus justo urgetur ad interiora, ibique congestus, moleste afficit nervosarum & fibrosarum partium systema, ex quo symptomatum origo omnium. Nimirum si ad caput vergit impetus, ibique colligitur sanguis, facies turgescit, oculi rubent, & lacrymas plorant, caput dolet, arteriæ pulsant temporales, vertigo adest, sopor, torpor, vel plane mentis alienatio. Quando cordis ventriculi & vasa pulmonalia a sanguine impetuosius irruente nimium distenduntur, essentialia illud omnium febrium symptoma, respiratio difficilis & crebra, pectoris angustia & anxietas cordisque palpitatio accidunt, juncta simul sæpe virium corporis animique dejectione. In oesophago levior inflammatio & spastica glandularum fauciumque strictura facit sitim, ariditatem, & linguę nigritiem, præsertim si in corpus biliosum, calidum, post iram incidit, tumque vulgo vocatur febris ardens *das hitzige Fieber*. In ventriculo inflammatoria congestio gignit nauseam, vomendi conatum, quandoque singultum; in intestinorum volumine, inflationes malum graviter exacerbantes, alvi adstrictio-

*Causa
& ind-
penden-
tia sym-
ptoma-
ta.*

nem,

nem, vel excrementorum foetidorum ejectionem, in meseraica arteria & venæ portæ vasis, dolorem fixum circa primam lumborum vertebra, in membranis spinalis medullæ, decubitus in suetum, membrorum jactationem, torporem & languorem artuum, quandoque etiam convulsiones.

§. VI.

*Simplex
vel pu-
trida
est.*

Neque tamen hæc symptomata adfunt in omnibus omnia, neque vehementia ubique infestant eadem. Hinc in simplicem a medicis distinguitur synocha, & putridam, sive malignam. Illa sæpe a sola sanguinis boni extra locum & vias suetas congestionem suscitatur, mitior, hinc brevi discutitur, nec adeo periculosa. Ubi vero cadit in corpora impuris succis plena, viribus a morbo præcedenti, diuturno animi angore, nimia venere, & inordinata victus ratione exhausta graviora longe præsto sunt pathemata, cum virium prostratione, morbus ipse diutius, ad decimum quartum, vel vigesimum prorsus primum trahitur, & quandoque exanthemata, maculæ fuscae vel nigræ, excluduntur, non sine præsentis periculo. Datur præterea synocha epidemica; sed quæ plerumque cum febre catarrhali jungitur & autumnus maxime ac hieme infestat. Hæc in principio non aliis, quam synochæ factis symptomatibus adoritur, maxime homines sanguine & humoribus plenos; postea vero, si bene tractatur, post diem quartum prodit se manifestis signis catarrhalis, per longum adhuc durans tempus & quæ per noctem usque ad diluculum calore præternaturali, nec non catarrhosis à capite defluxionibus, coryza, tussi sicca & humida infestat, donec tandem discedat.

§. VII.

*Eventus
bonus, ut*

Solvitur morbum, si causa non adeo vehemens, solius sæpe bene valentis naturæ beneficio, sua sponte, die quarto, septimo, vel undecimo, ordinarie largo sudore, vel secus ac in aliis acutis, optime per liberale na-

rium stillicidium, vel etiam, rarius tamen, ac nonnisi ubi maligni quippiam complicatum, per alvi fluxum. Quando etiam hæc febris in principio statim, primo, secundo & tertio die, recte tractatur, sanguinis missione & subjunctis refrigerantibus, blandisque diaphoreticis, quarto sæpe die exoptata fit solutio. Si vero omittitur, vel detrectatur venæ sectio, febrem ad decimum quartum, quin decimum septimum diem protractam vidi, persistentibus gravioribus symptomatibus ipsoque delirio, tandem vero naturæ beneficio, vel per sudorem, vel per alvum fuisse solutam. Sed quibus lethalis est, *Malus.* ii pereunt plerumque inflammatione meningum, vel etiam aliarum partium, ut ventriculi & intestinorum spha-celosa, quam uberius testatur facit cadaverum inspectio, in quibus præterea ob sanguinem copiosum cito in foetidam putrilaginem abeuntem, illico ad est insolitus tumor & fetor intolerandus.

Curatio.

§. I.

In medicatione febris synochæ perito artificii agenda hæc: I. ut partes vitales a nimium congesto sanguine liberentur, sicque vel levior in iis inflammatio dispellatur, vel gravior impediatur: II. ut sanguinis exstusio simul atque systematis nervorum spasmodica affectio componatur: III. ut illud, quod stagnat & corruptum est, discutatur & liber sanguinis circuitus, maxime ad corporis superficiem, re-stituatur.

§. II.

Quo igitur vasa interiora in visceribus, corde maxime & pulmonibus, a nimium congesto & stagnante sanguine liberentur, vena tempestive pertundenda, & sanguis emittendus sufficienti quantitate. Quod quo pacto sit faciendum, dicetur in cautelis. Deinceps ut impetuosis ille sanguinis fluctuumque orgasmus, vasorum, quam

*Indica-
tiones
curato-
rie.*

*San-
guis
mitton-
dus &
orgas-
mus
tempe-
randus.*

fa-

facit, distensione nervosae partes irritans ad contractionem, sedetur, ex usu sunt aquea, diluentia, acida, item nitrosa. Et certe si in ullo morbo, fane synocha, quam maxime conducit frigide potus aliaque refrigerantia, ex aceto succisque fructuum, acidulorum, citri, limonum, ribium. Commendarunt hæc communi suffragio veteres, cui accedunt recentiores omnes: Ego quidem expertæ virtutis hanc habeo potionem: recipe aquæ fontanæ mensuram, aquæ rosarum, sacchari albi ana unciam, succi citri tantundem, vel loco hujus spiritus vitrioli guttas 20. *Riverius in prax. cap. de Synoch. pag. 37.* laudat pulverem ex sacchari uncis quatuor, salis prunellæ uncia, eundemque in sufficienti quantitate aquæ assumere, cui, si sitis impensius urget, spiritum vitrioli instillare, suadet. Nobilis etiam demulcente, & refrigerante virtute gelatina liquidior cornucervi, cum saccharo, succo citri & aqua rosarum confecta. Potissimum tamen profunt loco potus ordinarii usurpanda, serum lactis ex lacte cocto cum succo citri coactum, vel nostra methodo dulce, & cum succo citri, aut spiritu vitrioli acidularum, item pitisanæ ex hordeo, rasura cornu cervi, scorzonera cum succo & corticibus citri, nec non cerevisiæ leviores, imbutæ tinctura violarum, rosarum, papaveris, rhœados, parata cum aqua acetosellæ, spiritu vitrioli acuata, vel instar omnium clystho antimonii sulphurato, de cujus præstabili virtute ita sentit *Baglivus opp. lib. I. pag. 50.* non possum non, inquit, laudare eximias vires clysthi antimonii, cujus subacida virtute febres multæ ex aeris mutatione productæ aliæque ardentiores, tanquam in ovo suffocantur. Hæc acida quoque magnopere conducunt in synocha sic dicta putride, seu maligna, quia omnium efficacissime putredini resistunt, quæ non ab acido, sed alcalico volatili fovetur, quod acida destruant.

S. III.

Quæ liberiores sanguinis ad superficiem corporis motum procurant, sunt utique blanda diaphoretica, pulveres scilicet vel bezoardici temperati vel absorbentes, nonnumquam soli, nonnumquam cum nitro, aut succo citri, assumendi. Idem faciunt infusa theiformia, ex herba veronice, scordii, aut cardui benedicti, cum semine feniculi, quæ in primis quando quarto die morbus critico sudore solvitur, pulsusque quietior cum somno redit, ad secundandam hanc salutarem excretionem, proficiunt.

Cautela & Observationes Clinicae.

S. I.

In nulla febre, & veterum, & recentiorum omnium consensu, tam necessaria est sanguinis missio, quam in synocha, & quidem sufficiens atque matura. Recte enim monet *Tralianus lib. XII. pag. 688.* continentes solerti tractari debere diligentia, præsertim quod sanguinis missionem spectat. Maximum enim incommodum esse, cum in omnibus morbis, tum in his dilationem. Nam febres, pergit, vehementiores redduntur & vires imbecilliores, ut non amplius magna præsidia ad curationem admitti possint. Hi vero indigent maxime, sanguinis missione, qui urinas habent rubras & turbatas, oculos rubros, totum corpus grave, venas latiores, & earum torulos apertiores, calidioribus magna parte cibis, potibus, vino liberaliore & vetusto carnibusque pinguibus usi. Sed non imitandi veteres, præsertim *Galenus*, & qui presse hunc sectatur *Zacutus Lusitanus*, qui sanguinem ad animi usque deliquium mittere suadent. Mensuram potius sanguinis extrahendi medicus prudens ex ratione virium, ætatis, sexus & temperamenti, nec non pulsuum magnitudine venarumque amplitudinem, judicare debet, ac ubi corpus firmum

Dis-
phoretica
secundandæ.

Prodest
sanguinis
missio.

suc-

succilque plenum, præstat iterare altero die venæ sectionem, quam simul & semel nimium evocare, quo successe demta copia, perspiratio fervetur, & diffatio sordium liberior reddatur. Neque pueri, & adolescentes pleni sanguine hoc remedii genus detrectare debent. Qui autem penitus averfantur, his hirudines collo & medianæ ipsi aliquando cum fructu admoveere jussi. Quando etiam sanguis cum impetu ad caput fertur, & arteriæ intus fortiter pulsant, facies simul tumida est cum oculis & rubicunda, ac nares aliquot tantum guttas stillant, provocandum stillicidium, vel veteri Ægyptiorum more scarificatione narium, vel valida intrusione culmi straminei, quo delirium arceatur. Sed qui tali in casu venas sublinguales incidere jubent, minus securum consilium interponunt; eo quod inde aliquoties incomperabilem hæmorrhagiam abortam vidi.

§. II.

*Refrigerantia
utilissima.* Deinceps ex præstantissimis in synocha remediis sunt acida, refrigerantia & nitrosa. Et certe in hisce auxiliis, prudenter ac circumspice, ratione temporis ac mensuræ, pro diversa conditione corporis ægrotantis, usurpatis, præcipuum curationis momentum in synocha aque ac ardente consistit. De quo tamen infra plura dicemus. Id autem singularis plane medico-practice observationis est, quod hæc, quin sola aqua temperate frigida, sufficienti quantitate pota, sudorem moveant & somnum procurent.

§. III.

Laxantia conducunt. Præstat porro in hac febre, simplex sive sit, sive putrida, alvum servare apertam. Sub febre quidem, non tam internis, quam potius externis, glande, aut clystere molli, ex sero lactis, melle, oleo amygdalarum dulcium, pauxillo nitri & salis id perficiendum, quo leniatur fibrarum intestinalium strictura, & flatus evocentur, qui intestini coli partem distendendo, anxie-

tates faciunt, & perspirationis succellum pervertunt. Declinante autem morbo & apparentibus coctionis signis in urina, ad exturbandas materiæ febrilis reliquias, apprime interna ex usu sunt, inter quæ ego in primis utile deprehendi laxans ex manna, cremore tartari, vel etiam cassia & rhabarbaro. Sed absint valida omnia purgantia, multo magis emetica: his enim, tactis jam levi inflammatione visceribus, ex facile inflammatio inducitur funesta. Quin observavi, febre hac sanguinea laborantes, neque ferre posse pilulas alias benignas, quas aloë, vel extractum ellebori ingreditur, uti sunt Becherianæ, aloëphanginæ, marocossicæ, & id genus plures.

§. IV.

Ex iis, quæ vitanda sunt maxime omnia calida & spirituosæ, vinum, potus etiam nimis calidi largi, ut infusum theæ, nec non regimen æstuosum, ratione lecti & conclavis, quæ omnia sanguinem magis exæstuant, acerbiora symptomata febremque diuturniorem reddunt. Neque etiam synocha putrida, sive maligna ferre potest essentias alexipharmacas, aut tincturam bezoardicam. Cavendum quoque a multitudine & varietate remedium, quæ nunquam utilis, sed semper damnosa est, tanto magis, ubi partes nervosæ sensus exquisitoris, leviter inflammata. In primis autem fugiendi sedulo omnes animi affectus, ira præsertim ac terror, quibus inflammatoria jam in intestinis præsens congestio ingrave scit, & inflammatio perfecta, quin sphacelatio, experientia teste inducitur.

§. V.

Cæterum de morbi decursu atque eventu hæc adhuc monenda. Vidi ego in hac febre sæpius in juvenili ætate ac temperamento sanguineo perpetuam somnolentiam, quæ tamen sine periculo fuit, admoto plantis pedum aceto, cum sale ammoniaco & baccis juniperi, discussa. Delirium etiam frequenter vidi diuturnum,

non
drasti-
ca.

Vitanda
calida
& ani-
mi affe-
ctus.

Somno-
lentia
& deli-
rium
non

num, post neglectam in principio venæ sectionem, sed quando decimo quarto die sedimentum posuit urina, discessit demum, & hoc sine damno. Neque enim unquam firma salutis spes, nisi coctio in urina compareat. Sed quando ex præpostera medicatione, sanguinis missione neglecta, datis calidioribus, & alvo diutius occlusa, febris huic sanguineæ ille acutorum frequens nostro tempore socius, purpura, præsertim alba, accessit, pessimo id accidit omine. Neque minus pessimum & plerumque mortiferum est indicium, quando alvus diu cohibita, sponte miram quantitate fecum biliosarum, & corruptarum, simul & semel, junctis torminibus, profundit. Hoc enim sphaeli intestinorum signum esse, ex defunctorum cadaveribus habeo compertum.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Synocha
recidivans
lethalis.*

Adolescens annos habens octodecim, constitutione tener ac sanguineus, vultu floridus, laute vivens, delectatus maxime dulcibus, farinaceis, decocto chocoladæ cum lacte, & in prandio vinum Hungaricum liberaliter bibens verno tempore, post intensam, ex ambulatione per acclivia & declivia in seram noctem, corporis exæstuationem, postera die corripiebatur horripilatione, ingenti æstu, inquietudine, corporisque totius languore. Datum ipsi de venæ sectione consilium, sed noluit admittere. Hinc dari tantum pulveres ex matris perlarum, lapidum cancorum, ana drachma nitri puri drachma dimidia, cum succo citri ex aqua frigida sumendi. Loco potus exhibita ptisana ex hordeo, scorzonera, & syrupo acetositis citri, alvus quoque clystere emolliente soluta. Quibus factum, ut quarto liberalis prodiret sudor, pulsus quoad vehementiam & celeritatem sedatior micaret, urina

Tom. IV.

sedimentum poneret, & somnus rediret. Morbus igitur ex voto solutus visus. Quum vero æger viribus nimium credens, dulcibus & lacticiis indulgeret, potens etiam Hungaricum vinum biberet, post septimum diem eandem rursus incurrit febrem. Sed gravioribus longe stipata erat symptomatibus, in somnia maxime atque delirio. Sexta quidem die post venam, sed sine emolumento. Aderant simul tormina ventris, & pauca biliosa secesserunt. Clyster quoque infusus animi fere deliquium adduxit. Quarto die accessit forte ex amicis non nemo, qui ægro imprudenter dixit, apparere ex omnibus ipsum moriturum, præparet igitur se ad discessum. His adolescens vitæ amantissimus, mirum exterritus, virium illico animi & corporis ingentem expertus est lapsum, & frustra usurpatis omnibus, quæ in priori morbo fuerant utilissima, septimo die vitam posuit.

Epicrisis.

Nihil ad ingenerandam exuberantem sanguinis copiam valentius dulcibus, bellariis, cum saccharo & ovis frixis, vinoque Hungarico dulci spirituoso. Atque adeo his etiam nihil aptius ad inducendas febres, quæ sanguinis plenitudini debent natales. Ego certe plures novi juvenes literarum studiosos, qui delectati his dapibus & potibus spirituosus, accedente corporis refrigeratione, hanc incurrerunt febrem. Omnes autem recidivæ febrium, quarum fundamentum inflammatio, admodum periculosa, quin plerumque capitales. Quia enim corpus a priori morbo viribus exhaustum, maximeque partes, quæ passæ, tono adhuc privatæ, ex facili iterum concipiunt inflammationem, quæ primis non amplius obsecundat remediis. Accedit, quod ipsi ægotantes recidivam ut plurimum parvi faciant, & ob id medicum serius in auxilium vocent, phar-macorum pertæsi sint, quorum operatio languente naturæ vigore minus præterea est efficax. Quare declinan-

M

dæ

de summo studio recidivæ, temperanter vivendum, corpus non nimis cibis multo minus spirituosorum potu aggravandum, nec motu aut animi affectibus exastuandum, ne sanguis urgeatur in vasa ipsius transitui non dicata, ibique subsistat. Vitanda quoque refrigeratio, & potius exquisitum servandum regimen. Quam facile enim hæc febris repetat cum vitæ periculo, confirmatum habeo casu, qui novissime evenit. Inciderat scilicet in synocham artifex ingeniosus ferrarius, eademque graviter decubuerat, post quatuordecim tamen dies præter expectationem ad se redire videbatur, dormiebat, & appetebat. Sed quum uxor, quo maritus cito vires reciperet, & ad labores redire posset, ipsi apponeret carnem suillam assatam cum placentis, ipsumque ut ederet tantum non cogeret, illico excepit anxietas præcordiorum summa, difficilis spiratio & inquietudo cum plenario virium lapsu, ac post viginti quatuor horas interiit. Et certe vix dici potest, quantum noceant cibi copiosi, viribus a morbo adhuc imbecillis. Quia enim ciborum moles in ventriculo languente digeri nequit, resolvitur in flatus, qui expandendo ventriculum & tendendo diaphragmatis velum, miras anxietates cum spiritu difficili faciunt. Hinc porro sanguis urgetur ad dextrum cordis ventriculum, ibi congestus systolem sufficientem ac in pulmones pulsus sufflaminat, unde tam ipse cordis ventriculus, quam ob allatum per cavam semper sanguinem auricula dextra, plus justo extenduntur, systole penitus intercipitur, & lethalis obrepit syncope. Etenim subitæ mortis, sive synopis lethalis causam esse coagulatum & congrumatum sanguinem in dextra cordis ejusque auriculæ camera, ob deficiens robur ad contractionem, testantur utique uberius anatomico-practicæ defunctorum sectiones.

OBSERVATIO II.

Virgo honoratissima viginti aliquot annorum, sanguinea, facie florida, laute vivens & liberalius paulo Rhe-nanum vinum bibens, solita semper erat ante æquinoctium vernale & autumnale sanguinis missionem admittere. Eo autem, qui ipsi emortalis, anno præter morem calidum erat veris initium, ipsa tamen noluit discendere a consueto venæ sectionis termino, sed tempus expectavit æquinoctiale & lunæ decrementum. Accidit vero interea, ut ira commoveretur venusta hæc & sanguine plena virgo, eaque propter absente matre & medico ordinario, post levem cutis inhorrescentiam, dorsi dolorem, æstum, anxietatem, inquietudinem, somni, que defectum incurreret. Ipla consilii inops, suasu cognatæ ad bilem commotam evacuandam, sumit pilulas, nostris *die geschafften Haupt-Pillen*, pilulæ cephalicæ acuatæ, quarum basis trochisci alhandal. Inde quater quidem dejecit, sed conquesta postea de dolore pressorio & ardente sinistri hypochondrii. Quarto die accessit medicus, qui venam secare iussit, sed sine levamine. Dedit quoque probatissima remedia, quo inflammationi ventriculi, quam singultus arguebat, occurreret, sed incassum. Accessit potius extremorum refrigeratio, mens turbata, & septimo die placida mors. Post mortem mirum intumuit corpus, efflorueruntque papulæ amplæ in pedibus atque abdomine, e naribus fluxit serum putridum sanguinolentum, & totum corpus mox in foetidam putredinem ruit.

Epicrisis.

Communis quidem, sed valde dam-nosa passim regnat opinio, sanguinis missionem certis temporibus, & sub certa astrorum conjunctione esse instituendam. Videas in primis plurimos adeo supersticiosos, ut credant, non feliciter cessuram venæ sectionem, nisi aliquot ante æquinoctium diebus &

*Synocha
usu pur-
gantis
omif-
sa venæ
sectione
lethalis.*

decreſcente luna admittatur. Ego vero novi, plures & apoplexia, & febre ſanguinea interiſſe, antequam præſtitutum hoc tempus attingerent. Nam neceſſitatis nulla lex, ſed ſi ſanguis redundans minatur periculum, mittendus, quicumque ſit dies, quodcunque tempus. Noſtra formoſa virgo periit inflammatione ventriculi & inteſtinarum gravi, quæ utique opportuna ſufficienti ſanguinis ſubtractione, datiſque congruis refrigerantibus, potuiſſet averti, aſumto vero acri purgante adauſta potius. Ut adeo pateat, morbum, aliàs non adeo periculoſum, neglecto tempeſtivo commodorum remediorum uſu, & mala tractatione, brevi malignum fieri poſſe, atque funeſtum noſtrum. Illa vero corporis poſt mortem cita intumeſcentia, deformis color, putredo ſubito ſuccedens, & feri ſanguinolenti effluxus, luculenter utique teſtatum faciunt, a ſuccorum plenitudine morbum, & ab eorum putrefactione mortem fuiſſe inductam.

OBSERVATIO III.

*Synocha
ſeptimo
die ſolu-
ta.*

Degebat heic juvenis literarum ſtudioſus, viginti quatuor annorum, ſanguineus, ſucci plenus, vultu floridus, qui hæmorrhagiis narium antehac obnoxius, & poſtea venæ ſectioni aſſuetus, utramque vero evacuationem ab anno non erat expertus. Hic verno tempore in palæſtra gladiatoria vehementer incaluerat, & poſtea in cellam conceſſerat, vinum potaturus. Poſt tri-die laſſitudinem ſenſit in corpore toto, quam excepit extremorum levior refrigeratio, ætus vero intenſus, pulſus celer, præcordiorum anxietas, anguſtia ſpirandi, & peſtoris oppreſſio. Tertio die temporum arteriæ valide pulſarunt, caput intumuit, doluit, oculi proturberarunt, nox inſomnis fuit, urina rafa, ſine ſedimento, & delirare cœpit. Hinc vena ſecta, & minimum ſeptem ſanguinis uncias ſubtractæ, & data mixtura ex aquæ ſlorum ſambuci, acaciæ, ceraſorum nigrorum ana uncias

duabus, aceti deſtillati uncia dimidia, lapidum cancrorum drachma, nitri puri granis 13. ſyrupi papaveris erratici drachmis duabus, de qua ſingulis binis horis quatuor ſumſit cochlearia. Quum etiam quarto die ſanguis impetuoſus ad caput ferretur, nec tamen hæmorrhagia erumperet, ad diſcuſſionem fronti & temporibus ſepius tepide admotum epithema hoc: recipe aceti roſacei uncias duas, ſpiritus roſarum drachmas duas, camphoræ drachmam, olei ligni rhodii guttas 24. Ad ſitim fallendam æſtumque exſtinguendum tinctura ſlorum cordialium cum ſpiritu nitri dulci parata, cereviſiæ tenui pro potu inſtillata; alvus præterea per aliquot dies clauſa, & clyſtere emolliente, & laxante, ex manna, cremore tartari & rhabbarbo quater ſoluta; eoque faſto, urina apparuit cocta, & ſedimentum incarnati coloris dimiſit. Datis demum ulterius bezoardicis temperatis cum tinctura modo dicta, ſenſim conquieverunt ſymptomata, & die ſeptimo pulſum celeritas remiſit, ſudor largus prodiit, ægerque poſtea ad ſanitatem rediit.

Epicriſis.

Ad præcavendum delirium, longe præſtantius epithema diſcutiens, quam laudata a multis venarum ſublingualium ſectio, quam incompeſcibilem hæmorrhagiam induxiſſe vidi aliquoties. Utiliſſimum quoque ad ſanguinis a capite derivationem alvum ſtrictram mollire atque ſubducere, non quidem purgantibus, ſed clyſteribus & blandis laxantibus, modo id fiat, quando levamen & aliqualis remiſſio percipitur, quod ſecundum noſtram obſervationem, certis diebus, ſecundo præſertim & quarto, accidere ſolet.

OBSERVATIO IV.

Monachus viginti quinque annorum, quadratus & carnoſus, vitam colens otioſam, potui cereviſiæ craſſioris aſſuetus, nunquam tamen venæſectionem paſſus, verno tempore corpus

*Venæſectio
quarto
die in
ſynochis
uſa.*

Mi 2- ſuccis.

succis plenum validius paullo in horto ad feram usque noctem exercuerat. In de illico conquestus est de corporis lassitudine, inappetentia, somno turbulento ac inquieto, alvo simul clausa. Incessit ipsum dein levis horripilatio, æstus magnus, præcordiorum anxietas, pulsus quoque vehementer saljit, facies rubicunda fuit, & urina pellucida, sed rufa. Medicus in consilium vocatus exhibuit tincturam bezoardicam volatilem cum regimine sudorifero. Sed nullus successit sudor, anxietas potius adaucta, spiritus factus difficilior, somno caruit, multa absorta est loquutus, & tertio die accessit præterea acerbus & ardens dolor in faucibus cum deglutitione difficili. Accitus igitur medicus alius, qui venæ sectionem administrare clysterem injicere, gargarisma usurpare, & exterius epithema discutiens gutturi applicare iussit, ac interius pulveres temperantes nitrosos leniter diaphoreticos dedit. His discussus primo tumor faucium, & dolor sedatus. Septimo die post levem horrorem largius sanguinem stillarunt nares, quod, ne cum damno effusus fieret, cautum est mixturis diaphoreticis & pulveribus nitrosis, nec non epithemate frontali *Observat. III.* descripto. Sic octavo die æstus deferbuit, & sudor erupit copiosus, pulsus sedatior factus, urina sedimentum posuit, & æger successive convaleuit.

Epicrisis.

Male hoc in casu omissa in principio venæsectio & pessime in corpore plethorico data volatilia cum regimine gustuoso, quibus facillime inflammatio in cerebro & faucibus conciliata. Neque ea propter quarto etiam die nociva fuit venæsectio, sed ad avertendam inflammationem admodum proficua. Ad angustiam vero vasculorum laxandam & stagnationem sanguinis in faucibus discutiendam, epithema mature applicatum, cum internis diaphoreticis, utique egrégium.

OBSERVATIO V.

Quam varia & insolita plane elapso anno 1728, aeris tempestatumque fuerit constitutio, & quam varii quamque graves inde succreverint morbi, in primis febriles, supra *Sect. I. cap. X. obs. II. pag. 156.* pluribus jam dictum, Perstetit autem eadem hæc extraordinaria temporum anni habitudo & atmosphæræ inæqualitas, insequenti adhuc 1729, anno, subitamque frigoris in teporem & vice versa teporis in frigus mutationem fecit. Scilicet attulit novi anni exordium acerrimum gelu, æquale omnino illi intensissimo, quod anno 1709, regnavit, ac perstetit ad 12, usque Januarii diem, mercurio interim, quod mirandum, in barometro demissiorem stationem ad gradum tantum 7, servante, quum aliàs ascendere, tum & gradum 30. tangere soleat. Decimotertio & quarto die lenior spiravit aura & regelatum. A decimo sexto ad vigesimum usque argentum vivum altius iterum ad vigesimum septimum gradum elatum, & frigus fuit acre. Vigesimo quarto subsedit mercurius ad duodecimum, nonum & octavum gradum, & sequentibus diebus successive remisit gelu, mercurio interim modo sublatu, modo delapso. Nix præterea cecidit copiosa, & diu solum obruit, donec medio Februarii discuteretur iterum, ex quo magnæ aquarum inundationes. Post has vicissitudines, remittente hiemis asperitate, Februario mense, cepit passim circumire synocha febris, non simplex, sed complicata, quæ recte dici potest synocha catarrhalis, ita ut intra mensis spatium vel mille, ex divitibus eque ac pauperibus, eadem heic decumberent. Incessit quippe hæc febris homines mediæ potissimum ætatis, juvenes & viros, sanguine & succis plenos, minus infantes, omnesque quotquot corripuit, sine præcedenti notabili frigore vel horrore, affecit totius corporis & capitis gravitate, inappetentia, somni defectu, viriū languore & æstu intenso, cum pulsu magno, celeri, quandoque inæquali. Quibusdam

dam varia ſtatim in mente obſervata
ideæ atque imagines, & artus tremue-
runt, aliis perpetua accidit ſomnolen-
tia cum animi dejectione, & omnes
ſitum erectum ferre non potuerunt,
ſed mox ſyncopricam quandam debi-
litateſ percepit. Quibus vena ſta-
tim in initio pertuſa, & ſufficiens ſan-
guinis copia, pro ratione corporis &
virium, ſubtracta; ſubjunctis poſtea
blandis diaphoreticis, diluentibus &
orgaſmum ſanguinis compeſcentibus,
ſub æquali & moderato regimine, cito
& optime convaluerunt. Sic enim
quarto ſtatim die deſeruit febris,
ſymptomata remiſerunt, æſtus reſtin-
ctus, pulſus ſedatior & corpus quie-
tum factum, ac urina, comite ſudore
plerumque largo, poſuit ſedimentum.
Reſtiterunt tamen poſtea copioſæ de-
fluxiones, a capite ad nares, fauces &
peſtus, coryzam & tuſſim humidam,
vel ſiccā inducentes, ſtipatę quando-
que artuum pedumque rheumatismo,
quæ circa velperam exacerbata, calo-
ris fecerunt incrementum noctemque
inquietam, donec decimo quarto ut
plurimum die diſcederent penitus. Sed
in quibus, aut ægri, aut medici culpa,
ſanguinis miſſio neglecta, & uſurpata
calida bezoardica, hi longe gravius &
diutius decubuerunt, delirio & affidua
vigilia affecti ſunt, catarrhos acres &
rebelles experti, quandoque exanthe-
ma purpuraceum & febris ſæpe ad
decimum quartum diem, non nun-
quam longius, magna inſiſtit vehe-
mentia. Quin fuerunt, qui accedente
purpuræ albæ, aut petechiali exanthe-
mate, plane interierunt.

Epicriſis.

Recte omnino complicata hæc fe-
bris dicenda ſynocha catarrhalis: nam
ipſius incurſus vehemens ſtatim, ſine
rigore, ipſius decuſus ſine remiſſione,
ipſius eventus ſudore, ipſius medicatio
per ſanguinis miſſionem & temperan-
tia cum nitroliſ, luculenter teſtatur,
ad ſynochæ familiam ipſam eſſe refe-

Tom. IV.

rendam. Catarrhalis autem connu-
bium producit ſubſequentes copioſæ
muci & ſeri ſali, ex naribus, faucibus
& bronchiis, cum tuſſi ac ſternutatio-
ne ejectiones, nec non febricula vep-
ri cum calore ingraveſcens. Natales e-
pidemicæ hujus febris non aliunde,
quàm ex mira, diuturna aeris inæqua-
litate, ac crebra mutatione ex calido in
frigidum & frigidum in calidum, nec non
atmoſphæræ mox gravis & raræ habi-
tu vario, ducendi. Sub his prementis,
mox levis viciffitudinibus, non modo
uniuſverſale illud peſſimarum ſordium
emunctorium, cutis, diverſimode affi-
citur, ejuſque canaliculoſa atque poro-
ſa compages a naturali tono deſicitur,
ſed & motus illi cordis & arteriarum
ſyſtaltici, qui vitam ſuſtinent, & ab æ-
ris purioris elatiſtica ſubſtantia pen-
dent, vitiantur ac mutantur. Ex quo
porro fit, ut labefactatis ſic & ſul-
flaminatis ſaluberrimis ſe & excre-
tionibus, multæ impuræ & viſcidæ
ſordes in ſuccis maneat, quæ dein
vaſcula obſtruunt, ac ſomitē febrili-
bus, populariter circumeuntibus,
præbent. Neque nos nunc primum
obſervavimus hanc febrem, ſed ean-
dem jam anno 1580. viſam eſſe *Geor-
gius Heniſchius Comment. in Arætu-
m pag. 315.* teſtis eſt, ſic habens: *an. 1580.*
graſſabatur ſynochus epidemica, non
ſimplex, ſed compoſita, eo quod &
catarrhum, & alia ſymptomata con-
juncta habuit, unde & catarrhus cum
febre epidemicus fuit appellatus. Eun-
dem etiam ipſius ortum ac decurſum
 fuiſſe, quam noſtræ, idem auctor l.
c. pag. 396. ſubneſcit: febris, inquit,
hujus catarrhalis epidemicæ, quæ ſpa-
tio ſex ſeptimanarum, omnes ſere Eu-
rope gentes affligebat, ex quibus vix
vigeſimus hujus morbi expertus erat,
preſertim in Saxonia, cauſa, non erat
ab alimentis, terra aut aqua putrida,
ſed ab aere, vel cælo potius, nem-
pe a magna illius & anni præcedentis
aeris inæqualitate, unde copioſa humo-
rum heterogencorum & ichorum ſoboles
ſuccrevit, quæ facta meatuum conſti-

patione & prohibita evacuatione, primum ebullit, & postea putrescens, hanc febrem excitavit. Quamprimum hæc invadebat, omnes vires languebant, præcordia gravitatem sentiebant, cor pressionem, & palpitabat, pulsus parvi, celeres & inæquales erant, anhelitus difficilis, caput erat grave, & ingravescente morbo ita ægroti languebant, ut tremere & conciderent. Quidam vigilabant, alii profundiores somnum habebant. Ex capite fluxitacrior & subsulsus humor ad thoracem, qui tussim movebat, in extremis partibus dolores vagos & fugitivos excitabat. Initio horror & calor totum corpus & caput occupabat, & ad tactum non erat mordax, continuus tamen, cum rubore oculorum & tumore. Urina primum tenuis, mox crassa; aliis sanguis e naribus fluebat: plerisque sudor copiosus prorumperebat, quo & febris finiebatur, quarto ut plurimum die, interdum, sed raro, longius protraheretur, ad septimum, vel nonum diem. Cæterum illud quam maxime notatu dignum, quod synochæ hæc epidemice grassantes, & cum magna vehementia invadentes, administrata statim sub initium convenienti sanguinis per venam sectam missione, & adhibitis postea temperantibus, & viscidum colliquantibus tertio mox & quarto die fuerint solutæ, nec in putridas, aut diuturnas transferint febres, quæ non sine periculo. Et certe dici vix potest, quam insigniter febrium synocharum æque ac ardentium vehementia in principio illico his præsidii obtundi queat ac frangi. Testis est jam ipse Galenus meth. med. IX. perite non minus, quam vere scribens: nemo ex synocha in putredinis febrem incidit, qui sanguinem primum detraxit. Quo quidem præsidio neglecto, in summum ægri discrimen perveniunt, nisi eos, vel virium robur, vel largum alvi profluvium, vel sudor ex manifesta phrenitide eripiat copiosus. Ego quoque observavi frequentius, synocham simplicem, ju-

venes sanguine & succis plenos cum magno æstu & capitis dolore, nec non anxietate, sub pulsu pleno, & crebro, prehendentem, post incisam medianam, & dato ptisanæ largo potu intra quatrimum, sudore per totum corpus manante, fuisse solutam, remittente mox inquietudine cum æstu ac siti, & somno redeunte. Opus tamen est, ut salutaris hæc diaphoresis per aliquot dies adhuc congruis remediis servetur, & postea solutivo remedio, ex clementioribus manna, tamarindis & rhabbarbo & tartaro, alvus ducatur. Neque etiam omittenda venæ sectio sub initio hujus febris, si corpus sanguine redundans ac pulsum adest magnitudo, licet enim ita pridem sit admissa. Aliquot enim exinde mortuos, vel in summum vitæ discrimen adductos novi, quibus medici ob id sanguinem subtrahere renuerunt, quia ante unum vel binos menses modo factum; quum tamen ex longo usu atque experientia in comperto sit, hæc in febre, non semel, sed bis interdum, pro virium robore & sanguinis abundantia, venæsectionem esse administrandam.

CAPUT II.

De Febre ardente, nec non
Cholerica.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Nostra quidem ætate omnes acutæ & continuæ febres, quæ præcedente rigore, cum ingenti æstu, siti, anxietate & pulsum celeritate junctæ sunt, vulgo vocari solent ardentes, Germanis hitzige Fieber. Quin ipse artis parens, Hippocrates, omnium febrium originem, ex bile plus, minus, vitiosa & meraci deducit, nec sanguinearum, nec synocharum facit mentionem, sed in scriptis suis, febres fere omnes continuas, in-

Arden-
tes &
conti-
nuæ
plerū-
que co-
fundū-
tur.

inflammatorias, item synochas, tam simplices, quam compositas, putridas quoque & malignas, appellat ardentem. Nihilominus tamen insignem inter has febres esse differentiam, luculenter omnino attentam observatio incurfus, symptomatum & decursus singularum, nec non curandi ratio diversa, docent.

S. II.

Ardens
febris
quid
proprie.

Ardens itaque febris, Græco nomine caufus, strictè & proprie dicitur illa, quæ cum ardente & igneo quasi calore totius corporis atque siti inextinguibili, lingua simul arida, fissa & nigra, junctâ. Binos hos enim pathognomicos causâ esse characteres, veteres volunt omnes, & ob id torridam etiam hanc febrem appellarunt atque urentem. Hippocrates lib. de affectione. p. m. 167. ita succinctè describit ardentem: calor fervidus, sitis foris, lingua aspera ac nigra, color subbiliosus, & sputum biliosum. Sed Aretæus, exactus historiarum morborum scriptor Lib. II. cap. IV. hanc sistit pleniorē descriptionem: ignis passim acer & tenuis est, sed intus maxime spiritus tanquam ab igne calidus: aeris vehemens attractio, frigidi cupiditas, lingua arida, in labiis, & cute squalor, algent extrema, locum quam biliosissimum, insomnietas, arteriarum motus crebri, parvi, imbecilli, oculi puri, luculenti, subrubri, facies colorata. Quod si morbus ulterius crescit, omnia majora & saviore fiunt. Arterię minimis motibus, & creberrimis agitantur, ignis aridissimus & acerrimus, mens delirant, neminem agnoscit, siticulosi fiunt, omnia frigida atrectare cupiunt, parietem, vestem, pavimentum, humorem. Manus frigent, sed palme perquam calide, ungues livide, spiratio crebra est, & rosicidus humor circa frontem & jugula.

S. III.

Differt
ab aliis
conti-
nuis.

Hæ ardentem proprie sic dictæ febres, multum differunt ab aliis continuis. Nam in synocha, tam simplici,

quam composita & cacoehymica, non tam acris & ingens calor est, neque tam inexhausta sitis, sed æstus mitior cum madore quodam. Synocha magis invadunt sanguine plenos, habitus laxioris, laute viventes, idque potissimum tempore verno ac in regionibus temperatis; sed causi adoriuntur macilentos, biliosos, sensibiliores, generantur sub tempestate calida siccâ diuturna, & regnant maxime in locis calidioribus. In ardente porro, secus ac in aliis continuis, facies flavescit, vomitio, vel conatus vomendi cum fastidio ciborum adest, urina flammea, intensius bile tincta mingitur, & per alvum biliosa foetida multa exturbantur. Tum id quoque peculiare habent febres ardentem, & quæ a copia & acrimonia bilis subnascuntur, præ aliis continuis inflammatoriis, item sanguineis & malignis, ut diebus imparibus & circa tertium exacerbentur, paribus autem remissiores sint, id quod etiam observatur in tertianis continuis, cholericis, nec non in illis, quas veteres tritaëphyas dixerunt, quæ tertio die sine horrore, & rigore periodico exasperantur, qualis observatur in hemitritæis, sive semitertianis. Accedit, quod febres, quibus sanguinis puri, sive impuri copia complicatur, sæpius quarto statim die solvantur, sudore, vel hæmorrhagia larga, sub facie rubicunda, quum ardentem demum circa septimum diem post rigorem, vel criticum, sudore, vel symptomaticum inflammatio- ne ventriculi, duodeni & partium, ad quas biliarii ductus pertingunt, funesta, terminentur. Demum ratione curationis adest discrimen. Ardentem quippe potum frigidum, ceu præstantissimum auxilium ferunt, sed non ita aliæ continuæ & inflammatoriæ, multo minus malignæ & putridæ. Sanguinis missio in febribus a sanguine in non minimis vasib; stagnante oriundis, item inflammatoriis, præsertim quæ occupant partes.

synocha

& in-
flam-
mato-
riis.

& viscera sanguinea, summo opere est necessaria, in ardentibus autem veris & exquisitis, eadem non opus, ut potius noceat.

§. IV.

Rarior
est apud
nos sim-
plex &
vana.

Sed simplices ejusmodi & exquisitæ ardentes febres, frequentissimæ quidem fuerunt & sunt in Asia, Græcia, Ægypto ac Italia, & ob id a priscis medicinarum parentibus, Hippocrate, Galeno, Aetio, fuscæ & accurate quoad prognosin & medicationem descriptæ. In temperato autem nostro climate oppido sunt raræ, ac non nisi a liberaliori potu vini spirituosius valde, æstate ardente, motu & exæstuatione impensiori animi corporisque, & cohibita perspiratione, suscitantur. Nostro potius sub cælo & inter nostrates familiares magis ardentes sanguineæ, sive synochæ biliosæ, item cholericæ febres.

§. V.

Ad fre-
quens
ardens
sanguis
æta.

Synochæ autem biliosæ nobis dicuntur illæ, quæ sine præcedente singulari horrore ac rigore, cum magno ardore, siti, vigilia, anxietate & inquietudine, in corporibus sanguineo-cholericis, copia sanguinis calidi & biliosi refertis, oriuntur, & diebus imparibus, seu criticis, antecedente rigore quodam, terminantur in salutem, vel mortem. In salutem quidem solvuntur sudore, vel ut plurimum hæmorrhagiarum. Hæ enim sunt ardentes illæ, de quibus Hippocrates lib. I. epid. com. 2. notavit omnes ex iis evasisse, quibus sanguis e naribus aut aliis viis effluxisset, reliquis, quibus id non accidisset, pereuntibus. Quando vero funestus eventus, desinunt vel in partium nobiliorum, meningum maxime, pulmonum, ventriculi & intestinorum inflammationem lethalem, vel in lethalem synopem, ob sanguinem in dextro cordis ventriculo collectum, stagnantem & demum congruatum.

§. VI.

Et cho-
lerica
febris.

Alterum nostris familiare ardentis complicatæ genus cholerica febris.

Hæc etiam intenso æstu, siti, angore & inquietudine aggreditur, sed cum vomitu, seu perpetuo conatu vomendi, dejectione biliosa & copiosa, extremorum frigore, ardore interno, & anxietate cardialgia jungitur. Sed merito etiam cholerica hæc febris distinguenda in acutissimam, & minus acutam. In illa longe major est symptomatum vehementia, dejectiones biliosæ, per superiora & inferiora copiosissimæ, junctæ cum cardialgia etiam synoptica, & plerumque ante septimum diem necant vehementi ventriculi & intestini duodeni inflammatione, cujus indicia vehemens circa præcordia & fixus igneus ardor, cum extremorum refrigerio, summa inquietudo & anxietas, singultus & eructatio bilis & salivæ liquoris copiosa, icteritius faciei color, nec non facies cadaverosa, sic dicta Hippocratica. Nonnullæ non adeo acutæ, sed longius extrahuntur, ita tamen, ut subinde remissione, vel plane intermissione quadam interpolentur, & vel quotidie vel tertio quovis die, cum vomitibus, anxietatibus & refrigeratione iterum exacerbentur, merito ob id quotidianæ, seu tertianæ continuæ, vocandæ. Sed hæc ipsæ, nisi congruis cito succurratur auxiliis, in lentas febres perquam facile degenerant, & stomachi diuturna vitia, dolores pressorios, ructus, inflationes, ob erosionem ventriculi, aut duodeni, a mordaci bilioso succo, vel superficietenus, vel profundius factam, inferunt.

que vel
acutissi-
ma.

Et mæ-
nus ar-
cuta.

§. VII.

Ad causas & generationem harum febrium quod attinet, illa quidem exquisitè ardens, qua summo fervore & incendio, cum linguæ siccitate & siti clamosa, tam partes internæ, quam externæ, uruntur & exsiccantur, causam non habet aliam, quam celerrimam sanguinis & humorum agitationem, per fibroso-vasculosam totius corporis compagem, partim quoad minima vascula obstructa, partim spasmum tensam atque contractam.

Causa
proxi-
ma ar-
dentis.

sub

sub quo motu attititio solidorum ad fluida & fluidorum ad solida, intestinus partium sulphurearum quoque augetur, unde inflammatorius calor, fluidas diffans atque consumens, & solidas siccans & adurens, enascitur. Hic vero æstus in corporibus sanguine & succis plenis, ob fibrarum molliem & laxitatem, lenior est atque remissior, ac febris emergit mitior ardens, minus exquisita, in qua non tam impensa cutis & faucium siccitas, neque etiam sitis adeo urgens. Et in illa ardentis specie, quam cholicam diximus, non tantum, ob partium salino-sulphurearum in succis redundantiam, & minima non nulla vascula angustata & obstrueta, celerior est motio, verum etiam succus biliosus copiosus in hepate secretus, ac in duodenum & ventriculum effusus, acrimonia & mordacitate sua, nerveas tunicas acrius sollicitat, lancinat, arrodit & inflamat, ex quo symptomata huic febris propria, ardor, anxietas, cardialgica, nausea, vomendi conatus, impetuosæ per superiora & inferiora biliosæ dejectiones.

§. VIII.

Omnia igitur, quæ sanguinem exæstuant, & uberi particularum sulphurearum in sanguine proventui favent, liberum quoque ejusdem per nimiam partium vascula transitum retardant atque impediunt, ad generationem ardentium febrium faciunt. Hinc est, quod iisdem præ reliquis inprimis pateant, qui biliosæ constitutionis, strictioris habitus, potibus spirituosus indulgent, crebrius animo, præsertim ad iram moventur, corpusque vehementiori motu exagitant. Neque minus inde ducenda ratio, quod sub cælo calido & in locis meridionalibus frequentissima sit ardens exquisita, nec non quod apud nos, post diuturnum solis æstate sicca fervorem, succedente autumno frigidior aura, crebrius incident, quin epidemice quandoque cum diarrhæis biliosis, dysenteris, tertianis duplicibus & conti-

nuis cholicæ grassentur febres. Quæ autem ingenitam his ad concipiendum hunc morbum dispositionem effectui dant, sunt maxime perspiratio cohibita & vehemens ira. Nimirum quando succi calidis sulphureis particulis scatent, harum vero per vascula minima exhalantia diffusio, sive per aerem crassorem frigidum, sive impropriadam refrigerationem, intercipitur, manent intus, intestinum motum suscitant & febrem accendunt. Vehementis autem iracundiæ in corpore effectus, ut non tantum in universo systemate nervorum ac vasorum motus intensioem & rigidam spasticam stricturem inducat, sed & præcæteris in ductus nervoso-musculosos biliarios agat, eorumque motum peristalticum fortiter augendo, ex toto systemate horum canalium exprimat biliosum succum, eundemque in duodenum tradat copiose & impetuose. In quo flexuoso sinu dum stagnat, cum salivalibus succis & acidis cruditatibus mixtus fermentescit, eoque mordacem & tantum non causticam indolem acquirit, cujus index est color viridis eruginosus, qualis a commixtione bilis cum spiritu acido corrosivo, ut oleo vitrioli & aqua forti, emergere solet.

CURATIO.

§. I.

In medicatione probe distinguenda ^{Sanguis non indifferens} diversæ ardentis species & corporum ratio habenda. Nimirum quando ardentissima est febris in corpore bilioso, ^{severius mittendus.} macilento, sanguine & succis minus pleno, non habet locum sanguinis missio. Neque etiam eadem admitenda in febribus cholicis, tam acutis, quam intermittentis typum fervantibus, & cum numerosis dejectionibus per os & alvum, summa præcordiorum anxietate & extremorum frigore stipatis. Sed ubi juncta ardentis sanguinis plenitudo & febris est nostris frequentissima, quæ ex veterana denominatione synochus biliosa, si-

Causæ
antecedentes.

ve putrida, recte dicitur, nunquam non perneceffaria est ac utilissima sanguinis conveniens, sufficiens, & pro ratione virium & vasorum amplitudinis, proportionata missio. Hac enim facta, non modo vehementia febris & symptomatum multum frangitur, sed brevis etiam & felix eventus, cæris paribus, sperandus. Contra ea experientia docet, gravius semper & periculosius decumbere hac febre, scæminas inprimis & sanguine abundantes, si in principio omiffa sanguinis subtractio. Tum enim natura ipsa superflui sanguinis excretionem, per nares potissimum, molitur, quod si non critico & convenienti tempore fit, non sufficienter succedit, sanguinis in vasis cerebri subsequitur stasis, phrenitidem valde periculosam membranarum cerebri inducens.

§. II.

*Æstus ac
sitis tem-
peranda
frigido
potu.*

Post sanguinis missionem omni studio eo annitendum, ut igneus iste totius corporis æstus cum immodica siti & faucium ariditate, removeatur iis, quæ æstuosam illam partium sulphurearum agitationem figunt & temperant, ac præterea fibrarum rigidum spasmus laxant, & humores in vasis minimis stagnantes diluunt, fluxiles reddunt & obstructa reserant, ut æquabilis & liberior fiat per loca convenientia & vasa transitus. Hunc in finem veteres omnes dilaudant potum frigidæ aquæ. Hippocrates de affect. §. 2. in ardente febre dandas præcipit potiones frequentes & paulatim quam frigidissimas. Aretæus lib. 2. c. 4. si biliosus, ait, vomitus & distensio, adest fastidium, anxietas, virium labefactatio, tunc frigide aquæ cyathi duo vel tres propinandi sunt ad ventris adstrictionem; facile enim frigida in ventre incalescit. Neque minus Galenus meth. med. lib. 9. cap. 5. præter venæ sectionem, potionem frigidam impense laudat, adjecta ratione, quia extinguit febrem & naturam robustam reddit, ut deinceps per alvum & sudorem expellat, quæ noxia sunt.

Idem sentit Celsus, lib. 3. cap. 7. si, inquit, in summo incremento est morbus ardens, utique non ante diem quartum, magna siti accedente, frigida aqua copiose præstanda est, & ad satietatem danda, qua pro medicamento utuntur. Ubi factum est, multa veste operiendus & collocandus, ut dormiat. Fereque post longam sitim & vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur, idque præsentissimum auxilium est. Has tamen subnequit cautiones, sed in his tantum, in quibus præter ardorem nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens, vel in pulmone, vel in faucibus, non ulcus, non defectio, non profluvium alvi fuit. Si quis vero in huiusmodi febre leniter tussit, is neque vehementer sitire debet, neque aquam frigidam bibere. Accedit Alpinus med. meth. lib. 2. ita habens: in continentibus febribus vehementer æstuosus, medici omnes largum potum, algida aqua exhibere fuscunt, quia calorem nativum concentrat, ut statim inde sitis & calor cesset: roboratur inde totum corpus & aqua epota digeritur & plerumque largissimos sudores frigida aqua potus suscitatur, non nunquam vomitus biliosus fiunt, & aliquando per alvum copiosi humores profluunt, & urinam copiosam excitat. Mirabile est, concludit, quomodo tale præsidium has febres expugnet; nam excretionibus, quas aqua suscitatur, hæc febres finiuntur. Idem auctor Ægyptiis hoc in usu, quin inter secreta fuisse de Med. Ægypt. lib. 4. cap. 15. tradit, aliqui, scribens, pro secreto habent synochas & ardentes febres, multam aquam angarill (quæ cucumeris species) egrotis propinantes, sanare, si modo febricitantes iis multis diebus in cibo ac potu sola utantur. Alii tempore vehementioris æstus, largius frigidam potandam concedunt, quæ epota, egros multis pannis contegentes, sudorem procurant, quæ non paucos audio ibi sanatos fuisse.

§. III.

§. III.

Vel poti-
bus aliis
refrige-
rantibus.

Nec immerito tam magnifice de frigida potu in ardentibus sensisse veteres, uberius testatur & ratio & experientia. Nisi enim ventriculus, vel aliæ internæ partes jam vera inflammatione affectæ, nec summa cum extremorum frigore anxietas, neque etiam pulsum contractio & sanguis deficiens adsit, utique, aqua bonæ notæ, subfrigida, non prorsus gelida, haustu, non simul & semel, largiter tamen pota, egregie prodest. Nam frigus in humido æstuosum nimis partium sulphurearum & ætherearum in sanguine motum obtundit, fibrasque remissiores adducit, nimiumque distentis contractilitatem & elasticitatem justam reddit. Neque etiam a frigore noxa timenda, quia frigidum, successivis haustibus corpus subiens, a calore interno tepescit, qui humidus tepor ad relaxandas spasmo contractas fibras, & succos in minimis stagnantes expediendos & fluxiles reddendos, apprime proficuum, ut hinc sudor & urina copiosius fluant & alvus moveatur. Sed quum in septentrionalibus nostri regionibus admodum raræ leves ejusmodi, puræ & subtiles atque, reperiuntur, coctione & admixtione congruorum corrigendæ utique. Ipse Hippocrates aquam cum hordeo coctam jam in ardentibus laudat. Et Avetanus aquam cum lacte mixtam in cholera commendat. Qui nostratibus proficui deprehensi frigidi potus, sunt maxime, julapia, ex aqua fontana cum succo citri & saccharo, nec non ptisanæ ex rasura cornu cervi, radice scorzonæræ, cum syrupo acetositaris citri, vel julepo rosarum & spiritu vitrioli, conditæ, item aqua cum frusto panis cocta. Huc quoque referendum serum lactis dulce, vel acidulum, cum succo citri coactum, item aquæ minerales temperatæ, quo nomine celebres acidulæ Selterianæ, Antonianæ & Wildungenses.

§. IV.

Ad obtundendam tandem & con-

temperandam, in choleris potissimum febribus, acrimoniam acidam causticam succorum biliosorum in ventriculo & duodeno stagnantium, spectatæ virtutis ex compositis pulvis Marchionis, maximeque pulveres absorbentes, quæ commodissime ingrediuntur terrea teneriora, lapides cancrorum, mater perlarum, conchæ præparatæ, cornua & ossa philosophice præparata, nec non ex commendatione Langii atque Cratonis crystallus montana. Nobilis quoque ad æstum extinguendum & intestinum motum componendum nitri virtus, quod his pulveribus cum fructu ob id subinde admiscendum. Sed necesse est, ut pulveres ejusmodi temperantes in sufficienti quantitate diluti vehiculi assumantur, crebrius etiam & convenienti tempore. Neque minus ex usu sunt diluentia ac demulcentia, emulsiones scilicet, ex amygdalis, seminibus quatuor frigidis, præsertim cucurbitæ, cum aquis florum, quæ paregorica simul virtute pollent, sambuci, rosarum, buglossæ, primulæ veris, tilia, liliorum convallium, nec non aqua cerasorum nigrorum. Conducunt quoque hoc nomine gelatinæ ex rasura cornu cervi, lac ipsum cum aqua mixtum, oleum amygdalarum dulcium, serum lactis dulce, item juscula ex pullis gallinaceis contusis & in vase clauso cocta. Et hæc utique remedia apprime proficua sunt ad arcendam inflammationem partium nervoso-membranacearum, quæ his morbis eventu demum accedit funesto, modo exhibeantur debito ordine, tempore ac dosi, cum judicio & observatis quibusdam cautionibus, jam subnectendis.

Cautela & Observationes
præctica.

§. I.

Sicut in curatione omnium acutarum febrium, ita maxime ardentium, & quæ ex inflammatione sunt, tutissima

Acrimonia obsu-
denda.

lima & optima methodus est, per totius morbi decursum, placide & moderate procedere, omniaque, quæ a temperie & moderamine, quoad pharmaciam æque ac dietam & regimen recedunt, evitare sollicite. Egregium inprimis hanc in rem est *Celsi lib. 3. c. 7.* monitum, ita habens: *etiam amplo conclavi ager tenendus est, quo multum & purum aerem trahere possit, neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus est. Possunt etiam super stomachum poni folia vitis in aquam frigidam tincta, ac ne nimia siti vexandus est.* Moderatus quippe & æqualis calor, in febribus hisce, ad materiæ morbiificæ correctionem, resolutionem, & ex corpore diffusionem, plus præstat, quam omnis, quantumvis pretiosa, medicina. Sed nihil vicissim perniciosius, quam fervido conclavi accendere, vel etiam abstinencia potus intendere, calorem immodicum, qui vires exsolvit, debitam vitiosi humoris a succis vitalibus, se & excretionem impedit, & humidum ad expeditum sanguinis & humorum progressum, & ad coarctata & repleta minima vasorum aperienda & relaxanda necessarium, absomit. Neque ea propter semper utilis, sed sæpius nocivus, in æstuosis hisce febribus, frequens potuum calidorum & infusorum theiformium usus. Multo vero magis detrimentum procurant ea, quæ calefaciunt, massam sanguinis commovent & positive sudorem movent. Deinceps non sine ratione *Celsus l. c.* commendat amplum conclave & aeris puri usuram. Nam sicuti subtilior & ætherea elastica in aere substantia, genuinum illud pabulum & fomentum est, quod virtutem vasorum elasticam vitalem systolicam & robur partium sustinet: ita aer multis humidis & pravis effluviis inquinatus, & ob id vi elastica spoliatus, vel sanis, tanto vero magis infirmis corporibus, adversus est atque damnosus. Neque aliam subesse causam arbitror, quod

Et aer
purus.

plurimi ex plebeis, quorum natura ad vincendum morbum aliàs satis valens, in febribus acutis pereant, quam conclavia angusta, humilia, & haud raro nimis calefacta, in quibus, præsertim quando plures decumbunt, aer morbidus & tetris halitibus gravis est, quem continuo hauriunt.

§. II.

Natura etiam febrium continuarum medicatrix optima: hujus motus igitur cum cura ab artifice attendendi. Exserunt autem hi sese maxime per rigorem, qui ex medulla spinali, cum horroris & frigoris sensu, venit, & certis temporibus, diebus maxime imparibus, dimidio quarti, septimo, undecimo & decimo quarto, accidit. Est quippe hic rigor non nisi affectio generis nervosi universi corporis spasmodica, qua sanguis & humores, ab exteriori corporis peripheria, versus interiora, cor, cerebrum & vasa majora, cum quadam vehementia pelluntur, eaque propter extrema refrigerant, interiora vero sanguine nimis replentur & distenduntur, unde pulsus contractus est, pectus angitur, faciesque cum vasis capitis turgescit. Quod si igitur post hunc rigorem, succi intus acti æquali renisu & auctiori cordis & arteriarum systole ad corporis superficiem repelluntur, sæpius tota morbi & causæ morbiificæ vis, uno impetu, per largum universi corporis sudorem, aut narium stillicidium, frangitur, penitusque eliditur. Sic procedens rigor salutaris est, criticus ob id recte vocatus, post quem arteriarum ictus æquabiles fiunt & molles, circulus sanguinis debitus, & vires cum somno redeunt. Sed ubi cordis & vasorum systaltica vis non tam valida est, ut appulsus sanguinem iterum extus agere possit, symptomatikus est rigor & malus. Tum enim nec corpus incalescit rursus, nec pulsus æqualis fit, nec sanguis per nares, nec sudor calidus universalis per poros, sed particularis & frigidus circa caput & collum, effertur, nec corpus cum

Nature
motus
atten-
dendi.

obscure. anno 1764

animo reficitur, nec somnus redit. Sanguis potius intus in minimis vasis im pactus subsistit, ac in cerebro phrenitidem & convulsiones, circa cor & pulmones, summam præcordiorum anxietatem, spirationem anhelosam, difficilem, viriumque ad animi usque deliquium dejectionem, facit, ut postea nono plerumque die mors excipiat. Quandoque etiam extra criticos dies accidunt ejusmodi rigores, sed hi pariter sunt symptomati, malumque præsigniunt eventum. Hi itaque naturæ motus, mortem, vel salutem, adducentes, probe a medente attendendi. In hoc enim præcipuum ad prognosin & tempestivum remediorum usum versatur momentum, quin totius doctrinæ practicæ fundamentum, quod optime tenuit primus artis parens Hippocrates, quod serio inculcarunt optimi & fidissimi hujus interpretes, Mercurialis atque Duretus, sed ex nostris norunt paucissimi.

§. III.

Quando sic natura motus instituit extraordinarios, quiescendum medico nihilque movendum. Abstinendum quoque plane a cibo. Et corpus tantum in moderato & æquabili calore conservandum. Si autem naturæ facultas ad expellendum sanguinem & excretionem efficiendas sola non sufficit, juvanda congruis auxiliis perite, sive interius analepticis & diaphoreticis temperatis, sive exterius derivantibus & discutientibus. Nam profecto nunquam magis, quam in periculosis & acutis morbis, summopere necessaria maximique momenti est temporis in agendo opportunitas.

§. IV.

Ubi igitur post rigorem incidit cephalalgia plethorica, cum incipiente mentis emotione & nares parum sanguinis stillant, epithema nobis usitatum, ex aceto & aqua rosarum, camphora in spiritu rosarum soluta, nitro & oleo ligni Rhodii, subfrigide, non modo temporibus, sed & melius

raso toti capiti, admotum, egregie se gerit refrigerando, discutiendo, & inflammationi resistendo. Idem hoc epithema, linteo triplicato lato, præcordiis impositum, ad levandam anxietatem, inquietudinem depellendam, & spirationem facilitandam eximii usus. Optimum tamen etiam auxilium ad arcendam phrenitidem expectandum a venarum in naribus, sive id fiat per instrumentum scarificatorium, sive intrusum culmum straminis, apertione, tepefactis simul & frictis pedibus atque femoribus, & data interius mixtura discutiente, diaphoretica & analeptica cum aceto stillatitio, aqua cinnamomi, rosarum, cardui benedicti, mixtura simplicis, cinnabari, lapidibus cancrorum & bezoardico minerali.

§. V.

Ad sedandam sitim & humectandas fauces aridas cum lingua, ego non præsentius vidi remedium, quam serum lactis dulce, in ejus mensura nitri puri drachma dimidia soluta, quippe quod crebrius, sed parvis haustibus subfrigide potum, æstum præternaturalem simul extinguit. Os quoque & fauces subinde eluendæ aqua, in qua rob diamoron & nitri sufficiens quantitas soluta. Præbere hæc etiam potest gargarisma. Injectiones vero per syphonem nunquam probo, quia valido attritu augent dolorem & inflammationem. Præterea ad præscindendam anginosam inflammationem, insigniter prodest linctus lente deglutendus, ex julepi rosarum uncia, nitri puri granis 15. & camphoræ granis tribus, in drachma una olei amygdalarum dulcium solutis.

§. VI.

Utut alvum purgantia, ratione docente & experientia monstrante, in febribus ardentibus, non nisi periculo præbeantur; e re tamen est, ut alvus semper sit libera. Sub morbo igitur hoc optime præstant glandes & clystares, ex solo lacte, melle & paxillulo

Non turbanda natura, sed juvanda.

Caput defendendum.

Sitis sedanda.

Alvus per se movenda.

lo nitri. Facta vero crisi & coctione, ex urina sedimento cognoscenda, alvum utique clementioribus laxantibus docere, tamarindinatis, mannatis, rhabarbarinis, passulatis & tartareis, expertissimum, quo vitiosi succi, in primis viis per ipsum etiam morbum geniti, exturbentur, ne novo morbo ansam & causam præbeant.

§. VII.

*Frigida
potus
utilis.*

Aquæ frigida potio, a veteribus eximie collaudata, heroicum hoc in morbo & magnæ efficacæ est remedium, eaque propter attentionem & circumspeditionem medici poscit. Supra tamen satis fusc jam expositum, cur & quando ex usu sit. Heic igitur monuisse sufficiat, nunquam simul & semel magnis hausibus præbendam esse frigidum potum, sed successive & crebro, nunquam in principio morbi, sed elapsis jam aliquot diebus; nunquam tempore accessionis, vel exacerbationis, vel etiam sub rigore & pulsu parvo, aut intermittente, nunquam nisi plethora prius soluta. Sed quando extrema calida, pulsus æqualis, celer & magnus.

§. VIII.

*Aerimo-
nia tem-
peranda.*

Si febris est cholericæ, acuta, admodum periculosa, ob succos biliosos mordaces nimium & corrosivos, nervos ventriculi & intestinorum tunicas arrodentes, celeri & efficaci auxilio est opus. Tum igitur consultum est, pulveres absorbentes ac temperantes, crebro & majori, quam alias moris est, quantitate, propinare cum diluentibus ac demulcentibus. Quo nomine ego nunquam non expertæ virtutis commendo pulverem ex lapidum cancrorum, matris perlarum, cornu cervi sine igne, crystalli montanæ, sive lapidis talci calcinati, ana drachma, nitri scrupulo, de quo singulis horis sumenda drachma una, cum emulsionis amygdalæ unciis binis, cui drachmæ duæ olei amygdalarum dulcium commixtæ. Ad impetuosas autem biliosas excretiones compescendas, præstabilis virtus est liquo-

ris nostri anodynæ mineralis, præsertim si cum aliquot guttis olei macis, essentificetur, & cum diluto vehiculo, vel aqua tantum frigida, propinetur. Quia enim nimis celerem systalticum, vel peristalticum motum in ductibus biliariis sistit, efficit, ut minor copia succi biliosi ad duodenum trudatur, & ob id copiosior excretio sistatur. Et certe his præstidiis, debito tempore, congrua dosi & mature usurpatis, & cholicam, & dysentericam passionem, brevi fuisse sublata, multis exemplis edoctus novi.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Summus quidam militum præfectus, quem vocant Generalem, quadragenario major, sanguineus & vividus, laute vivens vinique potissimum potui indulgens, ceterum bene valens, nisi quod vere & autumno, rheumaticis & catarrhosis defluxionibus affligeretur, potarat in convivio liberaliter vinum potens Hungaricum Tockaviense, ad mensuras minimum quatuor, eodemque plenas, vesperi sub cælo nubilo & frigido in vilam suam vicinam redierat. Redux factus, noctem insomnem & mire æstuans exegit, mane expertus calorem intensissimum, cum pulsu magno & celeri, cephalalgia, virium prostratione, faucium ardore ac siti. Bibit quidem infusum theæ, sed inde anxietas increvit, & vomendi conatus accessit. Sumsit pulverem absorbentem & nitrosum, sed symptomata persistenterunt. Admisit quoque venæ sectionem in brachio, sed sine levamine. Hinc vocatus ego quarto die, offendi ipsum ingenti æstu affectum, & summo opere conquerentem de ardore ventriculi ac siti. Illico igitur removi cerevisiam lupulata valde & spirituosam, male eo usque ad sitim extinguendam liberaliter datam. Annuit æger.

*Ardens
copiosus
potus ju-
lapii su-
nata.*

æger, ac enixe petiit haustum frigida. Ego vero sic cōcedere nolui, sed paravi julapium, ex aquæ fontanæ mensuris duabus, succi citri uncia, cum tantundem julepi rosarum, de quo successive biberet, & cum quo sumeret, binis quibusvis horis, pulverem ex matre perlarum, conchis, nitro & lapidibus cancrorum. Eger impatiens quatuor haustibus julapium ingurgitavit omne, tres etiam assunxit pulveres, ac inde refrigerium sensit internum, melius quievit & parum sudavit. Jussit itaque, ut denuo conficeretur julapium, ejusdemque mensuras duas intra aliquot horas me inscio ingessit. Inde vero incidit in effusissimum sudorem, sequutæ alvi dejectiones crebriores, somnus rediit, symptomata discussa & convalluit.

Epicrisis.

Veteres, & inter hæc maxime Galenus, Aretæus ac Celsus, aquæ frigida potum in synocha & ardentissima febre mirifice commendarunt, quin in hujus usu omnem fere salutis spem reposuerunt, hac tamen cum cautela, ne detur, ubi interna jam inflammatio, scirrhus, aut tumor œdematosus est. Ego quoque præstabilem simplicis hujus virtutem multoties expertus sum in choleris passionibus, ad temperandum bilis ardorem & acrimoniam, viresque languentes suscitandas. In nostro egregia pariter ipsius fuit facultas, maxime quod sudorem movit. Neque vero etiam nocere hoc in casu magna julapii quantitas potuit, quum sanguis a copia Hungarici vini vehementer exagitatus esset & quasi incensus. Etenim debet esse proportio quædam inter vim morbi & vires remedium, maximeque huic febre, perite monente Aretæo, magnum ac celer remedium opponi. De singulari autem aquæ effectu sudorifero notari in primis meretur Riverii testimonium Cent. I. obser. 19. ita habens: observandum a spiritu sulphuris, vel ejus loco spiritu vitrioli, cum aqua exhibitio,

sudores copiosos fuisse provocatos; quod multis experimentis nobis innotuit, qui plures tertianas curatas vidimus eodem remedio, in summo accessionis aestu & urgente siti exhibitio; unde copiosi sudores provocabantur, a quibus non solum paroxysmus, sed etiam totus morbus integre solvebatur. Minuenda tamen est in minori aquæ quantitate spiritus quantitas, ne nimium acefcat. Cæterum sicuti aquæ frigida potus & refrigerantia efficacissima in febre, quæ a sanguine propter spirituosorum abusum nimium exestuato accenditur; ita vicissim aquæ calide potus, in febre, quæ in sanguineo-pituitosis, ex obstitatis per aerem frigidum & humidum cutis poris inducitur, virtutis est longe saluberrimæ. Vidi ego sæpe plebejos, sub cælo pluvioso, nebuloso, & humido inter labores versantes diu & inde febre correptos, solo potu calido, ex aqua, cum carduo benedicto & scabiosa decocta, adjecto æquali mensura vino, & calide pota hac mixtura, sudore inde oborto, cito ac tuto morbum discussisse. Quod autem frigida etiam sudorem movere possit, ratione non caret. Nam expansum nimis vasorum elaterem adducendo, tonum & robur ipsis restituit. Calorem fervidum restringendo, impedit feri & lymphæ coagulum, quod ipsis a forti calore induci albuminis ovi exemplo constat. Tenaces autem succi, minima vasculorum excretoriorum obstruentes, liberam evacuationem impediunt. Frigidum quoque estuanti corpori immissum tepescit, tepidumque factum fluxilitatem humoribus conciliat & aridas exsuccas partes molliat.

OBSERVATIO II.

Generosissima fœmina 36. annorum, synocha sanguineo-cholerica, natura sensibilibior, animo in affectus prona, ingenio alacris & sagax, cæterum corpore nervosa & robusta, ciborum appetens & liberaliter cœnans, ob alvum ad-

*Synocha
caco-
chymica est
purpurea
sanguinea.*

strictiorem & collectas inde cruditates diu conquesta est de doloribus pressoriis & inflatione ventriculi ac hypochondrii sinistri, mensium quoque, ob uterum ex crebra & annua fere imprægnatione debilem, fluxum, ratione copiarum & temporis, non experta est legitimum. Ad tollenda hæc vitia multis quidem usa est medicamentis & medicis, sed sine levamine. Aquarum autem medicatarum potum, ob ventriculi imbecillitatem & atoniam, ferre potuit nunquam, melius tamen balneum ex aquis Tœplicesibus. Accidit interea, ut medio vere, post gravem terrorem & excandescantiam, præcedente levi horripilatione, incideret in febrem valde æstuosam, quæ sitim cum calore accendit intensissimam, somnum excussit omnem, viresque mirifice prostravit. Accitus primum medicus loci, qui venæ sectionem, ante sex hebdomades vix admissam, reiterare renuit. Quinto die vocatus ego, pulsus fortem & magnum deprehendi, cum æstu intolerando, anxietate circa præcordia, inquietudine, insomnia & dolore dorso. Pugnavi igitur adversus hæc symptomata diluentibus & refrigerantibus potionibus, pulveribus absorbentibus, nitroso-diaphoreticis cum succo citri permixtis. Fluxit inter hæc ex utero ichor cum sanguine, ad 25. horas. Sed septimo die incurrit horripilatio, extrema refrigerata, pulsus celer & contractus factus, facies turgida, oculi rutilantes & levis eogitationum aberratio visa. Exactis tamen duabus horis & data mixtura discutiente diaphoretica, ex aqua cardui benedicti, cerasorum nigrorum, theriacali, aceto destillato, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, cinnabari & syrupo acetositate citri, rediit calor per totum corpus ad pedes usque, pulsus increbuit, oculi splendorem rutilantem posuerunt, & per universum corpus fausto prodiit omne sudor, quem temperatis diaphoreticis & infuso

theiformi secundare iussi. Inde magna sequuta symptomatum remissio, & ægram in vado constitutam esse, visum quidem, sed quia somnus redire noluit, neque æstus penitus remisit, neque etiam vires restitutæ, non sufficientis & omnibus numeris absolutæ criseos fuit indicium. Nec vanus fuit metus: nono enim die, post lenem rigorem ex dorso, novus paroxysmus febrilis incescit, cum magna præcordiorum anxietate, intensiori æstu, inquietudine, spirandi difficultate, ita ut ægra corpus mirum jectigaret, & lectum subinde mutaret. Postero die purpura rubra cum alba comparuit, & collum totumque pectus obsedit, quæ congruis præfidiis excepta. Decimo die sanguis rursus profluxit aquosus ex utero, in abdomine oborta tormina, & per alvum feces liquidæ & biliosæ, postea etiam sine sensu, secesserunt, & luculenter prodiderunt gravem in intestinis inflammationem, eamque sphacelosam, quam præterea borborygmi in ventre post assumptum potum arguebant. Undecimo die, post perpetuas tandem vigilias mens alienari cœpit, pulsus reddi convulsivus, spiratio fieri anhelosa, subsequente paullo post morte, ob vim eordis & vasorum vitalem elasticam per morbum diuturnum & vigilias continuas fractam, nunc deficientem, adeoque naturam penitus succumbentem.

Epicrisis.

Febris hæc merito vocanda synocha cacochymica, sive putrida universi corporis inflammatoria, ex abundantia impuri sanguinis progenita, quæ, si viscera offendit minus integra, ut hic ventriculum & uterum, raro ex voto, sed plerumque funestum sortitur eventum. Ego vero etiam summo opere improbavi, sed tacitus, ne medicus primus malum nomen incurreret, ob factum, quod infectum fieri non poterat, quod neglecta in principio sanguinis missio in corpore plethorico & cacochymico, sub pulsus vehemen-

menti, duro & magno, unde etiam ipsa natura a copia sese per uterum liberare molita. Licet etiam septimo die criseos indicia comparuerunt, somni tamen & virium defectus, cum resistente calore, imperfectam eam fuisse prodidit, & latitare adhuc intus materiam perniciosam. Fuit hæc purpuracea, quæ teste experientia, in corporibus impuris cacochymicis, præsertim feminarum, sub declinatione febris continuæ succedere solet, criticis diebus, sed funesto plerumque eventu. Natura enim, siue potentia elastica cordis & vasorum, morbi vehementia jam debilis nimium, eandem minus vincere & expellere potest, unde de novo in minimis vasculis fiunt stases inflammatoriarum, tandemque mors excipit. Nostra in ægra insanabiles hæc inflammationes circa uterum & maxime intestina confederunt, easdemque dejectiones aquosæ cum torminibus, præsertim involuntariæ, ob secessum partium serosarum a sanguine coagulato stagnante, abunde satis indicarunt.

OBSERVATIO III.

Dux militaris quinquagenario major, sanguineo-cholericus, robustus, sanguine plenus, laute vivens, plus vini quam cerevisiæ bibens, in iram & vehementes animi affectus pronus, coelebs, sed veneri vagæ admodum indulgens, postquam ebrius vehementer excandisset, & postea cum concubina habuisset rem, incidit illico in febrem vehementissimam ardentem. Invasit hæc cum artuum tremore, junctæ fuit summa præcordiorum anxietas, æstus in pectore ingens, capitis dolor, somnolentia, nec non mentis emotio. Conquectus simul est de dolore lateris dextri, & quarto die exspuit tussi sanguinem cum pituita mixtum. Secta quidem fuit in principio vena, sed quia inde nullum levamen, vocarunt me. Erat autem æger, quum advenire, impatiens quandoque & irre-

Tom. IV.

quietus, quandoque somnolentia & torpore obrutus, sitis ingens, alvus adstricta, calor vehemens, urina tenuis flammea. Expensis cunctis, inflammationem ventriculi & pulmonum, ac minus faustum eventum sum suspicatus; ideoque ad contemperandum iterum illum inflammatorium æstum pro viribus adhibui præsidia. Clysmata scilicet emolliens & relaxans, ex sero lactis, melle ac oleo amygdalarum dulcium, cum momento nitri alvo injicere jussi ad uncias duodecim aliquoties, non tam ad purgandum, quam potius ad humectandas & relaxandas intestinorum tunicas, siquidem clysteres stimulo carentes, aliquoties injecti & diutius retenti, balneum quasi præbent internum. Deinceps quum pulverulenta averfaretur omnia, emulsionem conficiendam scripti, ex decocti cornu cervi mensura, amygdalarum dulcium uncia una cum dimidia & seminum quatuor frigidorum majorum ana drachmis duabus, additis aquæ ceraforum nigrorum unciiis binis toridemque rosarum, matris perlarum, nitri depurati ana drachma, julepi rosarum uncia una. Hanc intra aliquot horas ebibit, ac præterea ptisanam ex hordeo, rasura cornu cervi & scorzonera, tam avidè ob urentem sitim ingurgitavit, ut 24. horarum spatio vel septem ejus mensuras epotaret, idque per aliquot dies. Dedi etiam quandoque jusculum avenaceum cum aliquot cochlearibus olei amygdalarum dulcium. Et exterius thoracem dolentem atque præcordia inungere jussi linimento ex olei amygdalarum dulcium uncia, camphoræ drachma & extracti castorei liquidi drachma dimidia. His æstus restinctus, septimoque die urina turbata ac non nihil ad fundum dimisit. Accessit nono die diarrhœa, ut plus quam decies intra diem & noctem deiceret, cum levibus torminibus in ventre. Successit hic fluxus alvi per quatridduum, ac interea nihil sumsit, quam juscula confortantia carniū

N cum

Febris
ardens
sanguinea
copiosa
potius
sanata.

cum tantillo vini & macis. Sic felicissime febris soluta, eoque facto, vires redierunt cum sanitate.

Epicrisis.

Natura valens & robusta, congruis auxiliis adjuta, utique sæpe miracula præstat, seu effectus extraordinarios plane. Quare ergo non facile spem abjicere soleo, in perniciosis etiam & inflammatoriis febribus, quando ægri multum sitiunt & copiose commoda ingerunt liquida: in his enim magna vis, febres cum magno ardore junctas, sanandi. Nam fluxiles & dilutos reddunt spissos humores, qui obstructions vasorum efficiendo, æstum agent, liberamque exhalationem, tam in, quam extra corpus, interceptant. Aridas quoque & nimis rigidas fibras molliendo, febrem efficiunt mitiorem, & corpus disponunt ad excretionem. Nihilominus tamen prudenter etiam se gerat artifex in horum benignorum & innocentium remedium usu, & caveat, ne febrem, quæ naturæ medicatricis opus, quo auctiori sanguinis motu obstructions & stases viscidorum succorum dissolvit, intempestivo refrigerantium potu, nimium deprimat. Nam in febribus minus astuosus & corporibus phlegmaticis, diluentia liberalius data plus nocent, quam prosunt. Ubi vero æstus fervidus in sanguineo-cholericis, & massa sanguinis copia partium sulphurearum referta, largior liquidorum potus, modo ventriculus eum subigere possit, non nocet, sed præstans est medicina. Nisi enim in his nimius calor sistatur, vires brevi exsolvit, & lymphaticos humores incrassando ac coagulando, ipsam gangrænam partibus internis inducit.

OBSERVATIO IV.

Cholerica passio cito sanata.

Illustrissima scæmina tenera & exquisiti sensus 24. annuū haud ita pridem egressa, appulerat in Carolinis, potatura thermæles aquas. Sed quum tertio die ira percita esset, & cerasa

cum fragis avidius ingessisset, in prædio incidit in passionem cholericam. Vomuit nempe & dejecit copiose, intra diem & noctem plus quam vigesies, cum anxio æstu, & dolore circa præcordia, extremorum refrigerio, magna inquietudine corporisque jestigatione. Accersitus ego lac cum tantundem juris pullorum tepide bibere, binis quibusvis horis pulverem ex cornu cervi sine igne parato, lapidibus cancrorum & pulvere Marchionis, æquali pondere mixtis, ad drachmam unā sumere, & exterius abdomen inungere jussi totum linimento, ex tribus olei amygdalarum dulcium partibus una olei menthæ & dimidia olei macis destillati confecto, positis supra linteis complicatis calidis. His anxietates & tormina sublata, evacuatio per superius & inferius os imminuta, & intra triduum, addito pulveribus cortice chacarillæ, morbus facile & explicita curatione discussus.

Epicrisis.

Nil perniciosius est ira, si stomachus fermentescibilibus cibis fartus. Hic enim animi motus mox spasmus stringit stomachi & intestinorum tunicas, & facit, ut humores in hoc cavo hærentes, diutius detineantur, ac ipsa hac mora mutua quasi con fermentatione, indolem contrahunt sæpe tantum non venenatam. Tanto vero magis omnia hæc nocent, sub aquarum mineralium potu, quippe quo semper ventriculus ipsiusque systaltica vis infirmatur, ut dein eo facilius in ipso hære, & colligi possint incongrui succi, & cruditates. Hæc autem vehemens passio, a summa humorum acrimonia, ex viridescente vomitu ejectorum colore cognoscenda, suscitata, celerem opem & efficacem medicinam postulavit. Quare pleniori dosi & crebro data corrigentia & demulcentia. Et licet in principio ingestis largiter lacte subsequerentur vomitus caseosi, acidum in primis viis arguentes, insiti tamen hoc remedio, quo etiam effectum, ut vomitu ex-

tur.

turbata, poſtea nec viſcerent, nec coagulata eſſent, ſed liquida, muco & bile imbuta.

OBSERVATIO V.

*Cholerica
febris po-
ſtu aque
frigida
curata.*

Quum anno 1684. Mindæ Weſtphalorum medicinam facitarem, ætate ſicca & præcalida regnante, Chiliarcha generoſiſſimus incidit in febrem cholicam. In hac miris torquebatur anxietatibus, inquietudine, interno æſtu ac crebris dejectionibus, quæ ita vires proſternebant, ut aliquoties animi plane deliquium incurreret. Nil proficiebant pulveres terrei abſorbentes, cum momento theriacæ cœleſtis, nil diaſcordium *Fracaſtorii*, nil emulſiones ex decocto avenaceo cum amygdalis, nihil etiam exterius linimenta ſpirituosa. Tertio potius die excretionum vehementia & virium lapſu ad ultima ventum eſſe videbatur. Tum æger ob ardentem internum æſtum enixe petiit hauſtum aquæ frigida. Ego vero propinare renui, & ſuaſi, ut decoctum hordei cum raſura cornu cervi tepide biberet. Diſcedebam a ſumme debili & omnem fere ſalutis ſpem, irritis huc uſque cunctis, abjiciebam. Sed quum poſt aliquot horas redirem, incredibilem & repentinam interea accidiffe mutationem deprehendi. Neque enim amplius de anxietatibus, neque de tam magno virium lapſu, neque etiam de tanto interno æſtu conquerebatur, & pulſus quoque plenior & quietior mirabat. Æger autem me magnopere hæc omnia admirantem alloquebatur & conſitebatur, ſe ob ſitum intolerandam ſibi amplius temperare non potuiſſe, ſed ſive mortem, ſive ſalutem procuraret, bibiſſe primum vitrum majus unum frigida aqua plenum a miniſtro porrectum, & poſt dimidiam horam alterũ, ſicque menſuram aquæ ingurgitaſſe. Inde ſe mox ſenſiſſe virium quandam refectionem, adſtrictionis quaſi ſenſum in ventriculo, æſtus mitigationem & quietem, dejectiones moderatiores

cutimque antea aridam, & ſiccam nunc etiam madefcere. Nec male ceſſit poſtea experimentum, ſed æger aſſumptis juſculis confortantibus, ex carnibus cum macere, vires mox iterum recepit, & ſic præter omnium opinionem cito convaluit.

Epicriſis.

Notabile hac in obſervatione, nil profeciſſe præſidia, quæ corroſivam humorum acrimoniam, potiſſimam paſſionis cholericæ cauſam, obtundunt, ſed frigidum potum ægrum levaſſe. Ego quidem frigidam potionem roborantibus accenſeo, quæ non tam materiæ, ſed potius motuum vitio tollendo apta. Frigus nimirum tonum & elatorem partium vehementi æſtu & dejectionum copia valde reſolutum, fibras leniter ſtringendo, & adducendo, reparat, & hac ratione facultatem motricem tonicam, in qua virium robur conſiſtit, reſtituit. Eum enim frigoris eſſe effectum, ut fibrarum elasticitatem intendat, patet experimento, quo exciſo carpionis corde adhuc pulſante, ſyſtole illico ceſſat, ſi immittitur in aquam calidam, ſi vero iterum frigida injicitur, moveri rurfus incipit. Notum quoque eſt, corpora humana, ſub diuturna aeris auſtrina & humida conſtitutione, virium experiri reſolutionem atq; languorem, accedente autem ſub frigido & ſereno a ventis ex oriente ſpirantibus aeris habitu, illico in omnibus functionibus robur priſtinum recipere. Sed uti cuncta roborantia, exemplo martialium & famoſi corticis chinæ, cum magna prudentia uſurpanda ſunt, & non niſi correcto prius, tam quoad qualitatem, quam quantitatem, materiæ vitio, & meatibus ſatis patulis, neque etiam primis, ſed poſterioribus diebus: ita etiam id ipſum circa frigidorum potum merito tenendum. Heroicum potius hoc manet auxilium, nec credendum, quod uni, id alteri etiam prodeſſe. Omnis enim medendi methodus nititur exacta diſcretionem, non modo morbi, ejuſque cauſarum, ſed & indi-

viduorum, circumstantiarum & quodque temporum. Et quando his minus observatis salutaris subsequitur effectus, ad fortunam potius, quam artem referendus.

OBSERVATIO VI.

*Ardens
continua
in inter-
mittentē
tertianā
mutata.*

Fœmina honesta aliquot supra triginta annos nata, corpore robusta, biliosa & animo impatiens, plus inter cibos vini quam cerevisiæ bibens, medio Majo incidit in febrem ardentem exquisitam. Medicus ordinarius præbuit bezoardicam tincturam aliquoties intra aliquot horas. Inde pathemata exacerbata, anxietas scilicet, inquietudo, æstus, vigilia, loquacitas nimia, cum alvi strictura, accesserunt etiam tormina in ventre & deglutitio facta admodum difficilis. Die quarto sanguis quidem ex utero fluxit, symptomata tamen non remiserunt, sed accessit potius, quum incio medico largum vini haustum assumisset, leve delirium. Semper autem major mane, quam vesperi symptomatum fuit vehementia. Septimo die, præcedente horrore & rigore, animam agere videbatur, sub mente emota & respiratione cita anhelosa. Elapsis tamen aliquot horis, ad se rediit, corpus sudore distillare coepit, & incute, præsertim dorsum, comparuerunt maculæ rubræ, quas petechias esse crediderunt. Ego nunc in auxilium vocatus, suasi, ut alvus per sex dies clausa duceretur clystere, & mixturam ex aquis destillatis, cum aceto lapidibus cancrorum, mixtura simplici, mihi usitatam, propinavi. Hinc circa decimum quartum diem sensim remiserunt symptomata, & ad naturalem statum visa redire omnia. Præter spem autem hæc valde acuta & continua febris, mutata in tertianam intermittentem, quæ solito typo solitisque symptomatibus infestavit, post quatuor tamen accessiones, purgatis decocto mannato & tamarindinato primis viis & pulvere antifebriliu usu, mox discessit.

Quum etiam insequenti anno eadem hæc fœmina, eodem tempore, iisdem symptomatibus iterum afficeretur, administrata sub initium venæ sectione, adhibitis diluentibus potionibus & pulveribus salino-nitrosis cum clementer laxantibus, longe mitius decubuit, circa quartum diem febris in intermittentem concessit, mox pariter congruorum usu discussam.

Epicrisis.

Taxandus merito venæ sectionis in fœmina plethorica & vini potui assuetæ neglectus. Notandus etiam vulgaris admodum tamen perniciosus error practicus, quo primis statim diebus, liberali manu essentias bezoardicas & alexipharmacas porrigere susecunt plurimi ad malignitatem, uti stolidè putant, a corde pellendam. Hæc enim, si sanguis redundat, æstum inflammatorium magis augent & febrem graviolem ac diuturniorem reddunt, quin, si alvus simul diutius clausa, sanguinem nimium resolvendo, exanthema pariunt. Ego quidem hanc febrem in principio fuisse tertianam arbitror, ob intermissam autem sanguinis missionem & data bezoardica, factam esse continuam ardentem, ac tandem decimo quarto die deservescentem, naturam & genus suum repetivisse. Nam alias continua prima periodo in intermittentem cedere solet, sed heic id tertia demum periodo factum, procul dubio & in edici & ægrota culpa, quæ in ipso etiam morbo vinum habuit in deliciis. Id vero etiam notatu dignum, quod tertianæ paroxysmi non diu durarint, siquidem per priorem morbum jam corpus a pravis succis satis liberatum.

OBSERVATIO VII.

Senex septuagenario major, macilentus, sanguinis missionem nunquam per omnem vitam passus, a morbis etiam gravioribus immunis, nisi quod interdum vere & autumnu coryzæ & tussim humidam experiretur, Febr. mense, quo frequentes erant synocha catarrha-

*Febris
ardens
in senē
ex malis
curatio-
ne sume
Ha.*

les.

les, febre correptus est vehementi, cum pulsu magno, subdaro & veloci; adfuit sitis magna, & somnus defuit. Medicus consultus marasum senilem esse putavit, ideoque sanguinem non misit, sed ad sudorem movendum dedit tincturam bezoardicam & mixturam simplicem, pro potu suasit decoctum ex sarsaparillæ uncis duabus, radicis chinæ, scorzonæræ, cichorii & liquiritiæ ac corticis cinnamomi uncia, corticum citri uncia dimidia, & ad fauces aridas mulcendas linctum præbuit ex mucilagine feminis cydoniorum cum syrupo violarum. Sed nihil his profecit ac morbus in dies potius exasperatus. Undecimo morbi die vocarunt me, ubi ægrum offendi viribus penitus exhaustum, miro ardore æstuantem, cum lingua arida, fissa, nigra, & facie fere Hippocratica, conquerentem præterea de ventris torminibus & alvo fluxa. Candide igitur adstantibus illico edixi, inextinguibile esse incendium internum, ægrum moriturum brevi, quod etiam decimo tertio die factum.

Epicrisis.

Febris hæc fuit ardens, ex summo æstu, siti magna, lingua arida somnique defectu cognoscenda satis. Est autem hæc senibus plerumque fatalis: multum tamen differt ab ipso marasmo senili. Hæc enim hæctica species, mitiori æstu stipatur, diutius trahitur, nec intra 14. dies necat. Censendus autem merito medici error, qui præter sanguinis missionem, statim diluentia & humectantia cum, leniter diaphoreticis & nitrosis exhibere debuisset. Sic enim intra paucos dies, vasculorum minimorum a lento in senili corpore sanguine obstructiones, quæ inflammationis causa, facili tolli potuissent ratione. Notandum præterea ex hoc casu, linguam nigram in ardente febre plerumque prælagire inflammationem in partibus internis, quæ heic in ipsis fuit intestinis. In senibus enim ardentes

Tom. IV.

non facile transeunt in meningum, sed potius in intestinorum inflammationem. Linguae igitur inspectio his in febribus admodum necessaria, quam etiam Hippocrates multum commendat, qui *Coac. cap. 7.* habet effatum, quod in nostrum apprime quadrat: *lingua, quæ initis morborum rigidiuscula est, sed in calore manet, labentibus inde diebus exasperatur, livescit, & fit hiulea, mortifera. Ac certe calamitosissima est, nigra & virulenta.*

OBSERVATIO VIII.

Fœmina generosa 30. circiter annorum, cholerica, vegeta ac sensibilis naturæ, facie florida, sanguine turpida, ruri degens, post ingesta incongrua multa, iram & nocturnam refrigerationem, nanciscebatur febrem cholicam. Erat quippe æstus magnus, anxietas cardialgica, sitis vehemens, extremorum refrigeratio, corporis jactatio, per vomitum crebrius viridissima, & per ani secessum etiam liquida biliosa multa ejiciebantur. Remittebant quidem paulo post hæc pathemata quoad vehementiam, cutis incalescere & madescere incipiebat; remanebat tamen magna debilitas, cum pulsu languidiori ac celeriori, omniaque assumpta vomitu reddebant. Tertio etiam die, post levem inhorrescentiam, dicta symptomata redierant eadem vehementia omnia. Acciperat a medico pulveres ex lapidibus cancrorum, tartaro vitriolato & nitro, sed ab eorum usu majora in prima regione persenserat incommoda: hinc post tertiam accessionem me vocare jussit. Veni, ægram mire debilitatam & magnopere conquerentem offendi, quod nil neque ex medicamentis, neque alimentis retinere posset. Expensa igitur morbi natura & causa, vomitum, qui semper viridescens erat, a motu non tantum ventriculi, sed etiam ductuum biliariorum intensiori & spasmodico-convulsivo, componendum institui, & ob id liquo-

*Febris
cholericæ
tertianæ
typum
habens
sanata.*

rem meum anodynum mineralē, ternis singulis horis, ad 10. guttas in dimidia uncia aquæ florum tilie frigide exhibui. Sedata inde ventriculi subversione, dedi emulsionem & ptisanam, quam retinuit. Tertia die post redierunt quidem symptomata cum dejectionibus, sed longe mitiora fuerunt. Institi itaque diluentibus, emulsiuis, liquoris anodyni & pulverum absorpentium leniter nitroforum usu: noluit tamen penitus discedere accessio febris. Hinc post nonum demum paroxysmū, descendi ad usum electuarii antifebrilis ex cortice chinæ, floribus chamomillæ, rob sambuci & syrupo acetositaris citri. Quod quidem ne fieret, clam dissuasit primus medicus, ex eorum censu, qui chinæ corticem frustra perhorrescunt, feliciter tamen sublata febris & ægra perfecte convaluit.

Epicrisis.

Recte dicenda hæc febris cholericæ & quidem tertiana continua. In cuius curatione omnium maxime agendum id medico, ut humores acres caustici, primis in viis hospitantes, cicurentur, & obtundantur, simul atque ductuum biliariorum, nec non ventriculi motus spasmodico-convulsivus, bilem continuo extundens, sistatur, quo vomitus & sedes compescantur. Sic tandem ad febrilem etiam motum coercendum, sine damno perquam commode dari possunt specifica.

Notatu dignum exemplum legas in *Consul. Med. tom. 2. Sect. 4. cas. 198.*

CAPUT III.

De Febre Stomachica Inflammatoria.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Ex inst. matoris partibus stomachica. **D**antur febres ardentes & acutæ universales, ubi totum corpus æqualiter magno æstu & ardore sicco afficitur, propter inflammatoriam, in minimis vasculis, vel obstructis, vel spasmo contractis, statim, cujus ge-

neris sunt descriptæ modo synocha & ardentes. Dantur vero etiam ardentes particulares, quæ a certarum tantum partium, præsertim intestinalium & sensibilibus, inflammatione oriuntur, & magno cum dolore, ardore interno, æstu, ac functionum vitalium læsione stipantur, neque minus periculi alunt, quam quæ universum corpus occupant. Has inter præcipua fere & frequens admodum, parum tamen a medicis notata est illa, quæ in ventriculi & intestinorum substantiam cadit, veteribus epiale & lipeiria dicta.

§. II.

Est igitur stomachica febris, passio *Ejus de- finitio.* acuta, ardens & inflammatoria, oriunda ab inflammatione nervosæ & membranaceæ ventriculi substantiæ, universum nervosarum partium systema afficiens, & ob id admodum periculosa.

§. III.

Symptomata, individui ipsius committuntur, e quibus, ceu pathognomonicis signis, cognoscitur, sunt vehemens internum incendium, summa anxietas, dolor gravis tensivus in præcordiis, maximeque scrobiculi cordis regione, sitis magna, vigilia, inquietudo, corporis jactatio, extremorum refrigeratio, pulsus subdurus, contractus & frequens, vel etiam inæqualis, spiratio difficilis, creber conatus vomendi, & doloris ad omnia assumpta, maxime irritantia, & medicamenta, exacerbatio.

§. IV.

His etiam distinguitur ab aliis *Differen- tia.* quæ in stomachum cadunt, passionibus. In cardialgico quippe dolore, five cardiaca veterum passione, pariter quidem magna circa præcordia anxietas, dolor pressorius & acutus, usque ad dorsum pertingens, extremorum refrigeratio, assiduus ad vomendum stimulus, corporisque inquietudo, sed in ventriculi regione ardor non tam impensus, nec tanta sitis & linguæ ariditas, neque e-

tiam pulsus tam celer & contractus; melius quoque ferre possunt ingesta tam alimenta, quam medicamenta, spasmus, quam inflammatione ventriculi affecti. Erosio dein stomachi, quæ sæpius biliosas febres, choleram morbum, item iracundiam, excipit, caret febre, non tam subito infestat, sed successively, per intervalla tantum ingravescit, neque dolore tam ardente stipatur & diutius trahitur. Quæ autem in intestinis consistit inflammatio, habet tormina circa umbilicalem magis regionem, cum crebris dejectionibus fecu spumosarum biliosarum, aut leviter cruentarum, ætus quoque totam corporis superficiem, cum pulsuum celeritate & magnitudine occupans, major est, ac si ventriculus inflammatus, ubi extrema, manus, pedes & nasus, magis frigescent.

§. V.

Causa proxima. Causa inflammati ventriculi est sanguinis stasis, non tam in tubulis arteriosis & venosis, qui sanguinem ordinario vehunt, quam potius in lateralibus, qui ob angustiam diametri, non rubicundos sanguinis globulos, sed tantum tenuem lymphaticum humorem secundum naturam admittunt. Hinc etiam partis inflammata rubedo derivanda. Ardor vero & flamma quasi in ventriculo sensus fit, dum, partim affluens jugiter sanguis per canales semi obstructos, vel constrictos, majori celeritate fertur, partim etiam libero transitu exclusus ad ramos ampliores regurgitat, ibique crebriorem distolen facit ac systolen; unde magna accidit partium sulphurearum attritio mutua & calor maximus, qui eo sensibilior, quo magis exquisiti sensus membræ ventriculi nervosæ, in quibus consistit. Et dolor junctus tribuendus pressionem membranarum nervearum a minimis æque ac majoribus vasis nimium distentis, quæ inter tunicas nervosæ membranaceas collocata.

§. VI.

Quod autem liber & æquabilis

sanguinis cursus, per minima arteriarum & venarum intercipiatur, *Causæ antecedentes.* isque in exiliora aquosi tenuis humoris receptacula præter naturam impingatur, duplici ex causa accidit. Una, quando extrema arteriolarum venis connexa, a lentis, crassis & glutinosis sanguinis particulis obstruuntur; altera, quando vehemens fibrillarum nervearum strictura & spastica crispatura, capillares subtilissimos canaliculos, potissimum arteriosos, plus justo angustat atque coarctat.

§. VII.

Ob id in proclivi est judicare, ventriculum perquam facile posse inflam- *Et provocat causa.* mari, si sanguis, crassus præsertim & glutinosus, vehementiori corporis, aut animi, ab iracundia, commotione, balneis nimis calidis, potu spirituosorum & medicamentis sudoriferis exæstuetur, in vascula minima & angustissima impetuose impellitur, a potu autem superingesto frigido incarceratur & ad stasim cogitur. Neque minus facile patet ratio, quare vena corrosiva, infame potissimum arsenicum, acriora item emetica sibiata, nec non cathartica valentiora, stomachi inflammatione cito interficiant, dum caustica sua virtute nerveas fibrillas stringunt, vascula coarctant, sanguinisque progressum sistunt. Eandem ob rationem ventriculi inflammatione pereunt, qui peste, ardentibus, cholericis & dysentericis febribus, item ex vehementi ira, assumpto potu frigido, vel porrecto emetico, aut purgante, moriuntur. Idem accidit iis, qui variolis, morbillis, petechiis, purpura, podagra & scabie retropulsis decedunt, in quibus materia subtilis caustica ad nervosas ventriculi membranas relapsa, spasmus & constrictionem vehementem vasculorum inducit, sanguinis cursum sufflammanem. Opiata autem & narcotica, non alio modo, infirmos præsertim & debiles, necant, quam quod motricibus nerveis fibris stuporem infe-

rant, sanguinisque progressum sicstant.

§. VIII.

*Differt
gradu.*

Pro differente tamen harum causarum indole & agendi potentia, differt quodammodo inflammationis gradus. Nimirum, quæ a potu frigido corpori æstuant ingesto, item a bile per iracundiam commota & copiosius in duodenum effusa suscitatur, mitioribus stipatur symptomatibus, non tam facile necat, diutius trahitur, & datis inter initia congruis remediis promptius obsecundat. Sæviora vero & periculosiora sunt pathemata, quæ a venenis causticis, ab emeticis acrioribusque drasticis inferuntur, & celeriter jugulant, nisi cito efficacia opponantur præsidia. Et omnium deteriora illa est inflammatio, quæ senibus, infirmis, scorbuticis, & diuturno mœrore confectis, item in fine acutorum morborum accidit, ob succorum vitium inemendabile, & magnam virium impotentiam, medicamentis non tam facile reparandam.

§. IX.

*Eventus
funestus.*

Sed quando irrequieta est corporis jactatio, potus ingestus eructatur, singultuosa ventriculi & diaphragmatis convulsio accidit, animus deficit, facies comparat Hippocratica, pulsus intermittens est, mens emovetur, & artus convelluntur, funestum denuncians ex inflammatione sphacelosa facta eventum. Tum enim secto post mortem cadavere, non modo ventriculus admodum rubicundus, & lumini obtentus copiosissimis ramusculis sanguine turgidis distinctus comparat, sed & interdum passim multis nigris maculis latis & parvis obsessus, interdum in fundo cum duodeno & annexis biliaris ductibus ac pancreate, niger, foetidus ac putris, interdum etiam flatribus mirum distentus atque oppletus conspicitur, fluctuantibus simul in ipsius cavo aliquot cochlearibus foetidi & nigricantis ichoris.

C U R A T I O.

§. I.

Genuinæ periculosam hanc passionem sanandi indicationes eo tendunt: ut I. obstructions, a tenacibus succis, locis ac tubulis minus congruis impaetis, expediantur; II. ut vascula a spasticis stricturis coarctata amplientur & ipsi spastici motus componantur, quo liber, æquabilis, & naturalis sanguinis progressus per ventriculi substantiam restituatur. Quæ ut ex voto obtineantur, commodissimam locant operam diluentia, aquosa, humectantia, demulcentia, antispasmodica, æstum qui fluida incrassat restringentia, nec non fibras strictas relaxantia. Quum vero non una, sed plures causæ ventriculo inflammationem inducere valeant, prudentiæ medicæ est, pro diversitate causarum ad eas removendas medicationem dirigere, singulisque præsidia opponere congrua.

§. II.

Igitur, quando ab assumpto veneno acrimonia caustico, septico, arsenicali, vel acerrimo purgante, emetico, mercuriali aut metallico medicamento male præparato, inflammatio accidit, non certius, non tutius & celerioris efficacie est auxilium, quam demulcentia, oleosa, pingua, lac scilicet, cremor ipsius, oleum amygdalarum dulce, nec non olivarum, crebro & in copia hausta. Horum enim ea est virtus, ut tenuia causticorum intima fibrarum penetrantia spicula obtundant, involvant & quasi inviscant, simulatque fibras rigidas & vasa coarctata laxent, sicque spasmos horridos, inflammationis, symptomatum graviorum, ipsiusque mortis causas, sistant. Insuper hæc ipsa, mole sua ventriculum ampliando, salutarem hunc simul exerunt effectum, ut motus peristalticus naturalis, a spasmorum rigore sufflaminatus, restituatur, stomachus ad vomitum permoveatur, & cum hoc simul venenum dilutum
ite.

*Indica-
tiones
curato-
rie.*

*Acrimonia
causticorum
& biliosa
obstundenda.*

iterum extundatur. Si a bile acri corrosiva, ut in cholera, metuenda est inflammatio, tunc terrea, absorbentia fixiora & inter hæc maxime ossa & cornua philosophice, ut dicunt, præparata, cum decoctis gelatinosis, uti pedum vituli & vervecis, gelatina cornu cervi, decoctum hordei, avenaceum, cum, vel sine lacte, item cum oleo amygdalarum dulcium, ex usu sunt. Quando porro ab iracundia vehementi obortus in ventriculo spasmus inflammationem minatur, nihil efficacius est pulvere absorbente nitroso, cum liquore anodyno alternatim dato, vel in aqua quadam antispasmodica, vel emulsione ex seminibus frigidis, aut papaveris albi. Postea composito spasmio, ad educendas biliosas sordes, accommodatissima sunt rhabarbarina & passulata.

S. III.

Materia
exanthem
atica
consta
giosa
discu
tienda.

Quæ a retrocedente ex corporis superficie recrementitia acri materia imminet, vel jam inducta ventriculi inflammatio, depellitur optime emulsionibus ex semine cardui Mariæ, cardui benedicti, napi, quatuor frigidis majoribus, cum pulveribus bezoardicis temperatis, quibus subinde nitrum cum momento camphoræ addendum. Incomparabilem etiam his in casibus ad arcendas inflammationes efficaciam exserit, liquor noster anodynus mineralis, spasticas stricturas resolvendo, & dolores sine virium lapsu, vel torpore, quod aliis sedantibus opiatissolenne, sed potius refectione, complacans. In primis egregie se gerit liquor hic, quatuor partibus, cum una parte spiritus bezoardici *Bussii* remixtus, & parvis dosibus crebrius oblatus, ac dum stricturam solvit, sudoremque placidum movet, efficaciter materiam virulentam exanthematicam ab internis ad corporis superficiem agit. Si etiam miasma pestilentielle, aut aliorum contagiosorum morborum corpus subit, quod primario ac celeriter vim suam putredinosam & inflammatoriam ventriculo insinuat, illico lenis-

simum exhibendum emeticum, ac postea subjungendi pulveres blandi diaphoretici, cum nitro & pauxillo camphoræ, vel oleum bezoardicum *Wedellii*, ex uncia olei amygdalarum dulcium, in quo drachma camphoræ soluta, ad octo vel decem guttas dandum. Et iisdem his discutientibus quoque depellenda inflammatio stomachi, quæ aliis acutis morbis in statu supervenit.

S. IV.

Præterea exterius diro huic malo omnibus modis obviam eundum. Sed improbo, quæ vulgo stomacho admoventur calidiora, ut spiritus vini camphoratus, olea destillata in spiritibus soluta, emplastra quoque stomachica. Hæc enim calore suo humores stagnantes magis coagulant & exsiccant, quam discutiunt & in motum cient, eodem modo ac notum est, albumen ovi a forti calore indurari, a leni autem liquefcere in tenuem humorem. Quare ego quidem magno cum fructu multoties tepide tantum applicare jussi vesicam lacte cum floribus emollientibus & croco decocto plenam. Neque minus admodum proficuum censeo linimentum ex olei amygdalarum uncis duabus & camphoræ drachma, cum quo præcordia frequentius inungenda, & superius ponenda lintea calida. Egregium quoque ad discutiendum & sudorem movendum est epithema, ex acetosacei uncis binis, spiritus vini camphorati drachmis duabus, essentia croci, castorei ana drachma, nitri drachma dimidia, compositum, & tepide præcordiis admotum.

Exter
nis suc
curren
dum.

Cautela & Observationes
Clinicæ.

S. I.

Venæ sectio certum quidem & effica
x remedium in inflammationibus
partium & viscerum, quæ copioso san
guine referta; sed ubi partes nervæ ac
fibrosæ valde sunt, secundum veteres
fri-

Vene
sectio
non iu
vat.

frigida dicta, cujus generis intestina, vesica, & via urinaria, quæ vehementibus spasticis striculis patent, & uberiorem sanguinis affluxum non admittunt, vix usus ullus, sed potius damnum inde expectandum. Ad declinandam autem ejusmodi inflammationem, si a dolore gravi colico & cardialgia, nec non post iram imminet, corpus valde est plethoricum, juvenile, & vini potui assuetum, inter initia statim cum fructu admittenda sanguinis missio.

§. II.

Anodyna infecura. Sic etiam cavendum est in periculo hoc affectu ab omnibus sistentibus, anodynis, & præsertim quæ opium ingreditur. Nam hæc, cum sudoriferis mixta, in principio quidem arcere possunt inflammationem, quam atroces dolores ac spasmi minantur. Verum si adest inflammatio, & paullo diutius jam duravit, perniciosissima sunt, & mortem, sphacelum inducendo, accelerant. Quin neque tunc liquor noster anodynus mineralis, longe tamen tutior opiatis, ex usu est, neque etiam ipsa nitrosa, quæ aliàs in principio egregie resistunt inflammationi.

§. III.

Frigida & irritantia nocent. Quemadmodum porro nihil aptius ad inducendam inflammationem frigidus potus; sic etiam ad augendam si jam adest eandem, hoc nihil efficacius. Ob id etiam nitrum, quod liberalius sumtum admodum refrigerantis est naturæ, refracta dosi tantum, cum demulcentibus, lacte, vel emulsionibus, repetita vice dare expedit. In gravi autem cardialgico dolore, quem perperam tractatum facile excipit inflammatio funesta, sollicitè cavendam ab omnibus irritantibus, maxime emeticis, purgantibus, imò salibus sic dictis digestivis majori copia oblatis, quippe quæ spasmum magis intendunt, & malum exacerbant,

§. IV.

Possibile. Ira quoque gravis sæpe funesta inflammationis mater, quando mox post eam cibis, præsertim minus sa-

lubris & difficilioris digestionis, ingeritur, aut frigidus potus ingurgitur, Hoc vero ubi accidit, ad arcendum malum in principio nihil conducibilius, quam elicere vomitum, non tamen per valida emetica, sed aquam tantum tepidam, cum oleis ac pinguibus mixtam, & largius potam. Sic novi quosdam post vehementem iram pessime habuisse, & in propinquo fuisse inflammationem, usu tamen liquoris nostri anodynus, cum potu aquæ tepidæ, rejectos esse humores biliosos copiosissimos & morbum discussum. Sed de his aliisque in fontico hoc morbo tenendis, pluribus evolvi poterit dissertatio nostra, de inflammatione ventriculi.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Canonicum novi Halberstadii, robustæ constitutionis, ætate adhuc florentem, sub sanitate integerrima subito accito lethali ventriculi inflammatione affectum. Quum enim inter rixas ac jurgia vehementissime excanduisset, & paullo post vinum spirituosum, quod vocant Seçt, bibisset, insequentem statim die habuit pessime. Incredibiles quippe circa præcordia dolores ipsum torserunt, cum mira angustia & vomendi conatu. Ardor quoque ipsum excruciauit stomachi, & in ipso sensus fuit perquam molestus, ac si inhareret quippiam, quod exitum moliretur. Rogatum igitur a medico consilium, qui promte vomitorium ex sulphure antimonii aurato dedit: inde æger ter valide quidem, sed sine levamine vomuit. Adacta potius pathemata, pulsuum ictus parvi & fere imperceptibiles facti, frigidusque sudor malo omine erupit. Subsequuta mox mentis emotio, accesserunt convulsiones, & intra decem horas excepit ipsa mors. Cadavere dissecto, in ventriculo visæ maculæ plures, nigrae partim.

Et vomitorio post iram inflammatio ventriculi lethalis.

tim, partim rubræ, quarum nonnullæ altius in ipsa substantia consisterunt.

Ep icrisi s.

Quantum valeat ira vehemens ad concitandos in ventriculi regione spasmos, hæc uberius docet historia. In primis hunc animi affectum excipit ut plurimum gravis in illa regione compressio, in qua pylorus ac duodenum situm habent. Quin ipse hic spasmus haud raro ad ductus usque bilarios propagatur, ac ut bilis effusio in duodenum impediatur, & ipsa succis reasfundatur, facit. Hinc non infrequens observatio, iracundiæ succedere icterum, cui *Sylvius* jam recte non aperientia, sed anodyna & sopientia opponere suadet. Dum vero ira sursum etiam bilem trudit, os semper amaro sapore plenum, & constricto validius pyloro, vomendi fit conatus. Quum igitur tanta spasmodum post iram vehementia; ipsa sana ratio dicitur, vomitoria plane non convenire, eo quod teneras ventriculi fibrillas magis irritant, & spasmos augendo ad inflammationem pandunt viam. Mors autem tam subita in nostro, non tam inflammationi, seu causæ proximæ, adscribenda videtur, quam potius spasmio violentiori, qui totum systema nervorum & vasorum convellens, liquidi nervei influxum in cordis musculos etiam sufflaminauit, ita, ut quatuor mortem novissime antecedentibus horis, vix pulsationis vestigium fuerit observandum. Illa igitur intoleranda anxietas, quæ tam vehementem ventriculi spasmum excipit, non tantum nervosarum partium præternaturali constrictioni; verum maxime nimix distensionis dextri cordis ventriculi & arteriæ pulmonalis a nimium congesto sanguine debetur. Quod enim dolor est, a male affectis distentis nervosis membranis, id anxius etiam ille sensus, quando vasa sanguinea, præsertim circa cor & pulmones, valide diducuntur, & præter naturam afficiuntur.

Quum itaque nimia sanguinis copia, a spasmio ex partibus inferioribus ad ipsum cor, ejusque cameram, & auriculam dextram compellatur, ab ipso quoque hoc spasmio liquidi nervei sufficiens in machinam hanc motoriam, omnes vitales totius corporis humores circumagentem, influxus impediatur ac intercipiatur, quam facile intelligi potest mortis causa, quæ subinde tam subito, sine præcedenti sphacelatione, venenum assumptum sequitur.

OBSERVATIO II.

Balneator quidam ultra sortem, ut genius horum hominum, sciolus, femina tertiana laboranti propinarat antimonii vitrum in substantia ad octo grana. Aëgra assumpto hoc, accedente febre frequentissime vomuit, discedente tamen febre, vomitus etiam & dejectio iterum constitit, sed restitit virium lapsus ingens. Redeunte tertio die febre ejusque comite indivulso frigore, vomitus quoque & purgatio repetiit, summo cum dolore in scrobiculi cordis regione, & anxietate tantum non intoleranda, remiserunt hæc tamen iterum deservescere febre. Quum vero tertia fieret febris accessio, denuo etiam accessit vomitus, & comitem habuit dolorem stomachi omnium acerbissimum, & qui suprema instare non obscure significavit. Nec vana fuit suspicio. Paulo enim post summa inquietudo, extremorum frigus, animi defectio, artuum convulsio, ac postremo mors ipsa miseram feminam occupavit. Apertum cadaver, inflammata ostendit inferiorem ventriculi partem, maculis rubris & nigris passim, tam in duodeno, quam annexis intestinis, comparentibus. Et quod magis mirandum, virulentus vitri antimonii pulvis inhærebat adhuc tunicæ crustaceæ, ut vel manibus mortis causa posset tangi.

Ventriculi inflammatio ex vitro antimonii.

Epicrisis.

Similis fere est observatio, quam consignavit *Blasius*, de puella quinque annorum, quæ assumpto croco metallorum, vehementissime vomuit, & convulsionibus demum periit, in qua ventriculus angustus & contractus reperi- tus, ut vix ovum magnitudine æquaret & vesicula fellea præter morem tur- gida. In nostra vero observatione per- quam dignum, quod vitri antimonii virulenta spastica stricturas excitans facultas conquieverit, accedente in paroxysmo æstu & febris sine, & quod vicissim frigore rursus ingruente re- cruduerit, & effectum vehementer vomitorium exseruerit. Sed notum habetur, accessionem febrilem cum frigore & horrore spasmodis deberi, qui ex spinali medulla veniunt, totumque genus nervosum, atque adeo etiam ventriculum, afficiunt. His contrarius est motus ad exteriora tendens sub æ- stu, qui ob id spasmodum & convulsio- num quasi antidotus. Quod autem post paroxysmum quieverit operatio vene- ni, in universali lege motus micro- cosmica rationem habet positam: sci- licet valde vehementem, & diutius persistentem spasticam fibrarum stri- cturam excipere ejusdem partis affe- ctæ resolutionem & atoniam, sub qua actio veneni est frustranea. Ut adeo pateat, ad actionem veneni, æque ac medicamenti activi, requiri partium vitalium ad motum dispositionem.

OBSERVATIO III.

*Immi-
nens ex
arsenico
ventri-
culi in-
flamma-
tio di-
scussa.*

Hospes quidam admiscuerat iusculo ex errore loco sacchari arsenicum, id- que apposuerat convictoribus suis, quorum plurimi generosa, & nobili- stirpe sati. Vix degustarant jus, quum omnes pectore angi inciperent, circa stomachum dolere, cum labiorum tre- more & vomendi conatu. Advocarunt illico me, veni, & cognita mali causa, copiose ingurgitare iussi lac cum oleo amygdalarum dulcium. Vomuerunt

inde per dimidium diei strenue, qui- dam vel centies, semper tamen denuo ingerere iussi lac, donec nihil amplius veneni superesse videretur, & vomitus quiesceret. Sic evaserunt plurimi brevi & explicita ratione præsentaneam mortem; nonnullis tamen, qui lac & oleosa iusto parcius potarent, emol- lientes adhuc, & oleosos clysteres ad- hibere fuit necessum.

Epicrisis

Optima & præsentanea veneni an- tidoti hæc ex simplici, vili & dome- stico deprompta. Certe vix cuiquam credibile foret, in lacte & oleo tam notabilem latitare virtutem, nisi ex- perientia ita omnino esse demonstra- ret. Ea enim mentis humanæ indoles, ut exotica, pretiosa, & ægrius obti- nenda capter atque velit, domestica autem, parabilia, ubivis obvia, & vilia negligat & contemptui habeat. Sed divina sapientia abjectis hisce lon- ge nobiliorem & fructuosiore indit facultatem medicam, ac magno pretio, labore & artificio comparan- dis. Norunt sane in arte exercitati, sim- plicem aquam calidam, vel frigidam, lac, serum lactis, olea expressa, acetum, nitrum, terrea absorbentia, salia mi- neralia, ubivis reperienda, optima adversus longos, graves, atque rebel- les morbos esse præsidia.

OBSERVATIO IV.

Serenissimus Princeps, ætate flo- rens, sanguine & succis plenus, vi- num potens spirituosum liberaliter potarat, postera die corpus sub ven- tione ad sudorem usque largum vehe- menter commoverat, sicque æstuans & sitiens magnum cerevisiæ haultum ingurgitarat, frigida quoque auræ corpus exposuerat. Inde mox conque- stus est de horrore, languore, inter- no ardore, vigilia & inquietudine, cum vomendi conatu. Medicus acci- tus, tertianam intermittentem, tum popularem, subesse ratus, porrexit vomitorium, ex tribus tartari emetici

*Ex potu
frigido
& vo-
mitorio
inflam-
matio
ventri-
culi.*

gra-

granis. Hoc aſſumto ter vomuit maxima cum anxietate, quæ certis intervallis ita increvit, ut nullibi ſubſiſtere ac derineri poſſet. Aderat præterea virium proſtratio maxima, ut non ſine animi defectione erectus eſſe poſſet, pulſus emicuit languidus, irregularis, interdum celer, ex ore ſpiravit halitus mirum fetidus, mens tamen exacte ſibi conſtitit. Nocte mortem antecedente inceſſit ipſum horror ingens ac frigus, acceſſerunt convulſiones, & ſeptimo die ſyncope quaſi correptus obiit. Sectum eſt poſt mortem cadaver, in quo ventriculus ferme totus viſus inflammatus, & in ipſius cavo, quod omnium rarum, aliquot cochlearia feridi & corrupti ſanguinis, ipſe etiam ſtomachus expanſus, & corruptioni propinquus, ut ad levem attractum ipſa ſubſtantia dehiſceret. In venis, & maxime ſeparata ab hepate cava, nullus fere ſanguis repertus. Lien & ſiniſtra ventriculi pars, cum pulmonum lobo ſiniſtro, tota corrupta, nigricantia & foetida. Quumque ſpongia putridus ichor abſtergeretur, is adeo infecit ſpongiam, ut tota atro & nigricante colore imbueretur, nec calida, nec frigida detergendo.

Epicriſis.

Patet igitur, brevi tempore ſphaculoſa corruptione infici poſſe viſcera, uti heic ventriculum, lientem & lobum pulmonum ſiniſtrum, quæ atro colore & foetidiffima corruptione nares infecte feriente infecta. Sine dubio tamen, ventriculus primum ſphacelatus, viſcera infecit reliqua. Ad generationem autem huius morbi fecit non tantum hauſſus largus frigidus corpori calenti immiſſus, verum etiam improvida emetici aſſumtio. Nunquam enim certius & gravius damnum a vomitorio metuendum, quam ſi ventriculus & inteſtina graviore ſpafmo, vel inflammatione affecta. Mineralia quippe emetica virulenti quippiam alunt, quo in convulſiones & ſpafmos

ventriculi, & totum nervoſum genus abripiunt. Hinc peſſime agunt medici, qui tam temerarie ad ipſorum uſum descendunt, antequam ſedem, vel cauſam morbi exacte ſcrutati. Quod ſi enim poſt uſum ejuſmodi pharmaci ſymptomata ingraveſcant, & ventriculus deprehenditur inflammatus; juſta omnino hæc conſuſio: inflammatio aut jam ante emeticum fuit, aut non; ſi fuit, male datū emeticum; ſi non, ſubſequuta ſymptomata inducunt eam eſſe teſtantur. Internas demum partes eſſe inflammatas recte conjiciendum, quando virium magna eſt proſtratio, ut ægri facile animo deficiant, quando evaneſcente ardore exquiſito, conqueruntur de ſenſu frigoris circa præcordia, & ſaliva ſubinde eructat in os, quando borborygmi, & meteorifmi ſenſu percipiuntur ab aſſumtis liquidis in abdomine, quando demum oculos ob debilitatem claudunt ſubinde, & dormire videntur, poſtea vero de majori debilitate & anxietate conqueruntur.

OBSERVATIO V.

Femina quinquaginta, & quod ex-
currit annorum, ſanguineoplegmatica, corpore ſpongiola & animi ſic ſatis ſedati, omiferat ab aliquot annis ſuetam alias ſanguinis miſſionem, vitam quoque coluerat maxime ex parte ſedentariam, & tamen appetitui largius paulo indulſerat. Hæc gravius irritata corripiebatur ira, & poſt hanc languorem perſentiebat virium cum inappetentia. Poſt aliquot dies denuo iracundia commovebatur, ſimulque aſſumebat intrita panis cum cereviſia frigida. Inde mox horror ipſam inceſſit, inſequenti nocte ardor intentus, præcordiorum anxietas, inquietudo & punctorius in ſtomachi regione dolor, ad dorſum uſque excurrens, ruſtibusque exitum præcludens. Medici morbum colicam eſſe autumantes carminativa cum anodynīs dederunt. Perſeverarunt autem anxietas præ-

*Inflam-
matio
ventri-
culi de-
cimo
die le-
thalis.*

cordiorum cum maxima inquietudine per totum morbi decurfum; intervernerunt fubinde convulſivi quidam motus, cum manuum tremore, aquoſus humor in os eructatus, & pulſus antea celer ac fortis, in debilem & inaequalem mutatus. Quarto die neque de aſtu, neque etiam de ardore, ſed tantum de ſiti, & maxime quod exquiſitum frigoris ſenſum in cordis regione pateretur, conqueſta eſt. Hinc frigidum non appetit potum, ſed calidum ſemper, maxime inſuſum theæ forbilavit, ex quo tamen pejus ſemper habuit. Quæta quidem ſemper jacuit dormire viſa, non tamen dormivit, mens ſibi conſtitit, debilitas autem magis magisque increvit, alvus ſine clyſtere dimiſit nihil, nec ullum medicamenta exſeruerunt effectum. Septimo potius die acceſſit ſingultus, non refrigeratis prius extremis, per aliquot horas ſine ſenſu jacuit, ac demum placide exſpiravit.

Epicriſis.

Nullum omnino eſt dubium, quin morbus hic conſederit in ventriculo. Huius quippe nervoſo membranacea ſubſtantia paſſa eſt inflammationem, ex præcedente repetita iracundia, & ſuperingefſta frigida cereviſia. Et quoniam corpus fuit caeochymicum, ſuccis craſſis & impuris plenum, promta in ipſo fuit ſtaſeos ſanguinis geneſis. Factam autem eſſe inflammationem, horror, aſtus, anxietas præcordiorum, dolor pungitivus in ſtomacho, ruſtus intercluſus, & accedens demum ſingultus luculenter arguunt. Lentius tamen proceſſit & increvit inflammatio, ac demum in ſphacelum conſeſſit, quem frigoris in præcordiis ſenſus, ſumma debilitas, pulſus languidus & ſingultus prodiderunt. Notandum enim inflammationem lentius, vel celerius progredi, pro corporis differentia & differente cauſarum vehementia. In ſenſibilioribus quippe, & poſt venenum citiſſime fit & citiſſime decurrit; in phlegmaticis autem, ſenibus, ex iracundia, & refrigeratione lentius ſer-

pit & ſeptimo demum, decimo & longius die necat. Nihilominus cita ſemper opus eſt ope, eodem modo ac in ſphacelo exterius imminente. Neque ea propter dubitandum, quin in noſtra etiam, adhibitis tempeſtive congruis præſidiis, ſuneſtus averti potuiſſet eventus.

OBSERVATIO VI.

Vir, circiter quinquagenarius, ſanus, robuſtus & integer, poſt iram graviffimam, mox afficiebatur tremore, horrore ac refrigeratione extremorum, cum ingenti præcordiorum anxietate viriumque dejectione, noſtem etiam ſequentem, iifdem ſymptombus adhuc perſiſtentibus, tranſiſcebat, nauſeam percipiebat continuam & vomendi conatum, una cum laborū tremore & oris amaritie. His jaſtatus ab advocato medico importune flagitabat vomitorium, qui primum illud dare renuit, victus tamen continuis precibus, porrexit. Sed quia ſumto hoc bis vel ter tantum cum ſumma anxietate, & difficultate pauca bilioſa, & mucoſa vomuerat, ad uberioſam evacuationem aliam poſtulavit doſin, quæ ipſi etiam conceſſa: hinc autem non ita multo poſt in deterius verſa ſunt omnia. Adſuerunt quidem ſingultuoſi ruſtus continui, ſed nihil rejiciebatur, afflixit præterea inquietudo ſumma, oppreſſio, ſpirandi difficultas, intolerabilis ardens, & anxius dolor in epigaftrio, cum ex tremorum refrigeratione, pulſu parvo, & non nihil intermittente. Petitum tandem a me auxilium, qui accedens, ægrum extrema fere agentem inveni, ob ſpaſmorum vehementiam, quæ omnes fere corporis nervoſas ſenſui & motui vacantes partes occuparat. Hæc videns, expendi mecum, & quum a ſumto veneno arſenicali eadem ſymptomata oborta largiori lactis & olei cuiuſdam expreſſi potu feliciffime ſublata, laboranteſque tantum non e mortis faucibus ereptos, cognitum haberem, pariter lac-

Ex vomitorio & ſale purgante poſt iram mors.

bubulum tepidum, ſucceſſive, at copioſe, bibendum, ſuaſi. Inde inſigniter quidem atrocia hæc ſymptomata conquieſcere & per noctem remittere viſa, mane autem ipſe æger, inſcio medico, unciam unam ſalis Ebſhamenſis ad aperiendam, quæ firmiter clauſa erat, alvum, ſtatusque, & anxietates diſcutiendas ſuſcepit, peſſimo vero ſucceſſu: ſymptomata quippe priora reverſa omnia, atrocia longe majori, ut aſſumtis licet analepticiſ antiſpalmodicis, animam, intra tertium a ſumto primo emetico diem, eſſlaverit.

Epicriſis.

Vel hanc ob cauſam commemorable hæc obſervatio, ut medicorum quiſque inde diſcat, innocens alias remedium emeticum ſtibiatum, moderatori doſi, uti tartarus emeticus ad duo grana datus, pro certa diſpoſitione (ſpasmotica ventriculi, & partium nervoſarum, veri veneni vim habere, & lethalem effectum exerere poſſe. Quamobrem circumſpectus quilibet medicus, non tam promptus ſit ad dandum ejusmodi pharmacum, ſed prius ſcrutetur cum cura corporis ægrotantis cum ventriculo diſpoſitionem ipſamque morbi cauſam urgentem. Deinceps illa quoque utiliſſima cautio ex funeſto hoc caſu elicienda: ſalia neutra, eaque amaricantia, ut ſal Egranum, Ebſhamenſe, Sedlicenſe, ad deducendos efficaciter, & ſine moleſtia per alvum vitioſos humores egregia, tali in caſu, ubi primæ viæ ſpaſticis ſtriſturis tenentur, neutiquam eſſe proficua, ut potius noxam poſſint inferre, & graviffimam, & præſentiſſimam. Sed hanc in rem plura jam attuli in

Ventri-
culi, duo-
deni, pul-
monis
dextri,
diaphrag-
matis
inflam-
matio
lethalis.

Diff. de medicina emetica & purgante poſt iram veneno.

OBSERVATIO VII.

Juvenis viginti annorum, Iuris Studioſus, ſanguineo-cholericus, macilentus, & in iram levi ex cauſa proclivis,

ebrius ex largo vini potu rixas habuerat cum quodam, ac ſub hiſ excanduerat vehementiſſime, poſtea vero ſub cælo algidiſſimo veſperi traha veſtus fuerat. Domum delatus, prævi horrore, incidit in aſtum gravem, in quietudinem, præcordiorum anxietatem, ardore & pectoris in dextro latere dolore, cum magna ſpirandi anguſtia, & pervigilio. Irrito uſurpatis nonnullis, tertio die ſecta vena & ſanguis extractus craſſus ac niger. Nihilominus de internorum ardore perpetuas habuit querelas æger, ac ſimul ac quicquam aſſumſit, illico gravem perſenſit dolorem, ſcreatu materiam cruentam ejecit, pulſus fuit celer, debilis, quandoque plane intermittens, & increſcente indies virium lapſu, ſeptimo die e vita diſceſſit. Sub extiſpicio mox poſt mortem cadaver abominandum exſpiravit fœtorem, & ſcrutantibus mortis cauſam ventriculus ſefe obtulit mirum tumidus, inflammatus, ac in fundo, cum ipſo pyloro ac duodeno, niger, corruptus & putridus. Dexter quoque pulmonis lobus ſphacelatus comparuit, & fœda putrilagine affectus, una cum diaphragmatis portione gibbæ partis hepatis.

Epicriſis.

Quantum ebrietas, gravior ira & impenſior corporis refrigeratio valeant ad labefactandam ſanitatē, ſphacelum viſceribus internis inducendum & brevi necandum, hic utique teſtatum facit caſus funeſtus. Certe vix fortiſſimum venenum tam deleteriā obtinet facultatem, ut tam cito tantam corruptionem ſphaceloſam invehere queat. Sed adeo nonnunquam in tranſverſum aguntur mortales, ut cupiditatibus pravis obſecundando vitiaque ſeſtando, mortem ſibi procurent ipſi, tanto certius, quando tria, uti heic, ſimul uno tempore concurrunt atque conſpirant.

CAPUT IV.

De Angina.

Theses Pathologicæ.

§. I.

Angina
definitio.

Angina est inflammatio faucium, juncta cum ardente dolore, tumore, rubore, respirandi vel etiam deglutendi difficultate & febre, orta a sanguinis, vel feri visceris acris, in sanguineis, vel lymphaticis tubulis stasi, periculi non expers.

§. II.

Sedes.

In dignotione hujus morbi, locus ubi consistit, in primis notandus. Est autem sedes in faucibus, maximeque iis partibus, quæ pharyngem & laryngem occupant & constituunt. Hæc occurrunt plures numero, & maximi usus ac sensibilibus indolis partes: radix scilicet linguæ cum osse hyoide, narium foramina in os hiantia, œsophagi initium, musculi pharyngis, item laryngis interni, & externi, quorum numerantur tredecim, glandulæ porro majores & minores, tonsillæ, musculi maxillas moventes, vasorum sanguineorum & lymphaticorum, nec non teneræ nervorum propagines,

§. III.

Est vel
interna,
vel ex-
terna.

Prout igitur inflammatio alias atque alias ex his partibus tangit & occupat, gravior, vel levior est, & varia etiam sortitur nomina. Nimirum vetustissima est distinctio anginae generalis in interiorem, sive manifestam, & occultam. Illa in interioribus nervis & musculosis faucium tunicis consistit, & ob id neque in collo exterius, neque in ore, quantum visui patet, tumor & inflammatio conspicitur, sed ardor internus, febris acuta, in graviore casu non modo spirandi, sed & deglutendi difficultas, multumque periculi subest. *Arætaus* ita tamen describit, lib. I. cap. IX. lingua extra dentes & labia prominens, saliva effunditur,

pituita crassissima, facies rubicunda & inflata, oculi exserti, patentes, valde rubent, porus in nares refunditur, dolores acerbis sunt, sed strangulatione vexati, eos obscurius sentiunt, pectus & cor ardent, frigidi aeris desiderium adest, & admodum exigue inspirant, eo usque donec demum intercluso pectoris transitu strangulentur. Externa autem magis in oculis incurrit, & occupat potissimum musculosas & glandulosas externas partes, amygdalas, linguæ radicem & uvulam, facilius quoque discutitur.

§. IV.

Specialius ratione partis affectæ considerata angina, gravissima & periculi plenissima esse solet ea, quæ internis laryngis musculis insidet, & in qua exterius non rubor, nil circa cervicem aut collum observatur, sed interne ardens dolor urget, & ob angustatum asperæ arteriæ caput, vox non modo supprimitur, sed & spiritus difficilis redditur, quin quandoque plane præcluditur, & quidem tam celeriter, ut observatorum fide, haud raro intra viginti quatuor horas, vel tertio die necet. Græci hanc vocant cynanchem. Quæ autem ipsis synanche audit, internos pharyngis musculos occupat, pariter sine conspicuo externo tumore & rubore, majori deglutendi, quam spirandi difficultate stipatur, sed ingesta plerumque cum impetu per nares redduntur. Sed quando tumor, & rubor oculos & tactum incurrit, inflammatio, quæ externis pharyngis musculis incumbit, parasyanche, quæ autem laryngis, paracyanche a veteribus appellatur.

Cynan-
che &
synan-
che.Paracy-
anche
& pa-
rasynan-
che.

§. V.

Deinceps a practicis angina distincta in veram, sive exquisitam, & notham. Vera oritur a sanguinis stasi, spuria vero magis a congestionem feri, quam sanguinis inflammatoria, in faucibus & colli internis. Illa morbus acutus est, nunquam sine rigore & fe-

Vera i
vel
spuria.

& febre, hæc autem junctam habet febre plus lymphaticam, & catarrhalem, quam acutam. In exquisita non modo dolor ardens & pungitivus circa interiora faucium observatur, sed & lingua sanguine turget, obscuro rubicundo colore tincta, facies simul rubet, arteriæ temporales valide pulsant, quandoque cephalalgia, sopor, vel sensuum torpor jungitur, quandoque lipothymia accedunt, quin, si gravior, spiritus difficulter trahitur, anxietas est maxima, inquietudo, & extremorum refrigeratio. Citam hinc poscit opem, multumque periculi alit. Sed in spuria gravia hæc pathemata partim plane absunt, partim mitiora adsunt, minus etiam periculi, si rite tractetur, metuendum. Distingui porro angina potest in siccam & valde ardentem, & humidam aut valde mucosam. Illa fit a sanguine, cum febre valde acuta, uti dictum de vera. Hæc autem magis chronica est, febribus catarrhalibus associatur, cachecticis & scorbuticis familiaris est, atque etiam linguam & fauces crasso viscido muco cum oris foetore obducit.

§. VI.

Differt a prunella Omnes hæ anginae species merito discernendæ ab aliis faucium affectibus. Vera quidem & sicca non permittenda cum illa inflammatione oris & œsophagi mucosa, quæ vocari solet prunella alba. In hac enim muco albo tota faucium regio & lingua oblinitur, lingua fissuras dolorificas contrahit, & junctus est simul magnus ardor, qui usque ad præcordia pertingit, propterea que Germanis audit *die Hertz Braun*. Malignis hæc sæpe accedit febribus, omne plerumque malo, quia præsentem arguit ventriculi & œsophagi inflammationem. Neque etiam omnis faucium inflammatio est angina, sed ea tantum, quæ cum spirandi & deglutendi difficultate juncta. Hinc multum utique ab ipsa discrepat levior inflammatio colli, & internorum faucibus, cum tumore & dolore glandularum, quam nostri dicunt, *die hofers*

Tom. IV.

Halfe, quæ frequens admodum est scorbuticis, nec non si malum contumax cum erosione, lue venerea affectis. Vera quoque & interna angina discernenda a solennibus foeminis hysteriis & hypochondriacis spasmodicis, qui faciem constringunt, & respirationem æque ac deglutationem reddunt difficilem. Hi enim sine febre sunt, mox remittunt atque recedunt, atque etiam discuti possunt facile. *ab aphthis* Deum angina differt ab ardentibus illis & dolentibus in lingua pustulis, quas dicunt aphthas. Etenim in angina dolor & ardor latius sese diffundit & vicinas partes simul in consensum trahit, aphthæ vero certas duntaxat partes afficiunt, quibus pustulæ cum dolore, & rubore insident, neque tam familiarem habent comitem febre, quam angina.

§. VII.

Causa ipsius Causa igitur anginae proxima stasis, vel quandoque congestio seri inflammatoria in faucium internis eveniens, ad quam inducendam faciunt multa. Scilicet observatione constat, eandem frequentius incurrere, quibus evacuationes sanguinis spontaneæ per nares, uterum, hæmorrhoides, aut lochia, suppressæ, aut omisæ artificiales, per scarificationes, vel venarum sectiones. In his certe prompta ipsius genesis post impensio rem sanguinis commotionem, live per potum spirituosum inebriatam, live per validam corporis exercitationem, vel etiam nimiam vociferationem, præsertim in aere frigido factam. Observavi quoque a sumato fortiori sudonifero, admissio mox aere frigidiori, item a balneo nimis calido, post haustum potus frigidi, inflammationis anginosæ initia, quæ tamen adhibitis congruis internis & externis remediis, feliciter mox discussa. Neque minus frequens anginae generatio admissis in fauces acerbis, fibras vasque irritantibus impensius & constringentibus. Sic experientia teste, funesta sæpe faucium inflammatio accidit iis, qui conclavia calce recenter inducuntur.

habitant, in iisque dormiunt, quo quidem aliquando plures simul infantes enectos esse ego novi, ac idem notabili exemplo confirmat *Tulpius lib. III. cap. 41.* Eandem inflammantem venenis causticis inesse facultatem, inter omnes constat. Ex purgantibus, elleborus albus specifica quasi indole petit fauces, & strangulationem facit. Argentum vivum, præsertim male ex ipso præparata pharmaca, fauces male afficere & inflammare pariter constat. Et idem quoque de solano furioso, nec non morfu canis rabidi accidere, medicorum testantur observata. In primis arsenicalium etiam & mercurialium mineralium fumi, item vapores spirituum mineralium, idem hoc malum improvide hausti causantur. Horum quippe omnium subtilissima & magnæ penetrantiæ spicula altius sese musculis, qui cartilagine laryngis movent, insinuando, nervosas ibi tunicas stringendo, & liberum sanguinis per vasa transitum interceptando, tumorem ejusmodi inflammatorium, pulsatorium, cum dolore pungitivo, sæpius excitant funestum. Quod enim res acutæ pungentes, firmis hisce partibus inhaerentes, solam hujus affectus suppeditare possint causam, manifesto testantur spina piscium aut ossicula aspera deglutita & faucibus intrusa, a quibus tale malum sæpissime excitatur, de quo notabilis observatio est *Hildani Cent. III. obs. 42.*

§. VIII

Sic per se & sua sponte exoritur angina; succedit vero etiam haud raro aliis morbis seu symptoma. Accidit hoc sæpius in diarrhoea & dysenteria, præsertim si fluxus intempestive cohibetur, de quo memorabile exemplum apud *Hildanum Cent. 3. obs. 27.* Idem evenit a repulso præpostere erysipellate, aut topicis perperam tractato podagrico dolore. Neque minus in variolis & febribus malignis ac pestilentialibus, cum summo vitæ discrimine, demum supervenit. In primis de febre

sic dicta Hungarica, observationes anatomico-practicae testantur, quod ut plurimum inflammatione meningum & faucium, quæ ad ventriculum & esophagum extenditur, necet. Sed causa hujus symptomati insultus plerumque vel in nimis diuturna alvi constipatione, vel perspiratione improvide cohibita, vel repulsa præpostere ad interiora materia acri caustica, quarendam. Quando vero epidemicum est malum, aeris vitio tribuendum, & plerumque aliquid maligni complicatum. Accidit hoc haud raro, si diuturna aeris pluviosa & humida fuit constitutio, si ver est, vel autumnus, prisco jam *Hippocratis Sect. 3. aph. 16. 20. 22.* testimonio, & illud verum esse, propria observatione confirmat *Barbolinus Cent. 1. obs. 81.* Frequens quoque hujus mali incursum, si aer effluviis sale acerrimo subtili, ob insectorum copiam, refertus, sole præsertim occiduo, haerit, eamque ob causam Romæ familiarem esse, & quandoque pestis instar grassari anginam, fidem facit *Hollerius lib. 1. prax. c. 23.*

Quandoque epidemica.

§. IX.

Ceterum anginae morbus, tam ob febrem haud raro acutam, quam suffocationis metum, multum alit periculi. Periculosissimam autem esse veram internam & latentem, jam diximus, & de hac valet illud *Hippocratis effatum prædict. lib. 3. cap. 8.* angina gravissima est, & celerrime interimit, quæ neque in cervice, neque in faucibus conspicuum quid habet. Hæc etenim eodem die, & secundo, & tertio, & quarto, strangulat. In primis maximum suffocationis est periculum, quando musculus, qui vocatur thyroarthenoideus, rimæ occlusioni dicatus, affectus. Anceps porro admodum est symptomata, ob corpus jam debile, & materiæ virulentiam raro superanda. Malum etiam, quando tumor in externis subito dispareret, non imminutis, sed auctis potius symptom-

Prognosis de eventu.

Symptomata etiam est quam doque.

ptomatibus. Tum enim alias nervosas partes transilit morbus, & vel cerebrum petens, phrenitidem cum convulsionibus, vel ad pulmones delatus, peripneumoniam facit, testimonio Hippocratis Sect. 5. aph. 10. lethalem. Sed quando suffocatio strangulatoria remittit, tumor, dolor & rubor magis extrorsum vergit, sensimque evanescit, felicem solutionem nunciat. Sin secus, in apostema aut mortem fit transitus. Si in apostema, ac pus in bronchia, & pulmones effunditur, teste Foresto lib. 15. obs. 24. anceps admodum eventus. Si in mortem, nunciant hanc spuma ante os, lingua valde tumida, purpureo-nigra, extremorum rigor, summa præcordiorum angustia atque anxietas, cum pulsu duro, convulsivo & intermittente.

Curatio.

Cum methodo Medendi.

§. I.

Sanguis
mitten-
dus.

Ipsa truculenti hujus mali curatio differt, prout variae ipsius sunt species, & singularum causa differunt, ad quas recte pernoscendas & opportune removendas, unice directæ esse debet medentis intentio. Quando itaque ex manifestis signis eminens sanguinis ad caput congestio observatur, quæ non modo vehementiam inflammationis augeat, sed & lethaliæ symptomatum est causa, protinus & primo omnium hæc debet esse medici cura, ut impetum sanguinis a parte affecta deriveret, id quod commodissime sectione venæ confluens perficitur. In hoc enim auxilio præcipuam & unicam fere salutis spem, inde ab omni ævo, tam veteres, quam recentiores medici, collocarunt. Instar omnium sit Hippocrates, qui lib. de loc. in hom. §. I. sic angina tradit curationem: angina affectis, a sanguine in venis colli collecto & coagulato, sanguinem

ex venis brachiorum, & pedum detrahes, & simul alvum inferne subduces, quo, quod morbum exhibet, detrahatur. Sed quo pacto & ubi id faciendum, non omnes æque consentiunt. Plurimi enim sectionem venarum sublingualium suadent, quam illi rejiciunt, quia si non fiat sufficiens apertio, parum sanguinis effluat, si vero amplum foramen, hæmorrhagia sequatur non raro lethalis. Inter eos, qui spernunt, potissimum Tulpius lib. 1. obs. 51. hanc ob causam, quoniam sanguis eadem attrahatur ad locum per se angustum, & facile suffocatio inducatur, sæpius ab ipso annotata. Alii, uti Zacutus Lusitanus Hist. Med. princ. lib. 1. hist. 76. Joh. Stephanus in Hippocr. de struct. hom. Trallianus & Freind. in lib. epid. sectionem venarum jugularium externarum, præsertim in malo desperato, sique præsens est strangulationis periculum, mirifice commendant. Sunt porro, qui scarificationem dilaudant, in nucha & mento, ut Platerus lib. 2. pag. 395. Amatus Lusitanus Cent. 3. curat. 28. Zacutus Lusitanus in prax. admirand. lib. 4. quest. 54. circa laryngem Riolanus in enchirid. anatom. lib. 4. pag. 385. Hirudinum appositionem pone aures atque in cervice Capirovaccius & Holterius malunt.

§. II.

Post sanguinis missionem, præcipiente eodem Hippocrate, aperienda alvus, quo etiam hujus beneficio humores versus inferiora trahantur & evacuentur. Sed his minime acriora, neque cathartica, in forma pulveris aut pilularum, sed mitiora, & quidem liquida, conveniunt. Ut vero una, quod dicunt, fidelia duo dealbentur parietes, ac non modo superflui humores detrahantur, sed & acres salis contemperentur, utilissimum erit, decoctum ex manne uncis duabus nitri antimoniati drachma una cum dimidia & ferri lactis uncis decem. Si autem per os

Alvus
ducen-
da.

nihil ingeri potest, enema injiciendum ex lacte, melle, oleo amygdalarum dulcium & sale communi ac nitro.

§. III.

Tempe-
rindum
et di-
scutien-
dum.

Evacuatis sic tam sanguine superfluo, quam humoribus impuris, operanda, ut humor sanguineus, vel serosus, tubulis impactus, resolvatur & discutiat congruis remediis, tam internis, quam externis, & febrilis æstus simul contemperetur. Hunc in finem perquam conducibilis frequens usus mixturæ diaphoreticæ & leniter anodinæ ex aquis antispasmodicis & diaphnoicis, florum sambuci, tilix, primulæ veris, acaciæ, galegæ, herbæ cardui benedicti, scordii, cum diascordio Fracastorii, antimonio diaphoretico, lapide prunellæ, aceto quoque & cancerorum lapidibus, necnon syrupo papaveris rhœados. Conducunt etiam potus diluentes & humectantes paulo liberalius dari, serum quippe lactis dulce & acidulum, cum succo citri & saccharo paratum, pitana ex hordeo mundo, radice scorzonæ & rasura cornu cervi, cum syrupo acetositis citri, decoctum avenaceum, ipsum lac quoque, tantundem aquæ remixtum, & saccharo atque momento nitri conditum.

§. IV.

Externis
succur-
rendum.

Externis præterea ancipiti huic morbo obviam eundum, nonnullis quidem in oris cavo, nonnullis exterius in collo atque cervice, quo his etiam dolor & æstus inflammatorius mitigetur, acrimonia humorum temperetur, & qui in vasculorum angustis firmitus subsistunt, succi dissolvantur. Externe frequentissimi usus sunt cataplasmata ex emulsionibus paregoricis & discutientibus, floribus sambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, verbasci, radice liliorum alborum, ficubus, croco, semine anisi, fœniculi, farina lini, ex lacte coctis, quibus nonnulli, nidos hirundinum & sterco canis, seu specifica, adjiciunt. Merentur hoc

nomine etiam commendationem emplastra lenientia ac mollientia, uti est diachylon simplex, aut de meliloto, malaxatum cum oleo amygdalarum dulcium, vel admixtione spermatis ceti, croci & camphoræ efficacius redditum. Intra os vero non facile suaserim gargarismata, cum injectione per syphonem, ubi magnus dolor & siccus ardor est. Sufficit os subinde colluere, congruo tepido liquore, cui concinnando servantur plura, rob dianucum, diamoron, syrumpus granatorum dulcis, papaveris rhœados, violarum, mucilago feminis cydoniorum, cremor lactis, lapis prunellæ, quæ omnia pro circumstantiarum ratione, vel lacte, vel decocto liquiritiæ, ficuum, aut avenæ misceri possunt. Neque minus nobilis est virtus olei amygdalarum dulcis recentis, cum spermate ceti, croco & syrupo violarum, in decocto avenaceo dati, & aliquamdiu in ore detenti.

Cautela & Observationes
Clinicæ.

§. I.

In angina sanguinea, & corpore plethorico, omnium primo per sanguinis missionem succurrendum. Nam si in ullo morbo, certe in hoc, a præsentaneo periculo ipsius mortis liberat. Sed momentosa & præceps est juvandi occasio. Optimum auxilium ex sectione jugularium. Si vero hanc instituendi copia deficit, aperiendæ sublinguales, ita tamen, ut prius secetur brachialis. Et quando angina sanguinea accedit febriliter ardenti & Hungaricæ, simulque phrenitidis metus est, vires tamen imbecilles largiorem sanguinis subtractionem non ferunt, cito sublinguales tantum aperiendæ. Quando autem ab acrimonia caustica nervosis faucium & laryngis tunicis inherente hoc vitium oritur, neque manifesta ad-
est

In san-
guinis
missio
ne sa-
nanda

eſt ſanguinis redundantia , indicatur
potius ſcarificatio in cervice & mento,
vel hirudinum appoſitio. Ubi etiam in
cacochymicis & phlegmaticis, a copia
ſeri viſcidi, fauces & externas colli par-
tes obſidet tumor cum dolore & leni
inflammatione, præſerenda venæſe-
ctioni ſcarificatio, in nucha & ſcapulis.

§. II.

Uſur-
panda in
angina
ardente.

In uſu exteriorum attendendum
merito ad diverſa inflammationis in
faucibus genera, & ſingulis accommo-
data remedia ſunt opponenda. Itaque
in omni faucium inflammatione dolo-
roſa & ardente, julepus roſarum cum
nitro & momento camphoræ, degluti-
tus, eximie conducit. Gelatina quoque
cornu cervi rite parata, cum albumi-
ne ovi probe depurata ac ſucco pomo-
rum Chinenſium, nec non ſaccharo
condita, iterato ſumta, egregie le-
vat. Si autem fauces arent, ardent,
lingua tumet, & reſpirationis æque ac
deglutitionis difficultas eſt, linctus pa-
randus, ex albuminis ovi in aquam
quaſſati unciiſ binis, aquæ roſarum
uncia, ſyrupi granatorum, diamoron
ana uncia dimidia, ſalis prunellæ gra-
nis duodecim, cui, pro circumſtantia-
rum conditione, viginti vel triginta
liquoris anodynæ guttæ indendæ. Tum
etiam exterius collum, & cervix oleo
camphorato, ex oleo amygdalarum
dulcium uncia, olei papaveris albi
drachmis duabus & camphoræ drach-
ma dimidia, inungendum.

§. III.

Latente
ſymptoma
matica
& ab a-
cribus
inducta.

In angina latente interna, valde
æſtuoſa, ſolo lacte & ejus cremore,
addito lapide prunellæ & ſyrupo papa-
veris rhæados, os ſubinde colluendum,
& frequentius bibendum lactis ſerum.
In ceſophagi autem inflammatione,
febris maligſ in ſtatu haud raro
ſuperveniente, ex uſu eſt pulvis, ex ni-
tri drachma, camphoræ granis tribus
& ſacchari uncia, cum emulſione a-
mygdalarum dulcium, & intus dan-
dus, & exterius in ore aliquamdiu te-

Tom. IV,

nendus. Et ubi ab hauſſis, & inſpiratis
exhalationibus acribus metallorum,
mineralium, calcis etiam vivæ & ar-
genti vivi, ſuffocationis periculum
accidit, nec purgantia, nec venæ ſe-
ctio locum habent, ſed commodiſſi-
mam locant operam humectantia, de-
mulcentia, interna & externa, lac cum
nitro, cataplaſmata ſuperius deſcri-
pta, nec non enemata.

§. IV.

Inflammatorius ille dolor, qui a ſe-
ro ſalto acri in glanduloſa faucium
carne, circa pharyngis & laryngis con-
finia, ſit, cum rubore & copioſo ſalivæ
fluxu, ſine febre, optime diſcutitur ab
initio ſtatim gargarismo ex ſpiritu vi-
ni Rhenani, vel Franconici. Quam
præſentanea enim hujus ſit virtus di-
ſertis verbis teſtatur *Waleus meth.*
med. pag. 112. inquit: *angina affe-*
ctus in principio ſeſe ſpiritu vini gar-
garizet, omnis gutturis inflammatio
ceſſabit trium horarum ſpatio, ſive ſe-
ſus hunc in uſum cedat, ſive cum aliis
remiſceatur. Et *Martianus* hanc ob
cauſam in cynanche vera commendat
actu calida. Ipſe quoque novi faucium
inflammationem brevi fuiſſe diſcuſ-
ſam, guttulis octo vel decem ſpiritus
vini camphorati, in quo granum nitri
liquatum, lente per fauces dimiſſis.
Quem in finem alii commendant eſ-
ſentiam pimpinellæ albæ, cum ſpi-
ritu vini conſectam.

Gargas-
miſma
ex ſpi-
ritu vi-
ni.

§. V.

Quando magna colluvies humoris
impuri ſeroſi ad palati & facium glan-
dulas decumbit, crebrius uſurpanda
ſunt leniora laxantia, mannata, rha-
barbarina, tartarea & paſſulata. Tum
etiam apprime conducit gargarisma,
quod pro baſi habet ſal pharyngæum
a *Zobelio in tartarologia* deſcriptum,
quod præparatur ex cremoris tar-
tari & nitri uncia, aluminis uſti un-
cia dimidia, ſolutis in aceto deſtilla-
to, & ſolutione poſtea ſecundum ar-
tem coagulata. Sic quippe paratis ſalis
drachma, cum duabus drachmis mel-

in da-
cubus
ſeroſo
facien-
da.

lis, in quinque unciiis aquæ plantaginis solvenda, & cum liquore hoc fauces tam crebro eluendæ, quam idem cum syphone subinde injiciendus.

§. VI.

*Empla-
storum,
garga-
rismi-
tum &
injectio-
um u-
sus.*

In faucium & glandularum tumoribus inflammatoriis, emplastra emollientia, supra tradita, præferuntur merito cataplasmatibus, quibus ob plures difficultates rarius uti soleo, sed frequentius decocto specierum emollientium ex lacte, vesicæ indito. De gargarismatum vero usu tenendum, quod cum syphone injecta locum non habeant: impensiori enim attritu dorem & inflammationem magis exasperant. Melius igitur ac tutius, os cum liquore ad gargarismum subinde eluere. Quod si autem & hoc propter impotentiam fieri nequit, injectio lenissime tantum adigenda, ne irritatio ad vomitum fiat, caput quoque antrorsum inclinandum, non retrorsum, ne dilabendo ad asperam arteriam suffocationem minetur, & iterato injiciendum, si magna mucicopia inhæret. Præstat præterea in omnibus hisce faucium affectibus abstinere a loquela, quia crebrior ac fortior linguæ agitatio malum exacerbat.

§. VII.

*In sup-
puratio-
ne agen-
da.*

Situmores faucium ad suppurationem tendunt, eadem optime procurari potest caricis pinguibus ichore detentis. Et quando tonsillarum tumor inflammatorius ichore repletus, externe nihil præstabilius deprehendi melle rosato, cum spiritu vitrioli remixto, & sæpius cum penicillo admoto, quod tumorem minuit, mundat, ulteriorem affluxum impedit, & pituitam subsistentem colliquat. In aphthis infantum, quæ linguam cum dolore & ardore obsident, ad hunc mulcendum nihil utilius, quam pustulas subinde illinire cremore lactis cum tantillo nitri imbuto. Interdum etiam expedit ad pituitam colliguandam, & arcendum nimium affluxum applicare vitriolum album, in aqua pluviali, vel melius rosarum, aut florum sambuci, liquatum.

§. VIII.

Demum ne faucium inflammatio, *Recidiva evitanda.* quod haud raro accidit, repetat, vitanda cum cura omnia, quæ ad inducendam eam facere supra diximus. Potissimum perspiratio custodienda, ac in primis caput, cervice, & collum ab omni refrigeratione defendere ex usu est, ne humores & acris per poros diffundenda materia ad interiora agantur, ac in molli faucium substantia subsistant. Cavendum quoque ab omnibus, quæ succos impensius exagitant, maximeque ab impensiori vociferatione, quæ humorum affluxus ad superiora allucit. Si corpus plethoricum, tempestiva sanguinis missio instituenda, & minus rite succedentibus hæmorrhagiis spontaneis, ut eadem in ordinem redigantur, videndum. Neque minus subinde alvus subducenda, quo & impuritates expurgentur, & congestiorius versus superiora motus intercipiatur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Æmema triginta annorum, chole-rica & catarrhosis defluxionibus admodum obnoxia, levius vestita surrexerat tempore autumnali e lecto, ac frigida sese auræ incautius exposuerat. Inde nata est raucedinem cum ardore & dolore gutturis, difficulter simul deglutire & loqui potuit, & pulsus, præsertim noctu, fuit celerior. Quum igitur menses restitassent, missus primum e vena brachii sanguis, & injectum dein clystema, sed sine levamine: gargarismata vero, propter dolores, ferre non potuit. Interim gutturis tumor, tam interius, quam exterius, mirum increvit, & parum absuit, quin agram strangularet: quinto tamen die subsedit tantisper tumor, & dolor mitigatus est. Hinc exterius collo admotum emplastrum maturativum,

*Angina
alvi
fluxu
soluta.*

vum, ex emplastro de meliloto cum croco, cui impositi facculi calidi, ac ori inditum decoctum ex emollientibus: his maturuit tumor, & noctu infcia agra etiam feliciter rupit. Sed il- lapsa procul dubio fuerat materia a- cris pulmonibus, & ob id suffocationē minari visa est. Ad quam dispellen- dam, aqua hyssopi, cum essentia casto- rei & liquiritiæ, additis aliquot guttu- lis spiritus cornu cervi succinati, infu- sum quoque theiforme ex herbis pe- ctoralibus cum aqua calida, usurpata. Inde sudor erupit per universum cor- pus, simulque materia tenax viscida, se- xies minimum quotidie, per alvi se- cēssum ejecta, non sine torminosa ven- tris contractione. Medicus autem me- tuens damnosam fore hanc diarrhœ- am, de suppressenda eadem cogitavit, & electuarium ex diascordio *Fraca- storii*, conserva rosarum, pulvere hæ- matitis & nucista dedit. Cohibitus et- iam protinus alvi fluxus, sed sequutus singultus cum ardore per totum œso- phagi tractum, sputatione materiæ vi- scidæ viriumque languore. Hinc alius advocatus medicus, qui pathemata hæc a perperam suppresso alvi fluxu deduxit, & ob id suavit pilulas ex my- rra electa, diagrydio sulphurato, mer- curio dulci, croco, castoreo & sale suc- cini, cum vehiculo calido sumendas. His non modo singultus sedatus, sed & materiæ ferosæ per alvum excretio re- vocata, cum summo ægræ levamine, quæ successively postea ad sanitatem re- diit.

Epistaxis.

Memorable omnino, quod faucium inflammatio, pituitosa ac serosa alvi fluxu fuerit soluta, quod hujus adstri- ctio præpostera gravia induxerit pa- themata, & quod hæc revertente illo- expirarint iterum. Sed sapissime in- inflammatoris faucium affectibus, œ- sophagus, quin ipse ventriculus, affligi- tur, ita ut eadem quasi labe eodemque vitio laborare videantur. De aphthis sæpius notavi, quod eadem œsopha-

gum & ventriculum obsederint: id e- nim factum fuisse, ardor per totum œso- phagi tractum usque ad præcordia excurrens, prodidit. Tum etiam ægri falsa, acris & calida plane non ferre potuerunt, sed decoctum hordei, ave- naceum, raparum exsiccatarum, infu- sum theiforme cum lacte, ex usu fue- runt, hisque assumtis, ardores, siccita- tes & dolores anxii circa præcordia sublati. Vicissim vidi, ex ventriculo, in ardentibus febribus, a venenis, aut acrioribus purgantibus inflammato, inflammationem ad fauces & laryngis musculos fuisse propagatam. Hinc manet utique firmum, in faucium oris- que affectibus, præsertim si pituita viscida, crassa fuerint obsessæ, laxantia præsentaneam exserere opem.

OBSERVATIO II.

Sexagenarius quidam, diu quartana ^{*synan-*} detentus, hac discedente, catarrhis & ^{*che cu-*} ventriculi imbecillitati admodum fuit ^{*vata.*} obnoxius. Is quum noctu aere pluvioso fecisset iter, incidit in faucium difficul- tatem, ut solida quidem, non autem li- quida posset deglutire, ac non nisi cum magna intensione deglutitionis, an- xietate ac subsequente copiosa excre- tione phlegmatis. Interius quidem ru- bescebant non nihil fauces, sed exte- rius nihil tumoris comparebat. Judica- vimus igitur, epiglottidem, quæ instar operculi orificium asperæ arteriæ clau- dit, sero mucido obsessam esse & turgi- dam, ut rimam subjectam non exacte claudat, sed liquidum deglutitum in asperam arteriam delabatur, & anxie- tates subsequentes faciat. Quare iussu exterius applicare spiritum vini cam- phoratum, interius os subinde collue- re aqua florum sambuci, mixta cum spiritu salis ammoniaci atque essentia croci, & quotidie usurpare pilulas nostras. His intra aliquot dies malum feliciter sublatum, & æger convaluit.

Epicrisis.

Proprium anginae symptoma difficultas deglutendi, tam solida, quam liquida. Si enim tumor paullo amplior oesophagi principium obsidet, illudque angustat, liquida quidem, sed non solida dimittuntur. Si vero tumor haeret in principio gutturis, quod tegit epiglottis, solida quidem, dum comprimunt tumentem epiglottidem, transeunt ad oesophagum, sed liquida minus prementia per hians a tumore spatium asperae arteriae illabuntur, ibique magnas creant molestias.

OBSERVATIO III.

*Angina
sepius
recidivans
facta.*

Putarant medici foeminam quandam venero infectam esse contagio, eaque propter ipsi mercurialem adhibuerant salivationem. Hinc factum est, ut ipsa postea levi ex causa, ab aere frigido & nebuloso, ab ira, ab assumtis acribus cibis, a refrigeratione capitis, a turbato mensium successu, saepius incurreret exquisitum palati, nec non in faucium internis, circa pharyngem & laryngem, ardorem atque dolorem, sine febre tamen, sed cum respirationis difficultate. Accidit vero, ut dormiret in conclavi humili, noviter instructo & vaporibus calcis pleno, ac inde non modo capitis dolore, sed & impenso faucium & colli ardore atque dolore, cum inquietudine, spirandi angustia, anxietate, & aestu afficeretur. Ego vocatus sanguinis missionem, ob vasa minus turgentia omisi, sed tantum applicare iussi collo cataplasma ex farina lini, floribus sambuci, ficubus, croco, oleo amygdalarum dulcium & lacte. Suasi quoque, ut clyster injiceretur ex lacte, nitro, sale communis, melle & oleo. Potui dedi lac, cum dimidia parte aquae hordei, sive ptisanæ remixtum, adjecta debita quantitate nitri & syrupi violarum, quod copiosius hausit, & frequenter ore continuit; quibus brevi malum discussum est. Ad arcendam autem crebriorem

recidivam, dedi consilium, ut aquas Spadanas, vel Selteranas cum lacte per mensem & ultra biberet, & quotidie mane fauces gargarizando, vel cum aqua sic dicta scolopetaria, vel decocto plantaginis ex vino elueret.

Epicrisis.

Prompta est tumoris & affectus anginoidis genesis, quando compages fibrosa, glandulosa & tubulosa faucium debilitata & tono privata, quod heic factum per salivationem mercuriale. Quare qui semel, vel iterum ejusmodi tumore laborarunt, qui non statim congruis praesidiis atque regimine discussus, ex facili postea, per nimiam vocis intensionem, animi affectum, vinum copiose haustum ac frigidum, dum aerem admissum, idem malum rursus nanciscitur. Optime autem ejusmodi recidivae praecaventur, quando malum primum statim recte persanatur, penitusque tollitur, ne partibus labem inferat aegre emendandam.

OBSERVATIO IV.

Virum novi honestum, quinquagenario majorem, sanguineo-melancholicum, robustum, sanguinis missionem nunquam passum, belle tamen valentem, licet cerevisiae lupulatae & spiritus ardentis potu admodum delectaretur. Sed quum gravius inter rixas cum uxore excandisset, in exquisitum capitis incidit dolorem, sub quo arteriae fuerunt turgidae, facies rubicunda, oculi torvi, noctes infomnes, & arteriae tam valide pulsarunt, ut de sensu mallei quasi in capite pulsantis aeger conquereretur. Hinc ad motum cataplasma ex mica panis, bacis lauri, juniperi, & aceto rosaceo. Fronti etiam & temporibus ex consilio vetulae applicatum albumen ovi, cum alumine conqussatum. Sed gestatis his aliquandiu, conquestus est aeger de insigni dolore pungitivo faucium, deglutendi difficultate &

*Angina
ex re-
pellenti-
um
prepo-
sitis
sugra-
vis di-
scussa.*

spi-

ſpiritu anguſto; lingua mirum intumuit, atro colore tinſta, ſiccā linguam ex ore hianſe exſeruit, liquida indefinenter appetit, pulſus eeler & vehemens manum vibravit, & propter ſpiritum arctius meantem in erecto ſemper eſſe debuit ſitu. Ad graviffima igitur hæc pathemata depellenda cum fructu uſurpata ſequentia. Sanguis e vena miſſus largiter; clyſter injectus acrior; cataplaſma ex ſtercore canis, hirundinum nido, ſicubus, cepis toſtis, floribus ſambuci, chamomillæ, meliloti, ſemine cymini, nitro & camphora, cum aqua ſorum ſambuci & vino tepide collo appoſitum; interius mixtura ex aquæ ſorum ſambuci, roſarum ana unciis duabus, aceti deſtillati drachmis ſex, lapidum cancrorum drachma, nitri drachma dimidia, camphoræ granis quatuor in oleo amygdalarum dulcium ſolutis, & ſufficienti quantitate julepi roſarum, ſæpius ad aliquot cochlearia data, & potum quoque infuſum theiſorme ex veronica, floribus ſambuci & radice liquiritiæ; quibus feliciter diſcuſſum ſuffocationis periculum. Poſtea laxans ex ſyrupo roſarum ſolutivo, cremore tartari, diagrydio & rhabarbaro exhibitum, quo aliquoties deſecit. Os demum frequentius elorum aqua pluviali, in qua nitri ac vitrioli parum & ſaccharum ad gratiam ſolutum. Sic brevi explicita ratione anceps hic morbus ex voto depulſus.

Epicriſis.

Attendenda merito in noſtro truculenti huius mali geneſis. Ortum quippe duxit ex ſanguinis ad caput congeſtione; huic oppoſita exterius contriſtingentia; his ſanguis ad interiora reſpreſſus ipſaſque fauces; heic copioſe collectus cruor ſubſtitit & dolorem, tumorem, ardorem aliaque ſymptomata induxit. Albumen enim ovi cum alumine inſigni repellente & vaſa conſtringente virtute pollere, ex ipſius uſu in ophthalmia patet. Et ex conſtrictione in externis facilem ad

interna eſſe tranſitum, docet vaſorum mutua communicatio. Sed quum illico venæ ſectione & internis æque ac internis diſcutientibus ſtaſi & ſtagnationi obviam itum, non potuit non feliciter ſuccedere curatio. Nam ſi occaſio præceps captanda unquam, certe in congeſtionibus inflammatoriis id faciendum, quæ niſi celeritate removeantur, tranſitus ſit in corruptionem lethiferam & ſphaceloſam.

CAPUT V.

De Febre Phrenetica, ſive Phrenitide.

Theſes Pathologicæ.

§. I.

Nulla inflammatio, ſive particularis febris, tam magni in medicina momenti, quam quæ in parte omnium nobiliſſima ipſuſque animæ rationalis domicilio, cerebro, conſiſtit, & tam omnem rationis uſum evertit, quam præſentaneum vitæ periculum intentat, ac Græco nomine audit phrenitis. Eſt igitur hæc phrenitis febris acuta inflammatoria, orta a nimia ſanguinis congeſtione, ejuſdemq; intercepto, per minimas potiſſimum membranarum cerebri arteriolas, tranſitu, junctæ cum magno æſtu, delirio, atque vitæ diſcrimine.

§. II.

Signa imminentis phreneticæ affectionis ſic exacte & compendioſe exponit *Trallianus lib. 1. cap. 13. phrenitidem*, inquit, *ſuturam vigiliæ potiſſimum continuæ & intenſæ ſomniæque turbulenti præcedunt, ægri exiliunt, & ſomniorum imaginationibus detinentur, & facile eorum, quæ dicuntur, obliſciſcuntur; ſi reſpondent, ferociiores ac iracundiores, quam prius, apparent, pulſus habent parvos & duros, atque occipitio frequentius indoleſcunt. Si affectus increverit, fixioribus oculis cernunt, eoſque rubentē habent, nec non lacrymæ ex utriſque fluunt*

fluunt. Præsentis autem indicia & pathemata omnium optime ex Veteribus consignavit *Cælius Aurelianus lib. 1. cap. 2. pag. 12.* ita habens: in phreneticam passionem declives sequitur febris acuta, atque pulsus difficile ad superficiem corporis ascendens, sive humilior, tensor, vultus subinflatus, sive plenus, sanguinis per naves destillatio, vigilie, juges, aut turbatus somnus. & insania turbulenta, mentis sollicitudo ac pravitas sine ratione, frequens tergorum est versio jacendi, cum capitis assidua commotione aliquando etiam sine causa hilaritas, oculorum rubor, cum levi lacrymatione, & circumjectio manuum, sine ullo capitis dolore, articulorum frigus, sine tremore, urina abundantia flavæ, aquatæ, tenuis & paulatim exclusa; aliquibus etiam sonitus capitis atque aurium tinnitus, dolor quoque capitis non quiescens, nulla ex manifesta ratione præcordiorum tensio, visus attentus, cor frequenter palpitans.

§. III.

Omnes hæc phrenitidi junctæ functionum in corpore læsiones, pendent a nimio & impetuoso sanguinis ad caput appulsu, ejusdemque ex intercepto per minima libero transitu, stasi & per alias insolitas vias celerissima trajectorye, unde distensiones fiunt vasorum cerebri & faciei, serosus humor secedit, passim obhærescit, & cerebrum in functionibus suis, maxime rationis usui servientibus, prorsus turbatur. Ex vero enim *Hippocrates lib. de flat.* & passim alibi tradit: prudentiam & rationem hominis in constanti sanguinis habitu in cerebro, sive rectius ejusdem æquabili motu consistere, adeo ut, hoc inturbato, concidat simul & prudentia, & ratio. Et hæc omnino ita esse, veramque phrenitidis sedem in cerebro consistere, testatum facit uberius sectio eadem defunctorum. In his quippe vasa, tam duræ matris cum sinibus suis, quam piæ meningis, mirum destituta & crasso coagulato cruore farta, ipsæ membra-

næ aridæ & exsiccata, ut pia mater facillime a cerebri cortice separari queat, reperiuntur, & præterea medulla cerebri multo seroso humore perfusa comparet. Id quod pluribus confirmant *Blancardus in anat. præf. obs. 3.* *Schenckius lib. 1. fol. 64.* nec non *M. N. C. Dec. 2. A. V. obs. 62.*

§. IV.

Inter antecedentes causas recte *Cælius Aurelianus l. c.* refert vinolentiam, vel vigiliam, aut jugem in sole moram, mentem natura mobilem, iracundiam, caput per literarum disciplinas debilitatum, ætatem juvenilem. Et certe ad phrenitidem disponunt omnia, quæ caput debile ac imbecillum reddunt, ut deinde in ipsius vasis facile fieri possit sanguinis & humorum mora, nec non quæ sanguinem, crassum præsertim & copiosum, ex partibus inferioribus impetuosè ad caput agunt ac congerunt. Hinc observatione medico-practica constat, ad deliras ejusmodi febres admodum esse proclives, qui diuturna moestitia, cura, studiorum & meditationum profundiorum intemperantia, mentem nimis fatigant, qui vegeti ætate, constitutione melancholico-cholerici, sapius animo per iram aut odium moventur, desiderii vehementioribus jactantur, vigiliæ, inquietudinis, crapulæ ex cerevisiis liberaliter lupulatis, vel vino dediti, qui veneri liant, sedentaria vitæ motus & exercitationis experti indulgent, & ob pravam victus rationem, & copiosum, & impurum sanguinem in venis alunt. Hinc porro per experientiam incomperto est, a cessante consueto, vel etiam repente suppresso hæmorrhoidali fluxu, emanente quoque aut cohibito menses, nec non in puerperis lochiorum proflavio, promptam esse, præsertim alvo simul adstricta, phreneticarum affectionum genesin. Tum enim ob stagnationes sanguinis in abdominis visceribus, in nervosis partibus spasticæ susciuntur stricture, quæ inæqualem reddunt sanguinis circui-

Causæ
antecedentes.

Causa
proxima.

cuitum, & faciunt, ut is cum impetu aliorum ruat, ibidemque nimium congeratur. Denique phrenitis etiam haud raro inducitur per violentiam externam. Accidit hoc in vulneratione & contusione capitis per quam facile, inprimis plethorico-cachymicis, nisi cito sanguinis missione & discutientibus occurratur, tumque effato *Hippocratis Sect. 7. aph. 14.* eventus sequitur ut plurimum funestus.

§. V.

Est vel idiopathica.

Merito autem phrenitis distinguenda in idiopathica & symptomatice. In utraque quidem febris adest acuta, sed ea cum differentia, ut in illa præcedat, in hac vero individuus sit comes. Idiopathica in temperato nostro climate rarior, frequentior autem in calidis siccis & meridionalibus locis, unde etiam veteres Græci medici, inprimis *Ætius*, *Trallianus* optime & copiose de hac passione in monumentis suis disseruerunt. Dantur tamen subinde etiam inter nos exempla phreneticæ febris, sine præcedente alia, potissimum a nimia crapula, continua animi iracundia, & cerebri per profundas continuas meditationes & vigilas fatigationes, imbecillitate, in sanguineo vel etiam choleric-melancholicis hominibus & vitæ sedentariæ addictis, hypochondriacis, vel hæmorrhoidariis, præsertim si fluxus imprudenter cohibetur. Sed de hac recte omnino, confirmante id ipsius experientiæ suffragio, tradit *Willisus in pathol. cerber. cap. 10. pag. 234.* quod, nisi cito & opportunis remediis discutatur, quam facile in maniam, sive delirium furiosum transeat. Neque etiam infrequens est idiopathica ejusmodi & in maniam degenerans phrenesis, post superatas febres ardentes, item purpuratas, exanthematicas & catarrhales, male tractatas, per nimis æstuosum regimen, per medicamenta volatilia, sanguinem commoventia, opiata etiam, aut repellentia nimis, refrigerantia, nec non incongruas venæ se-

ctiones. Id quod eo certius & vehementius fit, quando æger ad iram levi ex causa promptus est ac facilis.

§. VI.

Frequentior tamen apud nos symptomatice. Sæpius enim evenit, ut in febribus malignis & exanthematicis acutis, petechiis, variolis, catarrhalibus malignis, potissimum castrensis, & omnium maxime Hungarico morbo, præsertim male tractatis, phrenitis accedat in statu, & mortem inferat. Scilicet supervenire solet circa dies criticos, cum rigore, tremore artuum, præcordiorum tensione, externorum refrigerio & urina tenui, vel parcius, vel effuse nimis fluente. Sed quia ob morbum præcedentem & diuturnas vigilas fractæ jam fere penitus vires, & tonus quoque vasorum membranarum cerebri nimium labefactatus, stases fiunt in iisdem ex sanguine irresolubiles, quas tertio plerumque die mors excipit.

§. VII.

Licet autem phrenitis sæpius in maniam transeat, veterum etiam, *Hippocratis*, *Galii Aureliani* & *Aretæi* testimonio, qui illam ob id cum hac plerumque conjungunt, vel plane confundunt; ambo tamen multum discrepant. In phrenitide enim semper adest febris, cum pulsu celeri, duro ac parvo, delirium quoque non intermittens prorsus, sed tantum subinde remittens, quo tempore oblivio est omnium, quæ sub delirio contigerunt. Sed mania chronica est passio, sine febre acuta, licet cum pulsu præternaturali, duro & inæquali, quandoque parvo, quandoque magno & celeri. Habet quoque maniacus furor sua intervalla, junctus est ordinario cum magno fastu, ira & odio adversus amicos atque propinquos, & paroxysmo cessante, exquisitam ut plurimum memoriam omnium, quæ antea facta, habent maniaci. Deinceps phrenitis etiam differt a leviori illa mentis alienatione, quæ in acutis febribus, ante expulsionem

Vel symptomatice.

Differt a mania.

a leviori delirio in acutis.

cri.

eriticam exanthematum non raro observatur. Nam hæc facilius transit, neque etiam urinas tenues aquosas, vel rigorem & refrigerationem partium externarum habet comitem. Neque minus, quandoque post declinationem febris acutæ, observatur per aliquot dies, aut hebdomades, quædam desipientia & mentis inconstantia, a phrenesi diversa, quæ propter summam virium & cerebri ex perpeffo morbo debilitatem oritur, & redeuntibus viribus, vel sponte cessat, vel congruis prædiis facile iterum penitus discutitur.

C U R A T I O.

§. I.

Curatio
quibus
perficienda.

Quum gravia illa & exitia pathe-
mata, quæ phrenitidi juncta, a meningum inflammatione, ceu causa proxima dependeant; prima utique & princeps medentis esse debet intentio, ut hæc in præservatione arceatur & in curatione removeatur. Hujus autem causa quum sit sanguinis in vasis meningum alibi stasis, alibi cum dolore, tensione spastica & ardore, celerrima trajectio; ipsa certe sana ratio dicitur, ea remedia, quæ effrenem sanguinis impetum ad caput sistunt, ibi congestum derivant, subsistentem expediunt, atque discutunt, & meninges spasmis contractas relaxant, omnium esse, ut ita loqui liceat, indicatissima.

§. II.

Sanguis
mitigandus.

Jam in phrenitide, & curanda, & præservanda, principem merito locum obtinet, communi veterum & recentiorum omnium consensu, sanguinis missio; quam etiam circa affectam partem institui præcipiunt omnes. *Tralliano* olim & *Arabibus* frequens jugularis venæ sectio, quæ nostris temporibus perperam exolevit. Nam per experientiam in comperto est, hanc in omnibus capitis a sanguine congesto & stagnante oriundis passionibus, aliarum venarum incisioni

longe multumque esse antefarendam, eo quod hæc vena jugularis externa, cum interna, ex arterii carotidibus & vertebralibus cerebri proxime sanguinem derivat atque deducit. Nec difficilis adeo & periculosa, ut vulgo putatur, hujus venæ incisio, sed constricto tantisper fascia commoda, ut turgeat vena, collo, facili negotio instituenda. Deinceps magni æstimatur a medicis in hoc & aliis capitis morbis venarum sublingualium sectio. Inprimis *Ammannus in par.* fatetur, ex militibus, qui anno 1664. ab expeditione Hungarica redierunt, & in nosocomio morbo Hungarico laborarunt, evasisse omnes, quibus tempestive raninæ venæ pertusæ, quibus non, esse mortuos. Atque ego etiam novi, eandem utilissimam fuisse ad præscindendum imminens in febribus acutis delirium, quinto, vel sexto die, sana adhuc mente, institutam. Sed difficulter admodum perficitur, si delirium jam adest, ac præterea ex foramine minis amplo, ob sanguinis ad caput impetum, hæmorrhagiæ metuenda funesta, ex justo minori partium sanguinis fluit, & dato ibi spatio, fluxus potius ad cerebrum allicitur. Alii commendant venæ frontalis, constricto prius collo incisionem, eademque potissimum *Trallianus* se magna phrenitide correptum sanasse, testatur. Nonnulli præferunt arteriotomiam in temporibus, quos inter est *Panarolus*, qui *pentec. 1. obs. 19. pag. 18.* testis est, se se arteriotomiam in phrenitide magna cum felicitate expertum, ut ipsa vexati statim resipuerint. *Cælius Aurelianus* scarificationem in toto capite prius raso in usum habuit. Longe magis tamen probandus *Ægyptiorum* mos nares scarificandi, cujus vices, deficiente commodo instrumento, supplet experimentum, quo culmo straminis, aut bacillo exili acuto, in nares validius truso, sanguinis proriat stolidum, quod ego quidem cum præsentaneo commodo aliquoties factum esse vidi. Ex
hi

hi in confini affectæ partis mittendi sanguinem modi, tam in phrenitide idiopathica, quam symptomatica locum inveniunt. Sed quando ex lochiis, nec non mensibus retentis, aut suppressis, malum hoc metuendum est, cito in pede vena aperienda, & sanguis largius emittendus. Neque minus, si ex vitio, aut intercepto hæmorrhoidalis fluxus successu, delirium imminet, optimum levamen ex apertione venarum hæmorrhoidalium, per appositionem hirudinum, expectandum.

§. III.

Post sanguinis evacuationem alvus Alvus ducenda. ducenda, qua adstricta, ad supernas partes, & qua soluta, ad infernas, humorum convertitur affluxus. Scite autem Hippocrates lib. 3. de morb. §. 9. monet, in curatione phrenitidis alvum esse præparandam, ut egerat, humectantibus potionibus, quæ tunicas intestinales spasmus constrictas relaxant, quia primarum viarum spasmus frequens deliriorum est causa. Ego instar omnium hunc in finem commendo potiones mannatas, ex mannæ minimum uncis quatuor, solutis in libra feri lactis, cum cremoris tartari drachma, nitri drachma dimidia, & olei amygdalarum dulcium uncia una. Baglivius lib. 1. prax. pulverem Cornachinum commendat, ita pag. 102. scribens: quum pluries observatum fuit, alvi fluxu solutum fuisse delirium, ideo natura id docente, proficuum non semel expertus sum pulverem Cornachini, superbibendo ei longa diluentia, ex decocto hordei limati, salis prunellæ aliisque dulcificantibus, præcipue, si nimis viscerum ardor adsit & interna inflammatio. Si vero celerius opus est auxilio, alvus leniente & paregorico domestico enemate est solvenda.

§. IV.

Ex internis porro adversus phrenitidem præsidii, sunt maxime potiones diluentes, demulcentes & humectantes, largissima copia datæ, modo,

quod rarius fieri solet, ut innuit Aretæus, phrenetici sitiant. Instar omnium est potus ex sero lactis dulci, vel acidulato, cum succo citri parato & julepo rosarum, vel syrupo papaveris albi edulcorato, in cujus mensura cum fructu dissolvitur drachma una nitri depurati, vel salis prunellæ. Utiles quoque emulsiones ex decocto hordei, rasuræ cornu cervi & seminibus quatuor frigidis, cum julepo rosarum, præsertim quando mensuræ duo nitri scrupuli adjiciuntur. Non minus confert lac cum acidulis Selteranis, vel Antonianis remixtum, item ptisana. Qui potus omnes quo largius bibentur, eo plus efficacitæ in diluendis humoribus, relaxandis constrictis tubulis, expectandis obstructionibus & extinguendo æstu præstabit. Ex medicamentis autem mixtura diaphoretica & discutiens, capite antecedente descripta, uti in omnibus inflammationibus, sic etiam phrenitide, effectum exferit longe saluberrimum.

§. V.

Inter externa, quæ caput ab humorum affluxu liberant, connumeranda pediluvia, vel involutiones pedum in linthea humida calefacta, & quæ omnium optima, balnea aquæ dulcis temperata. Horum insignem utilitatem quotidiana uberius confirmat experientia & locuples inprimis testis est Trallianus, qui lib. 1. ita disserit: lavare eos & perungere convenit, quibus jam vacuatio facta est & quantitas totum corpus non offendit, verum siccitas & vigiliæ plurimæ urgent. Et si febricitet ager, nihil nocebit ei, si ita lavetur, præcipue etiam, cum balneum tepidum adhibitum fuerit, at neque aer sit igneus, neque solum nimis calidum. Qui autem febris metu eos non lavant, maxime offendunt. Nam agri vigiliis magis torquentur balnei abstinentia, adhuc magis etiam animo turbantur. Lavandi igitur sunt, quemadmodum comprehensum est. Sic enim balneo utentes, ad bonam temperiem revertuntur, & in posterum delirio & affectu febrem accen-

Externa usurpanda.

Humectandum & discutiendum.

accendente, liberantur. Dein veteres, ac inter hos potissimum Trallianus & Aretæus, post sanguinis & alvi evacuationem, caput oxyrrhodino, ex aceto rosaceo composito fovebant, ne, uti loquuntur, caput liberalius attraheret humores, iisdemque repleretur. Nec male. Interim nos summo cum fructu, in omni delirio, caput totum rasum fovere suavisimus, temperato hoc epithemate: recipe acetum rosaceum uncias duas, spiritus rosarum, in quo decem grana camphoræ soluta, drachmas duas, nitri puri scrupulos duos, olei ligni Rhodii guttas 20. M.D.

*Cautele & Observationes
Clinicæ.*

§. I.

*Regimen
phreneticorum.*

Quam modo tradidimus phrenitidis medicationem, tam in symptomatice, quam idiopathica, & præsertim illa inveterata, quæ in maniacum affectum transire videtur, quam maxime esse accommodatam, expertus scribo, nec quicquam præterea vix potest excogitari, sed opus est, ut aliquamdiu horum usui insistatur. Quæ autem in regimine phreneticorum servanda, egregie tradit sæpe laudatus Trallianus lib. 1. pag. 50. sic præcipiens: considerari debet etiam habitatio, in qua degit æger, ut aerem nec admodum crassum, neque humidum frigidumque, aut nimis calidum habeat, ne capiti meatuum densatio, aut repletio superveniat, sed temperatus existat, quo animalis spiritus temperie ipsius resocilletur ac relaxetur. Sit autem magis lucidus, quam tenebrosus, ut æger per hujus sensum ad consuetorum perceptionem ac conscientiam perveniat. Quare & amici non nulli admodum familiares ei assistant, ut etiam increpantes ipsum propter ea, quæ facit, revereatur. Neque vero domesticus, aut cognatus, cuius causa aliquando tristetur, aut cui irascatur, ingredi debet, quippe hoc irritare ægros & commovere solet: & ut valde perturbentur, ma-

nifestiam præbet occasionem. Sed nec amici frequentes & copiosi ad eum ingrediantur, quippe turbam ei tantum excitant, præterea aerem quoque crassum efficiunt, frigidos emittentes spiritus. Jam non violenter movendus est, sed leniter, ne in lecto propter imbecillitatem concutiat. Hoc enim, si quid aliud, ægrum irritat & somnum impedit; ii vero, qui adsunt, omnia ipsius membra circa violentiam teneant, leniterque perfricent, & præsertim inferiora: atque tunc magis, ubi convulsiones ægro oboriuntur, artus vinculis excipiantur. Quippe hoc materiam ad inferna provocat, præterea convulsiones lenit. Satiùs autem est, inferiora quoque, ubi perfricata fuerint, fovere, atque sic deligare, ut materia, quæ sotu simul & fricatione accita fuerit, ad ima potius derivari possit.

§. II.

De venæ sectione tamen hæc adhuc tenenda: quod si, ut sæpissime fit, phrenetici eam admittere prorsus renouunt, ego nil præsentius & factu facilius novi, quam ut ex improvviso calamus, aut culmus stramineus valide in narium cavum adigatur, sic enim sanguis sæpius illico liberaliter & cum commodo evocatur. Ad venæ frontalis autem incisionem, si idiopathica & chronica est passio, non prius accedendum, præsertim in corpore plethorico, quam aperta prius brachii, vel pedis vena, ne impetus ad caput crescat. Cavendum etiam sub hac operatione, ne instrumentum adhibeatur acutius, venam perfodiens & pericranium cum detrimento lædatur.

§. III.

Quæ etiam ex mensium, vel hæmorrhoidum vitio & oriundis inde vehementibus spasmodis pullulat phrenetica passio, optime levatur balneis, mirabaginis, neralium aquarum potu, & appositione hirudinum ad venas ani, vel uteri, adhibito simul congruo victu atque regimine. Novi enim phrenitidem diu durantem, erumpente mensium, vel hæmorrhoidum fluxu, feliciter fuisse

*De sanguinis
missionis
tenenda.*

*Phrenitis
dis ex
suppressis
hæmorrhagiis
& viciis
cure.*

fuisse discussam. Sed quando phreneticum malum non tam a sanguinis in vasis cerebri congesti copia pullulat, quam potius a materia subtili, acri, virulenta, vel repulsa ab externis, uti in exanthematicis, vel per calidiora & volatilia nimium exaltata, quæ firmiter nervosæ duræ matri impacta spasmos concitat, liberum sanguinis transitum & ad cor recursum intercipientes, præter venarum, quæ capiti propinquæ, sectionem, expedit calvariæ rasæ partes & viscera ex animantibus recenter mactatis adhuc calentia, uti pulmones, hepar & omentum, admove, & quando refrixerint, calidæ eadem immergere, quo iterum calefiant.

§. IV.

Templi-
ca Polo-
nica.

In Polonia frequens est delirium phreneticum, melancholicum & maniacum ob latentem plicam, hæcque erumpente insania cessat. Hinc optimum consilium plicæ egressum elicere, quem in finem usurpare fuescunt decoctum ex musci clavati manipulis binis, in duabus aquæ mensuris decoctis. Quo dum bis quotidie caput & crines abluunt, intra hebdomadis decursum prodire solent cirri, delirium discutientes. Non raro etiam abscessam plicam sequitur crudelis capitis dolor, quem excipit phreneticus furor cum febre ipsaque mania, quæ tamen usu decocti, vel linimenti ex musco clavato in *M.N.C. Dec. I. Ann. 2. obs. 54.* descripti, plicam revocantis, promte iterum abigitur.

§. V.

Ab sint
commo-
ventia.

Cavendum autem, sicut in omnibus inflammationibus, sic etiam in phrenitide ab acris & commoventibus, liquoribus spirituosiss, a motu animi & corporis fortiori, immo ab omnibus, medicamenta sint, sive alimenta, quæ sanguinem in præternaturalem motum ciere valent. Inprimis nullo modo ad iram irritandi ægri, & ob id accendi ab iis, a quibus læsi & quos ferre nequeunt, domesticis sint, sive alieni. Opiata & narcotica absint

Narcotica.

penitus, præsertim ubi vires jam imbecilles. His enim deliria quandoque in febribus induci testatur experientia. Perite hinc monet *Trallianus l. c. si vires*, inquit, *imbecilles fuerint, tunc maxime vitabis, ne quid torporis somnoque inducendo incommodum exhibeas. Nam in his, qui infirmas vires habent, non mediocris noxa talium potionem comitatur.* Vesicantia etiam, nonnullis solemnia in phrenitide improbo. Nam cantharides acri, quo polent, stimulo strictas jam & tensas spasmus membranas irritando, delirium augent, & convulsionem facile accersunt. Testatur id diserte *Baglivus, lib. 1. prax. pag. 102.* ita scribens: *in aere Romano, per adhibita vires vesicantia plures vidimus mortuos, ac sanatos. Proficere autem magis feminis, quam viris, vidimus.* Et paullo post sic pergit: *delirantibus cum febre acuta, lingua arida, indicis magnæ viscerum inflammationis, si applicentur vesicantia, omnes fere in pectus ruunt, & magna ex parte moriuntur convulsi.*

et vesicantia.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Laborabat ardente febre cum intollerando ferme capitis dolore, quadragenarius quidam, cui sexto die accedebat alvi fluxus, quem medicus detrimens esse putans, pulvere ex bolo Armena, hamatire & laudano opiato composuit. Cohibito hoc, dolor capitis gravior factus, & potio præterea vino, cui essentia ambraë instillata, maximæ præcordiorum anxietates subsequutæ, fauces cum œsophago inflammatione affectæ, magnaque colluvies viscidæ mucosæ materiæ in oris cavo collecta. Succesit etiam delirium furiosum, tam vehemens, ut æger vix a quatuor robustissimis viris in lecto contineri posset. Adversus hoc multa quidem & varia adhibita præsidia, vena in pede pertusa, ad-

Phrenitis
ex cohibi-
to critico
alvi flu-
xu.

mota.

mota epithemata, appositus calens vituli pulmo, sed omnia incassum, perstitit potius per quinque dies delirium non interruptum, donec decimo quarto, a primo morbi insultu, die mors vitæ faceret finem.

Epicrisis.

Nihil profecto perniciosius, quam in ardente biliosa febre, ex colluvie acrimum biliosorum prima in regione fucorum oriunda, alvi fluxum, tempore præsertim critico erumpentem, imprudenter sistere. Neque enim hoc factum fieri potest aliter, quam ut materia biliosa retenta, vel inflammationes in ventriculo & intestinis, vel etiam in capite, uti heic factum, suscitaret. Id quod tanto certius accidit, quia a medico temerarie vini usus concessus, qui nunquam, ubi metus inflammationis in primis viis, etiam in parca quantitate, admittendus. Accessit etiam delirium furibundum alvo suppressa, quia ex spastica primarum viarum constrictione, sanguis cum impetu ruit ad caput, ibique congestus, dolores primum, ac postea, ob meningum inflammationem, delirium peperit. Atque adeo patescit, imprudentem medicationem, frequentissime atrocium non modo pathematum, sed & ipsius mortis esse causam, tum maxime, quando eadem critica humoris peccantis excretiones supprimuntur, & materia nocens in corpore retinetur.

OBSERVATIO II.

In puerpera tenera, ad iracundiam pronâ, cerevisiæ & vini potui assueta, resistit penitus post partum lochiorum fluxus, cum virium ingenti debilitate, ardore, præcordiorum anxietate & spirandi angustia. Medici igitur ad provocandum sanguinis profluvium pulverem ex myrrha, flavedine corticum aurantiorum, lapidibus canerorum, succino & oleo cinnamomi propinaverunt, ac præterea sal volatile cornu cer-

vi, in aqua cinnamomi solutum, dederunt. Sed his nihil aliud effectum, quam ut anxietates præcordiorum ingravescerent, urina supprimeretur, & alvus dura ac tensa plane nihil dimitteret. Quin post sex dierum pervigilium, oculi fulgidi, & facies rubicunda delirium nuntiavit, quod etiam paullo post, tanto cum furore successit, ut ægra lecto surgens in plateam excurreret, nullumque frigoris sensum experiretur, sed potius in extremis intense caleret, licet hyems tum regnaret algidissima. Accitus hinc alius medicus, qui venam in pede pertundere iussit, interius dedit in emulsione seminis papaveris albi pulverem ex nitri drachma, camphoræ, theriacæ coelestis ana granis sex, in quatuor doses divisum, & exterius temporibus admovit epithema nostrum cephalicum. His ægræ placidus somnus conciliatus, cum sudore largo, ex quo expergefata, de languore & debilitate maxima est conquesta; sudor autem ille per totam hebdomadam manavit, sub quo ipsi liberali manu potui datum decoctum cornu cervi cum succo citri. Sic periculosum hunc morbum evasit quidem, sed remansit lenta febris post puerperium, quæ inordinato victu sustentata, & adaucta, tandem degeneravit in hecticam, quæ circa æquinoctium autumnale attulit mortem.

Epicrisis.

Peccant communiter medici, quando lochiorum fluxum imminutum, vel penitus emanentem, calidioribus & pellentibus urgent, quæ majorem orgasmum sanguini inducendo, anxietates augent alvumque siccant. Tum potius, in exquisitoris præsertim sensus corporibus, antispasmodica, & sanguinis æstum temperantia, nitrum & castoreum, ex usu sunt, & longe felicius resistentem fluxum revocant. In nostra maturius mittendus fuisset sanguis, quod præsidium ex optimis in puerperis lochiis destitutis, ad præsciendenda pathemata

gravissima. Neque dubitandum, quod neglecta venæ sectione, sanguis, ob spasmus interiorum, ex urinæ & alvi suppressione cognoscendum, sit ad caput delatus cum impetu, ibique induxerit phrenitidem, quæ deinde aliis convenientibus auxiliis, venæ sectione, nitrosis & internis æque ac externis discutientibus, depulsa, felicem finem per magnum criticum sudorem nacta est. Quod autem remanserit lenta febris, id non infrequens in puerperis, præsertim inordinato & incongruo victui indulgentibus. Nam naturæ robore per puerperium & morbum fracto, ventriculus etiam debilis est, ut postea ingesta non rite digeratur & comminuat, sed cruditates gignantur multæ noxiæ, lentis febribus ansam & causam præbentes,

OBSERVATIO III.

*Phrenitis
ex calidioribus
lethalis.*

Sub initium hujus anni, in febrem nobis aliquamdiu epidemicam, synocham catarrhalem, cum animi deliquio, horrore, æstu & catarrhis, incidit vir probus & profundæ eruditionis, muneri ecclesiastico haud ita pridem præfatus. Medicus vocatus, ad malignitatem arcendam crebrius exhibuit mixturam simplicem & tincturam bezoardicam, jussit quoque, ut eger in lecto & conclavi calido detineretur, ac ipsi nihil aliud potui præberetur, quam infusum calidum herbæ theæ. Quinto die apparuere in cute exanthemata: hinc continuata eadem remedia, additum oleum bezoardicum Wedelii & interpositi quoque pulveres nitrosi. Ægrum vero a primo morbi initio affligerunt vigilæ assiduæ, sitis intensa, corpus sudore diffuit, jactatum anxietate perpetua ac inquietudine, eademque parthemata persisterunt jugiter, licet purpura esset expulsa, firmamque in cute servaret stationem. Nono die data a medico ad quietem conciliandam medicina, opii contagium haud obscure prodens; persisterunt tamen anxietates & corporis jactationes, & æger

Tom. IV.

subinde delirare visus, absurda nonnulla loquutus. Accidit postea, ut, nescio cur, vehementius animo commoveretur æger, quo in furorem per intervallo delirium erupit. Ad quod componendum medicus alius accersitus undecimo morbi die venam secare jussit, emissis decem circiter sanguinis unciiis. Inde primum quidem somnus inductus, sed post hunc plane furere cœpit æger, ut vix ab aliquot viris in lecto contineri posset, omnia discerneret, & domesticos, parentes atque agnatos, diris verbis, quin verberibus exciperet, donec vigesimo primo die mors miseriarum faceret finem.

Epicrisis.

Pervenit ad nos tristis hæc historia, eo ipso tempore, quo hæc de phrenitide tractatio typis exscribebatur, quam non levibus causis inducti heic inserendam duximus. Luculotum autem præbet exemplum, quomodo ex præpostera medicatione, regimine nimis æstuoso externo & internis calefacientibus, exanthematica aliàs benignæ indolis materia, malignam & subtilem in intima membranarum cerebri penetrantem inducere possit naturam, ad delirium atrox, mania tantum non æquale, inducendum, præsertim ubi cerebrum jam tum imbecille. Dictum igitur hoc sibi putent, juniores in primis medicinæ practici, ne unquam in exanthematicis, etiam purpura, calido regimine & calefacientibus pharmacis, suos excipiant, vires pessundent, morbum exasperent, & truculenta inducant parthemata. Deinceps venæ sectio undecimo morbi die largior, levamen afferre potuit nullum, ut potius, uti subinde observavimus, detrimentum fuerit. Nam in principio quidem, si vires adhuc valent & corpus sanguine redundat, tutissimum & efficacissimum præsidium est utique; sed ubi vires ob morbum, vigilas & præposterum calidum regimen calidaque pharmaca, exhaustæ sunt, rejicienda largior subtractio, quippe quæ vires longe magis prosternt, ad vincendam morbi

P

cau-

causam tamen necessarias. Recte ob id monet Sydenham in opp. phreneticis, & maniacis, plus interdum succurrendum esse analepticis, quam sanguinis missione. Quod si tamen sanguis in cerebri vasis subsistens ventilationem poscit, satius est, ut eadem proxime per nares procuretur exitus, eo quod ex anatomicis notum est, quod interna carotidis ramus per os cribiforme, una cum nervo olfactorio, ad pituitariam narium tunicam fertur. Hinc ego sæpius cum fructu, ad phrenitidem arcendam, stilo in nares provide, sed alte intruso, stillicidium elicere jussi.

OBSERVATIO IV.

Delirium post phrenitidem sanatum. Virgo tenera & in iram prona, septemdecim annorum, a pariori mentium fluxu febrem incurrit pleuritica, cui accessit phrenetica. Liberata tamen a mortis periculo liberali narium stillicidio; sed restitit postea mentis alienatio & phantasia corrupta, ut interdum angore ac mœrore afficeretur, interdum furore percieretur, cum crebris tensivis artuum tractionibus. Ego in consilium vocatus suasi Selteranarum cum lacte potum ad mensem cum balneo aquæ dulcis. Peracta hac cura, pro potu dedi decoctum hordei amygdalatum, cum nitro & saccharo conditum, quod largiter bibit. His non modo mœns ad constantiam & sanitatem, sed & mensium fluxus in ordinem redactus, ac intra semestre spatium perfectæ reddita est sanitati.

Epicrisis.

Dici vix potest, quam spectatæ virtutis in cerebri & nervorum gravibus affectibus, tam convulsivis, quam cum insania junctis, sit diluentium & humectantium usus: his enim humores fluxiles redduntur, obstructions expediuntur, acres succi diluuntur, ac temperantur, spasmus erispatæ fibræ remittuntur, & insigne imbecillis partibus adjicitur robur. Quo

nomine, ego quidem, inprimis celeberrimo balneo aquæ dulcis, & lac, si obtinendum, optime asininum, cum aquis mineralibus temperatioribus, alcalino sale foetis, quales sunt maxime Selteranæ.

OBSERVATIO V.

Adolescens quindecim annorum, *Phrenitis ex ira in chronicam insaniam mutata curata.* litterarum studia intemperantius tractans, iracundus & cum sodalibus inter perpetua jurgia versans, aliquanto durius a patente verberibus paullo post cibum fuerat exceptus. Ex eo male habuit, parum appetiit, minus dormivit, somno insomniis terrificis interturbato, donec post septimum diem in phreneticam pathemata erumperent febrem, cum motibus artuum convulsivis, qui per intervalla gravius affligerunt. In paroxysmo vehementissime vociferabat, maledicta in omnes eructabat, cædebat & discerpebat obvia. Licet etiam somnum ad aliquot horas caperet, ut videbatur placidum, delirium tamen manebat idem. Comparuerunt postea nonnullæ pustulæ rubicundæ in dorso ac pectore, urinæ secesserunt tenuis sine sedimento, & pulsus durus semper fuit, celer & inæqualis. In hoc tam gravi morbo, æger præter ptisanam, cum lacte, syrupo rosarum & nitro, bibit nihil, sed largiter, tam salubri effectū, ut gravia symptomata cum febre discederent. Non tamen perfecte mentis morbus sublatus, sed incescit animum odium erga propinquos & præpositos, levi ex causa vehementissime excanduit, ut tremere, factus fuit insolens & domesticos cibos plane respuit. Hinc datum consilium, ut Schwalbacenses aquas biberet per mensem, & postea per quatuordecim dies balneo uteretur ex aquis Schlangenbadensibus, quod etiam tam feliciter cessit, ut sanus, & corpore, & animo, domum rediret. Ut autem integritas hæc servaretur, suasu medici abstinent

nuit postea a cerevisia gravi lupulata, ac ptisanam ex hordeo cum radice scorzonera loco ordinarii potus bibit, mane etiam usus infuso theiformi cum lacte, cui subinde nitrum indicum.

Epicrisis.

Quam noxia post cibum sit ira, ex his uberius patet. Ac uti verum omnino est tritum, ira furor brevis, sic etiam in dispositis ira in febrem facile degenerare potest furibundam. Patet dein, quam utilis sit humectantium & diluentium potus, ut recte adhibitus, curationis punctum absolvat fere omne. Porro notandum, ad abigendam insaniam, multum conferre itinera, ob loci, aeris & personarum invisaram mutationem corporisque motum. Multum vero etiam præstat, recte jam notante Hippocrate, ætatis mutatio, ut sponte sæpe, post vigesimum primum ætatis annum, ejusmodi capitis morbi discedant.

CAPUT VI.

De Febribus Pneumonicis, sive Pleuritide, & Peripneumonia.

Theses Pathologicae.

§. I.

Descriptio pneumonicae febris.

Pneumonica febris est acuta, inflammatoria, orta a stasi sanguinis intra sanguifera vascula pulmonum, vel etiam venæ azygos ramulos in pleura, juncta cum acuto & pungitivo dolore lateris, spirandi difficultate, æstu immodico, pulsu duro & frequenti, tussi sicca, vel etiam humida, quandoque cruenta, periculi nunquam expers.

§. II.

Differt ratio loci inflammationis.

Nulla febris inflammatoria est, quæ omnis ætatis, sexus & temperamenti hominibus, in frigidis, æque ac calidis, & temperatis regionibus degentibus, adeo infesta est, & quæ etiam simul plures ob aeris inæqualitatem & in-

temperiem epidemice corripit, quam quæ in thorace sit, sive in ipsis pulmonibus, sive in musculis intercostalibus, tam internis, quam externis, pleura nervosa interius cinctis. Prout autem inflammatio in thorace partibus insidet diversis, varia non modo accipit nomina, sed & symptomatibus, eventu & curandi ratione, plurimum differt. Veteres quidem, accurata anatomica partium cognitione destituti, subjectum pleuritidis & peripneumoniam esse putarunt pleuriam, ob id omnem fere thoracis inflammationem dixerunt pleuritidem. Hippocrates tamen distinctionem jam fecit inter pleuritidem & peripneumoniam. Quo forsitan omnes fere prisca & medii ævi, quin superiori adhuc sæculo medici, inducti, ut in peripneumonia pulmones, in pleuritide autem vera hos plane non, sed tantum pleuram cum musculis, quos succingit, affici asseruerint. Falsum autem esse hoc assertum, & pleuriticum malum omnino etiam in pulmonibus consistere, pluribus & momentosis rationibus docui in dissertatione de pleuritide & peripneumonia. Validissimum enim est argumentum ex sectione pleuriticorum, quam Petrus Servius teste Welschio Dec. I. curat. IV. Romæ in nosodochio ad S. Spiritum, vel in trecentis instituit, & semper lobum pulmonis infectum, materiaque repletum conspexit, pleura aut nihil omnino ad sensum vitata, aut leviter tantum quodammodo inquinata. Hinc, mea quidem sententia, ita sedes diversa inflammationis in thorace determinanda, ut si externas tantummodo partes occupet, emergat pleuritis spuria, si membranosa pulmonalis substantiæ superficiem, instar erysipelatisprehendat, pleuritis sit vera, & ubi altius in ipsam pulmonum substantiam descendat, gravior sit atque profundior, peripneumoniam excludat.

§. III.

Hæ igitur inter se dissidentes inflammationes

*Signa
pleuriti-
dis spu-
ria.*

inflammationum in thorace species probe sunt discernendæ a medico, per notas quasdam essentielles & characterísticas, jam sigillatim commemorandas. In pleuritide quippe spuria dolor est valde acutus & pungitivus lateris, qui etiam tactu augetur, decubitus in latere affecto difficilis, tussis sicca, sine ejectione materiæ pituitosæ, vel cruentæ, dolorem tamen, si valida est, exacerbans: juncta etiam simul est febris, cum pulsu subdure, depresso & frequente. Causam deinceps ipsi præbet, non tam sanguinis, quam potius feri acris stasis, in finibus arteriolarum & venularum azygæ connexarum, nec non tubulorum lymphaticorum, in pleura, vel etiam pericardio costarum, ubi sensus adhuc est acutior. Hinc nihil aliud quam rheumatismi species est, & ob id familiaris illis, qui catarrhis, doloribus rheumaticis, arthriticis obnoxii sunt, vel hemicrania subinde vexantur, præsertim si ex aere nimis calido in frigidum, vel contra, tempore potissimum vespertino, concedunt. Neque ea propter sanguinis missionem poscit, nisi eminens admodum urgeat plethora, sed sola diaphoresi & auctiori perspirationis successu, mox & facile iterum, circa septimum plerumque diem, solvitur ac periculi expers est.

§. IV.

Pleuritis vera. Pleuritis vera inflammatio est sanguinea, a stasi sanguinis in vasculis vasorum bronchialium, quæ superiori sæculo detexit Ruyschius, & quæ tantummodo nutritioni membranarum, vesicularum & vasorum, pulmonum compagem constituentium, serviunt. Atque adeo principaliter ipsi pulmones sunt affecti, sed quoad partem tantum externam superficiei. Et hinc est major, quam in spuria spirandi angustia, sputum cruentum, & quod expectoratione morbus solvatur. Febris etiam juncta ut plurimum, sed magis acuta ac in spuria, adfunt quoque dolores, sed non tam acerbi, nec tactu exacerbandi, in latere affecto. Trahi-

tur enim simul in consensum pleura thoracem investiens, tum quod exterior pulmonalis membrana pleuræ foliæ, tum etiam quod in plurimis hominum pulmones in alterutro minimum latere pleuræ annati atque concreti sunt.

§. V.

In peripneumonia dolor est magis tensivus, obtusus, pressorius, quam acutus & ad dorsum usque, & scapulas propagatur. Sed major spiritus difficultas, anxietas, & ægra expectoratio, qua sputum varii coloris ex imo ducitur. Nam in hac vasa pulmonum ipsa, quæ sanguinis cursum & uno cordis ventriculo in alterum absolvent, affecta & sanguine crasso, in solidescens naturam abeunte, sarta sunt atque obstructa. Quare majori stipatur periculo & facile, quos corripit, necat, præsertim si senes, & tempestiva sanguinis omittitur ventilatio.

§. VI.

Interim licet veteres minus exacte distinxerint thoracis inflammationes; quia tamen frequentissimus fuit morbus, ubi vixerunt prisci illi medicinæ principes, Trallianus, Aretæus, Celsus, Aurelianus, & reliqui, ex ipsis morbi symptomatum historia accuratior peti potest, quam forsitan ex recentioribus. Mihi præ reliquis placuit Aretæi descriptio, quam l. i. c. 10. de pleuritico morbo consignavit: comitatur, ait, illum dolor acutus, ad jugula ascendens, ignis acer. Quibusdam vero & in terga, & in scapulas dolor protenditur. Sequitur etiam difficilis spiritus, vigilia, ciborum fastidium, malarum rubor, tussis arida, sputa ægre excurrentia, pituitosa, aut abunde cruenta, aut subflava. Pejus est, si cruentum sputum non adsit, si delirant, vel comate occupantur. Scribit porro, egros intra septimum, vel decimum quartum diem convalescere, aut perire, pro symptomatum vehementia. Vel si ad vigesimum diem malum extendatur, fieri empyicos. Ad-dit etiam, quod hyems maxime ferax sit, secundo autumnus, ver minus, nisi interdum perfrigidum sit, æstas ve-

*Et peri-
pneumonia.*

*Morbi
historia
ex Arg.
2. 20.*

ro minime; item quod inter ætates senes maxime huic malo obnoxii sint, pueri minime, vel minuseo periclitentur, quia puerilia corpora rara sint, humida & fluxa, multaue in iis diffusio & exhalatio.

§. VII.

Ad primum
mam causam
concurunt
plures.

Quum autem gravia omnino, quæ febrem pneumonicam comitantur pathemata, unice fundamentum suum habeant in inflammatione pulmonalis substantiæ; in procinctu est judicare, quod omnia, quæ libero sanguinis progressui per minima pulmonum vascula, vel canalium a copia crassæ materiæ obstructione, vel eorum valida spastica, a materia tenui, acri, constrictione obicem ponunt, ad ingenerandam inflammatoriam hanc febrem sint aptissima, præsertim quando plures simul causæ, quæ dicuntur antecedentes, procatactica & remota, in unum hunc effectum conspirant. Igitur ii, qui ex victu crasso, impuro, potu spirituofo, humidi & motus defectu, sanguinem in venis alunt, & copiosum, & spissum, qui recte Sydenhamo *art. 1. c. 11* dicitur pleuriticus, quam facile, conspirantibus aliis procatacticis causis, morbum hunc nanciscuntur, tum maxime, quando corpus per intensiorem exercitacionem, operosum laborem, balnea item calida, necnon spirituoforum potum, vehementius exæstuat, & postea frigida septentrionali auræ incautius committitur, aut, quod pejus adhuc, subito potus ingurgitatur perfrigoratus. Prompta etiam eandem ob causam hujus passionis genesis in sanguineis & plethoricis est, omiffa tempeftiva sanguinis missione. Idem evenit scæminis, quibus menses, vel inordinate, vel iusto parcius fluunt, vel etiam si ob ætatis rationem plane emanent, nec non viris, quibus hæmorrhoidum fluxus non rite obtingit, aut plane suppressus est.

§. VIII.

Spastica
vasorum
strictura.

Deinceps non semel, sed sæpius observavi, tormina, spasmos, & colicos,

Tom. IV.

nec non hypochondriacos in abdomine & intestinis dolores, cum alvi vehementiori constrictione, sequutam fuisse inflammationem pulmonum, maxime in plethorico-cacochoymicis. Nam horum ea est natura atque facultas, ut comprimendo vascula, præsertim venosa, liberum sanguinis iter impedian, ejusdemque motum inæqualem, & majorem præter naturam appulsum ad alias, inprimis superiores partes, efficiant. Quo postea nimio appulso fit, ut sanguis non modo urgeatur ad tubulos, qui ob minorem diametrum sanguinem ordinario nec vehunt, nec capiunt, sed & in hisce vasorum angustis impactus hærens, equabilem & inoffensum progressum incipiat, & omnes functiones, quæ sunt secundum naturam, perturbet. Et quia corpora hæmorrhagiis admodum obnoxia, plerumque sanguineæ sunt complexionis, & spasticis in imo ventre stricturis patent; hinc fit, ut juvenes, qui largas narium hæmorrhagias, sputum cruentum & hæmorrhoides præmaturas experiuntur, perquam facile, accedentibus occasionalibus causis, in pleuriticas & peripneumonicas febres incidunt. Porro frequenti observatione constat & illud, quod a scabie retropulsa, a præpostere cohibito simplici, vel dysenterico alvi fuxu, a consolidatis antiquis ulceribus, a critico consueto pedum, vel totius corporis sudore suppressio, vel purpura chronica ob frigus externum retrocedere, pectoris oborta fuerint inflammationes, Illa enim materia acris causticæ indolis, recrementitia, nervolis pulmonum & thoracis tunicis impacta, ob spasticas, quas suscitatur, stricturas sanguinis progressui obicem ponit, eundemque in æqualitate turbat. Neque etiam rarum est, post variolas & morbillos, præsertim male tractatos, gigni in thorace inflammationem, quum hi morbi nunquam non pulmonibus infecti esse, ac in iisdem labem & imbecillitatem relinquere soleant.

P 3

§. IX.

§. IX.

Epidemi-
ca est.

Præterea, quandoque ab extraordinaria, & insueta aeris temporumque constitutione, pleuritides, tam veræ, quam spuræ, populares sunt & epidemice. Evenit hoc, si hyems diuturna nimis rigida regnavit, item quando longam austrinam aeris temperiem & levem atmosphæram, repente frigida & borealis, valde elastica aura excipit. Quod postremum quum inprimis vere & autumnino contingere soleat, hinc tum febres tam catarrhales, & malignæ & benignæ, quam pleuritice circumire solent. Post asperam etiam hyemem notavimus grassantes pleuritides crudas, in quibus vix nono & decimo die sputum apparet. *Hippocrates morb. lib. 2.* vocat siccas, & in ipsis ægri primis diebus admodum anguntur, viresque dolore & inani tussi admodum concidunt, ut procedente sputo, expectorationis vix sufficiant, & ægri difficulter convalescant. Endemiæ etiam dantur peripneumonice. Notum quippe est frequentem admodum esse peripneumonice morbum, & plures, in Westphalia, Pomerania, Svecia, Dania & Russia interficere. Id quod vero tam propter solennem his in regionibus victum durum & crassum, quam propter aerem frigidiorum & asperiorum, septemtrionalibus locis proprium, accidere arbitror.

Et endemi-
ca.

§. X.

Crises
servat.

Ego quidem vix in ulla febre tam accurate observavi crises, quam in pneumonica, pleuritica scilicet & peripneumonica. Nam in juvenibus, & qui paulo vegetioris nature, circa quartum plerumque diem sputum prodit cruentum, & septimo die morbus sponte sua per sudorem largum solvitur. In phlegmaticis & segnioribus, nec non ubi vitium pulmonibus insidet altius, undecimo, vel etiam decimo quarto die, morbi fit solutio, partim screatu, partim sudore, pulsu facto molliori, accedente somno placido & virium incremento. In imperfecta autem crisi criticis diebus etiam apparet sudor,

sed non sufficiens, ideoque nec ægrum levat, nec morbum solvit. Et ubi symptomata durant ad 21. diem, metus est abscessus in pectore periculosi. Bonum igitur indicium, quando expectoratio ex imo pulmonum succedit bene, elevans materiam viscidam, quarto die cruentam, dein flavedine tinctam, interdum etiam purulentam. Et quo expeditior screatus, eo major sanitatis spes, quo impeditior, eo minor. Laborandum modo, quando morbus expectoratione materie copiosæ virulentæ terminatur, ne in fine phthisis, vel hæctica accedat. Nunquam autem tuta crebra alvi fluxio, suspecta etiam urina sine sedimento, & minus quoque fausti ominis sudor largus, extra dies criticos. Quando tamen undecimo, vel duodecimo die alvi dejectio non nimis copiosa accidit, non adeo pertimescenda, sed purulenta materia quandoque simul ejicitur. Quando etiam circa diem quartum naturæ beneficio narium prodit stillicidium, id non sine notabili contingit euphoria.

§. XI.

Nulla ex inflammationibus tam facile recidivat, ac febris pneumonica, præsertim quæ paullo profundior fuit cum quodam abscessu. Mihi nota sunt exempla, ubi quidam vix convalescentes, inordinata diæta, potu inprimis copioso vini meracioris, in eundem morbum, elapso vix mense relapsi, lethali plerumque eventu. Quin novi inflammationem hanc, bis, ter, quater & pluries anno, eodem in loco, ubi primum constiterat, recruduisse. Ut adeo, qui semel hoc affectu tentati, ejusdem repetitum insultum exacta vitæ victusque ratione, semper opus habeant arcere eum cura.

Recidive
frequen-
tes.

§. XII.

Qui autem inflammatione pulmonum moriuntur, suffocatione pereunt, quia materiam in vesiculis aëreis & ductibus bronchialibus hærentem tussi amplius ejicere nequeunt. In se-
tio.

Mortis
causa.

Aione pulmones inveniuntur inflati, duri, instar hepatis, & ob vasa sanguine crasso tenaci facta, aqua injecti fundum petunt. Vidi etiam pulmones abscessibus parvis & tuberculis duris obsessos, cum inflammata & sphacelata pleura, pulmonum substantia adherente. Neque minus nota mihi sunt exempla, ubi polyposae concretiones, in vena pulmonali, item arteria magna repertae, obicem posuerunt liberiori sanguinis per pulmones cursui, & inflammationem, ob sanguinem copiosius, quam debebat, eo delatum, induxerunt.

CURATIO.

§. I.

Indicationes curatio-
nis.

Quia igitur sanguis subsistens & aequalem circulum intercipiens unica proxima hujus morbi causa, palmarium utique in sanando est momentum, ut is expediatur iterum atque discutatur. Ad quod perficiendum, haec subordinata faciunt indicationes: 1.) quando ulterior sanguinis stasis atque stagnatio impeditur; 2.) quando lentor in sanguine pleuriticorum obuius diluitur & colliquitur; 3.) quando pars affecta, per spasmus, dolorem & copiosum affluxum rigida mollietur & laxatur, quo impactus cruor ab appulso sanguine arterioso eluatur ac in motum rursus cieatur; 4.) quando excretio materiae viscidae, sanguinolentae ac purulentae, in bronchiis pulmonum haerentis, per sreatum facilitatur, simulque abscessus & empyematis generatio praescinditur.

§. II.

Sanguis
mittendus.

Ad praecavendum inflammationis incrementum, nihil utilius est sanguinis missione, quae quo citius administratur, eo plus auxilii praestat. Secetur vero vena in brachio, & quidem illius lateris, quod affectum est: mittatur etiam liberalius, si plethora eminens & cum impetu exsilit sanguis. Quin ubi serum admodum tenax & glutinosum, emissio sanguini innatat,

& respiratio post sectionem adhuc valde difficilis urget, confidenter iterato subtractio administranda, praesertim si paullo profundioris staseos inflammationis suspicio.

§. III.

Ex internis quam maxime proficua, quae sanguinem, serum ac humores tenues reddunt ac fluxiles, crassos vero ac spissos colliquant, blandamque simul movent diaphoresin. Quod ut obtineatur, conducunt haec. Infusum theiforme, ex herbae veronicae, chærefolii, salviae ana manipulis duobus, radicis liquiritiae uncia, seminis feniculi drachmis tribus, de quo frequentius patelle quatuor vel quinque forbillandae. Dein mixtura discutiens & diaphoretica, hunc in modum: recipe aquae cardui benedicti, scabiosae, florum sambuci, acaciae ana uncias duas, theriacalis unciam semis, aceti destillati unciam, lapidum cancrorum drachmam, antimonii diaphoretici scrupulos duos, syrupi papaveris rheados, vel syrupi croci, ex sacchari dissoluti uncia & extracti croci granis octo parandi, drachmas duas. De qua dua vel tria cochlearia, bihorio quovis, alternatim danda cum pulvere hoc: recipe antimonii diaphoretici, sive cerussae antimonii, lapidum cancrorum, mandibularum lucii piscis, dentis hippopotami, solationis oculorum cancri ana drachmam, nistri puri drachmas duas, cinnabaris scrupulum. M. f. pulvis ad drachmae dimidii pondus pro dosi exhibendus. Quando etiam natura paullo segnior & pleuritis epidemia mali moris, pulveri huic adjicienda camphora, quae potenter resistit inflammationibus, & ne latius serpent, impedit. Tenendum tamen, dimidium granum pro dosi sufficere, & desuper bibendam esse emulsionem ex seminibus quatuor frigidis majoribus, cardui Mariae & nucleis pinearum, cum decocto hordei & cornu cervi paratam.

§. IV.

Dolores acutos mulcet & rigidas fibras optime remittit, vesica calida

Diluentia pro-
sunt &
discu-
tientia.

Spasmus
laxandus
& spues
secundum
dum.

P. n. dda.

dolenti parti tantum non perpetuo admota, plena decocto emollientium specierum, uti florum sambuci, meliloti, verbasci, chamomillæ, malvæ, liliorum alborum, seminum quatuor carminativorum, croci, ex lacte. Recte enim jam *Aretæus lib. 1.* in curatione pleuritidis præcipit, ut lateri dolenti applicetur vesica calente oleo repleta, modo fatus levis sit, ne pondere dolorem efficiat. Et certe hoc topico mirifice levantur dolores, respiratio facilitatur, simulque materia ad expectorationem præparatur. Ipsam tandem expectorationem egregie promovet linctus ex olei amygdalarum dulcium uncia dimidia, spermatis ceti drachmis duabus, croci granis decem, syrupi violarum, sacchari canthi ana uncia una cum dimidia. De quo crebrius quicquam deglutendum, vel cum decocto avenæ excorticatæ, aut sero lactis dulci assumendum.

Cautelæ & Observationes Clinicæ.

§. I.

Potissimum curationis momentum situm est in sanguinis missione, de qua perite *Aretæus lib. 2. pag. 180.* monet: nulla moræ atque dilationis in pleuritidis, quin protinus valenti remedio succurramus, datur occasio, quo primo præcipue die vena secanda est cubiti, & quum mediocriter effluerit, recreandus homo, interjecto temporis spacio, iterum detrabi potest, si bene habeat, sin minus, postridie. Hæc quippe non tantum in juvenili ætate utilissima, sed & senili, quia hæc plus sanguine abundat, quam alia, magisque crassum ac tenacem in venis alit, qui inflammationes facit profundiores ægre discutiendas, eaque propter hac in ætate etiam, si vires patiuntur, venæ sectio potest repeti. In primis curandum, ut pro viribus & quantitate sanguinis, nec nimium, nec parcius extrahatur. Quod si enim iusto plus emittitur, non modo expe-

ctoratio inhibetur, sed & stasis sanguinis dissolvenda obfirmatur magis, vel plane in sphacelum transit. Si autem minus, quam par est, evocatur, parum juvat, sanguis nacto spatio, impetuosius affluit, & stagnatio cum inflammatione increfcit.

§. II.

Deinceps curandum quam maxime ^{Alvi evacuationē.} in his pneumonicis febribus, ut alvus aperta & intestina a spasms libera maneat. Soadet id jam *Trallianus l. c.* nec non *Hippocrates lib. 3. de morb. §. 17.* alvum, inquit, in primis quatuor aut quinque diebus subducere oportet, & hoc paullo amplius, quo & febres obtusiores sint & dolores leviores. Nos quidem commendamus hunc in finem clysteres emollientes & paregoricos, domesticos cum oleo amygdalarum dulcium, quibus & alvus reseratur, & strictura intestinorum spastica laxatur. Recte etiam *Aretæus l. c.* præcipit: medelam inferioribus partibus adhibendam negligere non oportet, viris quidem in anum, oleum rutaceum, mulieribus in uterum, insundendum est. Quod experimentum etiam locum habere potest, si intestina crassa spasms constricta, vel spasmmodica uterina passio mulieres detinet.

§. III.

^{Potum.} *Trallianus lib. 4. pag. 269.* majorem in modum in ejusmodi inflammationis affectibus commendat, & quidem merito, potus aquoso-mulso. Commendat quoque & laudat cremorem ptisanæ, bene decoctum, largiter sumtum, cum amygdalis incoctum: neque desinas, ait, tepidam adhibere, dum cibus & aliæ potiones exhibentur, & addit, nullum aliud auxilium pleuritidis ita accommodatum invenient, etiam si febris adsuerit vehemens. Ptisanam suam semper etiam laudat *Hippocrates*. Et certe humida tepide sumpta, omnibus præferenda esse, expertus scribo. Ad humores vero diluendos, nil utilius decocto avenaceo,

naceo, vel hordeaceo, addita decenti quantitate, mellis Prussici, nec non sero lactis dulci. Et quo plus humidi, præsertim si corpus valde sudat, assumitur, eo salubrius est.

§. IV.

Uti in omni febre inflammatoria, *Regimē & valida evasquantia.* sic maxime pneumonica, abstinendum a regimine nimis calido, quoad lectum & conclave, potu etiam nimis calido. Cavendum vero etiam vicissim a refrigeratione & potu frigido. In medicatione exulent omnia fortiter urinam, sudorem, necnon alvum moventia, ne lymphatici tenues humores, quorum beneficio stasis dissolvenda, aliorum trahantur. Nam de alvina excretionem perite jam monet Hippocrates lib. 3. de morb. multus humor si infra secedit a quinta die mortem inducit. Etenim supernæ partes rescantur & sputi purgatio sursum non prodit. Oportet igitur, & infernam alvum neque valde suppressam esse, ut ne febres sint acutæ, neque valde egerere, quo saliva sursum educi queat, & æger viribus valeat. Quando tamen alvus bis, vel etiam quater sua sponte fertur, minime id est prohibendum.

§. V.

Anodyna. Ad dolores acutos sopiendos commendantur plerumque anodyna & opiata. Sed cavendum ab iis est, præsertim in senili ætate, ubi humorum spissitudo & inflammatio profundior. Fugito, serio monet Trallianus l. c. diacodium & philonium. Nam maxima pericula inducunt, cum humores educationi contumaces reddunt, & vires prosterunt redduntque emortuas. Ubi vero impensior dolorum atrocitas in ætate juvenili, ultra papaveracea, emulsionem nempe cum semine papaveris ejusdemque syrupo, vel diascordium Fracasiorii, non facile ascendendum; ita tamen, ut semper ipsis admisceantur nitrosa & diaphoretica. Externe autem ad mulcendos dolores ipsamque discussionem secundandam, præter superius commendata, utilis est

fotus cum pinguedine caponis calefacta, in cujus uncia, dimidia camphoræ drachma soluta.

§. VI.

Expectorantia & dulcia non nimis cito propinari debent, primis scilicet diebus, sed tunc demum, quando materia cocta, viscida, mobilis est & ad excretionem apta; aliàs major ad pulmones proritur affluxus. Nonnulli etiam sperma ceti in copia assumtum ad sanguinem dissolvendum commendant. Ego vero ob nauseam, quam parit, plus illud nocuisse, quam profuisse, observavi. Neque etiam hoc tanta dissolutoria facultate pollet, quam acetum cum cancrorum lapidibus.

§. VII.

Quando die critico, uti sæpius, nisi *Morbo declinante temenda* turbas faciat medicus, incidit, inflammatio per copiosum sudorem solvitur, quem liberior respiratio, corporis quies & virium incrementum subsequitur, diaphoreticis & diluentibus aliquamdiu adhuc insistendum, sed non tam crebro. Exacta quoque victus habenda ratio, ne plus, quam par est, & ventriculus debilis subigere possit, assumatur. Quo morbi reliquæ penitus consumantur, & recidiva arceatur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Juvenis accedens ad annum vigesimum sextum, sanguineo-cholericus, habitus corporis strictioris, ante duos annos singulis fere mensibus sibi applicari curavit cucurbitulas cum scarificatione, postea simul & semel per annum id intermisit. Aliquando nullo notabili incommodo circa pectus fuit affectus, sed Februario mense, hyeme tepida, corripitur primum horrore & rigore, corporisque lassitudine, quibus mox accessit dolor in pectore, spirandi angustia, cum prostratione appetitus, virium, calore præternaturali.

Expectorantia.

Morbo declinante temenda

Peripneumonia ommissa v. s. lethalis.

rali, pulsu celeri, duro & inequali, somnoque inquieto. Adhibita remedia varia interna pneumonica, omiffa tamen vera fectione, incassum. Ad aucta enim in pectore angustia cum metu suffocationis, expectoratio fuit difficillima, febris facta intensior, facies rubicunda, oculi feroces, & assidua vigilia circa diem septimum delirii præbuerunt indicium, quod etiam eodem adhuc die accidit, cum ipsa morte. Aperto post mortem thoracis cavo, in conspectum venerunt pulmones mirum inflati, distenti & tactu duri. Replerunt hi omnem fere cavitatem, & firmissime præterea erant adnati diaphragmati, costis & dorsi vertebris, in utroque latere, ut difficillime cultri acie potuerint separari. Exempti apparuerunt admodum duri instar carnis, vesiculæ quasi carnea crassa rubicunda substantia erant infarctæ, & quum discinderentur, pauca quantitas ichoris putridi sanguinei effluxit, præfente pure nullo. Lanci impositi gravitatem quinque ponderum exhibuerunt, & aquæ injecti semper ad ima descenderunt. Ipsa in aspera arteria spumosa & tenax materia reperta. Arteria & vena polyposis concretionibus, quæ ex corde & auriculis, quarum columnis, & fibris firmiter erant connexæ, exemptæ, plus quam duarum unciarum pondus habuerunt. Cordis ventriculi crasso, & nigricante cruore penitus erant conferti, & in pericardio sex minimum cochlearia aquæ, instar carnis loturæ, fluctuabant.

Epicrisis.

Patet hac ex fectione, in peripneumonia non semper adesse pus & materiam, sed potius crassam sanguinis substantiam firmissime poris & tubulis pulmonum impingi, & ita tumorem durum, qui omnium symptomatum succedentium causa est, effici. Innotescit deinceps hoc casu, omiffam consuetam sanguinis subtractionem, in corpore plethorico sanguineo-choleric-

co, gravissimæ tali sanguineæ inflammationi ansam præbere posse & occasionem. Porro admodum probabile, polyposam substantiam ex crassiori sanguinis parte concretam, & in pulmonalibus vasis hærentem, multum ad generationem hujus affectus contulisse. Testatur enim *Malpighius de polyp.* peripneumoniam sæpenumero induci a polyposis concretionibus in pulmonum vasis hærentibus. Non immerito quidem mirandum, cur, posito hoc sanguinis progressui obice, non perpetua ante peripneumoniæ invasionem difficilis fuerit respiratio. Sed vasa, quibus polypi inhærent, ordinario magis ampliantur, ut sanguis nihilominus præterlabi queat. Quamdiu igitur sanguis placide circumagitur, nec quantitate nimis redundat, liber manet ejusdem per hos etiam tubos transitus, nullumque subsequitur incommodum, ut viderim, polypos ad ulnæ usque longitudinem per arteriæ aortæ, item venæ cavæ truncum superiorem & inferiorem fuisse elongatos, sine ullo sanitatis detrimento atque periculo. Verum si sanguinis copia accrescit nimium, tumultuarius violentus in ipso motus exsurgit, præsertim si ab externis constrictis impetuose ad interna urgetur, congestus circa cor & pulmones cruor, maximeque in tubis, quibus inhæret polyposa massa, stagnans & accumulatus, inflammatorios tumores, præsertim in viscere sanguineo, facillime excitare potest. Tum vero quam maxime necessaria sanguinis missio tempestiva, quo sanguini iterum pareretur circuitus, quæ nostro in agro pessimo consilio omiffa.

OBSERVATIO II.

Quum synochæ & catarrhales febres sub finem elapsi anni milites nostros præfidiarios epidemica prorsus ratione infestarent, Januario mense etiam plures, præsertim ex iis, qui contagium vitaturi in circumjacentes civitates, sub frigido valde & humido aere.

*Pleuyis
tis spu-
ria & S.
sanata.*

aere hinc discefferunt, corripuit spuria pleuritis. Ex his triginta commissi sunt curæ medici, amici & auditoris olim mei, qui febre laborarunt valde gravi, cum acuto dolore lateris alterutius in thorace, tussi sicca, sed intolerandum dolorem concitante & somni defectu. Omnibus is statim sanguinem mittere iussit in brachio, qui in pluribus cuticula glutinosa obductus comparuit. Potui liberaliter dare præcepit decoctum avenaceum tenue, cui incocta salvia. Temperatum in omnibus injunxit regimen, & præterea nil nisi pulveres, ex nitro, antimonio diaphoretico, lapidibusque cancerorum, admixto nonnunquam aceto vini & aliquot uncis aquæ cardui benedicti, dedit. Et exterius lateri dolenti calida tantum lintea admota. Sic morbus solutus fuit largo sudore, septimo, vel etiam undecimo, aut decimo quarto die. Juvenibus nonnullis, & quibus non sufficiens sanguinis quantitas subtracta, septimo, vel nono die, nares sanguinem stillarunt cum euphoria, & pulsus per totum morbi decursum magis fuit depressus, quam velox. Quos autem febris longius ad decimum usque quartum diem detinuit, his accidit purpura rubra, quæ vesiculis aquosis albis quasi erat obstita in omni corporis ambitu. Nihil tamen aliud usurpatum, quam pulvis bezoardicus cum nitro, liquor noster anodynus mineralis, & decoctum hordei, nec non avenæ excorticatæ, tepide largiter potum. His convalescere omnes, mortuus nullus, excepto unico, qui pleuritide cum petechiali febre fuerat affectus.

Epicrisis.

Facile in pleuritidem spuriam incidit, qui vestibus non satis munitus, in aere frigido & humido, autumno, vel hyeme, diu versatur. Nam ego nullum morbum & inflammatoriam febrem, tam prompte ab aeris intemperie, inæqualitate & mutatione generari, observavi, quam quæ in thorace consi-

stet. Notavi quoque, æstate valde sicca & calida si admodum frigidus & septentrionalis ventus subito excipit, non tantum destillationes catarrhas, sed & rheumatismos & pleuritides cum sputo cruento vehementesque lateris dolores fuisse frequentes. Nam aer quam maxime & proxime, propter continuam inspirationem, afficit pulmonum viscus intus, & exterius quoque thoraci & costis, quæ tenuioribus musculis, membranis nerveis & vasculis septæ sunt, allabatur, eaque propter quam facile spasticas crispaturas inferre & liberum humorum circuitum sistere potest. Recte autem medicus spuria hac pleuritide laborantibus omnibus secari iussit venam, ob crassum & copiosum, qui hyeme gignitur, sanguinem, quum aliis non semper in spuria, si corpus magis serosum, sanguinis missio sit necessaria. Neque etiam in pleuritide notha externe ita accommodata sunt unguenta & linimenta oleosa, vel etiam humida, eo quod per inspirationem, qua stagnans humor discutendus & dissipandus, impediunt. Præstat tantum partem affectam in temperato & æquabili calore, sub levi calefacto lectulo, servare, in primis quum nec omnis cutis, eodem modo ac in arthritide & erysipellate, ferre possit topica. Demum quoque notandum, purpuram rubram vesicularem non esse confundendam cum alba miliari. Illa enim longe benignioris est naturæ, & a sero non tam putrescente & vappido, sed potius acri scorbutico ortum ducit, & ob id, si modeste & perite a medico excipitur, non tanti est periculi.

OBSERVATIO III.

Juvenis literarum studiosus, viginti *Pleuri-* circiter annorum, spongiosus habitu & *tis vera* sanguine plenus, in prima ætate ob *purgan-* id crebrius narium stillicidium exper- *tis usæ* tus, liberatus vix ante aliquot menses *corre-* a quartana, qua cum per unum & dimidium annum fuerat conflictatus, *pta.*
Mar.

Martio mense, post multos in victu errores, potum vini minus boni & corporis refrigerationem, incidit in pleuritidem veram, symptomatibus stipatam consuetis. Datum in principio purgans, quod aliquot sedes movit, non sine subsequente imbecillitate. Secta etiam in cubito vena, e qua exiit sanguis valde spissus, niger, obductus materia tenaci glutinosa. Nihilominus tam impensa fuit spirandi angustia, ut propter suffocationis metum, nec supinus, nec in dextro latere cubare posset, sed erectus semper sedere necessum haberet. Pulsus simul erat admodum durus parvus & celer, vigilia continua, perpetua tussis, & sputum quodammodo cruentum, cum exquisito pungitivo dolore rejiciebat. Quinto morbi die vocor ego, & statim lateri dolenti admoveere iussi vesicam speciebus emollientibus ex lacte coctis plenam. Interius dedi pulverem hunc: recipe lapidum cancrorum, mandibularum lucii piscis præparatarum, antimonii diaphoretici ana drachmam, solutionis oculorum caneri, nitri puri ana drachmam semis, cinnabaris antimonii grana 15. M. f. pulvis, de quo ternis singulis horis dimidia drachma oblata, interposito potu infusi theiformis. Ter etiam vel quater quotidie porrigere iussi hanc mixturam: recipe aquæ chæresolii, florum sambuci, cardui benedicti ana uncias duas, aceri destillati drachmas sex, lapidum cancrorum drachmam, mandibularum lucii piscis, antimonii diaphoretici, ana drachmam dimidiam, syrupi jujubini drachmas tres. M. Cerevisiæ & frigidum potum interdixi omnem, sed liberaliter præbere iussi infusum herbæ veronicæ, florum sambuci, radicis liquiritiæ & seminis fœniculi, ex aqua. Septimo die supervenit hæmorrhagia narium, sequutus quoque per universum corpus sudor, & morbus ex voto solutus. Sanus etiam hinc discessit juvenis, sed audivi, eundem postea fere quotannis eodem malo fuisse affectum, ac trigesimo ætatis

anno phthisi tandem extinctum.

Epicrisis.

Juvenes sanguinei, qui hæmorrhagiis narium, vel hæmorrhoidum præmaturato fluxui in juventute obnoxii, a thoracis perfrigeratione facile incidunt in pleuritidem sanguineam. In his vero omne præsidium in sanguinis missione tempestiva. Quæ si negligitur, vel non conveniens quantitas emittitur, maxima spirandi ingruit difficultas. Quod ubi accidit, sanguinis e naribus stillicidium sponte obortum egregio est levamini. Quam salutarem crisin etiam in binis pleuriticis gravidis vidi, quæ semel tantum, non vero bis, aut ter, ut in graviditate necessarium, venam sibi pertundi curarant. Deinceps nunquam per totum pleuriticum, & peripneumonicum morbum tuta sunt, quæ alvum ad dejectiones sollicitant, sed clysteres mox in morbi principio ejusdemque progressu, in fine autem laxantia pectori amica possunt admitti. Quæ autem ego adhibui auxilia, a me incomparabili cum fructu semper fere sunt usurpata, in primis quum medicinam facerem ante quadraginta annos in Westphalia, ubi endemiæ pneumonica febris. In primis habeo, quod laudem crebriorem & largiorem potum infusi theiformis superius descripsi, sive decocti avenacei cum saccharo & nitro conditi. Neque reticendum, me sæpius circa dies criticos pulveribus diaphoretico-nitrosis unum aut alterum camphoræ granum adjunxisse, eodemque effecisse, ut morbus solveretur sudore, & subsequeretur expectoratio. Demum nulla inflammatio tam facile & crebro reddit, quam pleuritica & peripneumonica, nec non ipsa pleuritis spuria, certis præsertim temporibus. Hæc enim rheumatismi est genus, quod ad aeris vitia facile incidit. Et ubi semel vel iterum pars quædam per ipsum morbum debilitata, & pristino robore pri-

privata, structura quoque viarum & canaliculorum vitata, accedentibus aliis causis, æquabilem & naturalem sanguinis motum turbantibus, perquam facile præternaturales humorum stagnationes in minimis vasculis accidere possunt.

OBSERVATIO IV.

Peripneumonia ex colica lethalis.

Illustrissimus Consiliarius, robustus & habitior, bene appetens & duro vitæ a longo tempore assuetus, interdum cum euphoria hæmorrhoidalem fluxum passus, mense Januario, cælo algidissimo, ex abdominis refrigeratione & esu leguminosorum, colicam incurrit, per diem & noctem graviter affligentem. Quum vero medicus alvum clausam clystere non molliret, sed potionem carminativam cum calidioribus essentiis propinaret, tertio die accessit ingens respirationis angustia, cum febre, inquietudine & tenlivo ac pungente dolore, a pectore ad dorsum usque excurrente. Secabatur igitur vena in brachio, ac non ita multo post decoctum mannatum cum aliquot tartari emetici granis porrigebatur. Inde quidem & intestina & stomachus depleta largiter, sed anxietas & spirandi difficultas facta major. Exhibita postea mixtura pectorales resolventes, sexto die iterum vena pertusa, & septimo denuo datum infusum mannatum. Omnia autem incassum, ut potius morbus inde ingravesceret. Exterius tum ad motum thoraci species carminativa & pectorales cum aqua calcis vivæ in cataplasmatibus formam coctæ, pariter frustra. Tandem potandas suasit medicus Tonsteinenses acidulas, quas æger avide per biduum frigide ingessit, donec undecimo morbi die, suffocatione, & syncope superveniente, periret.

Epicrisis.

Sæpius observavi, ex solo dolore colico præcedente, qui clysteribus & aliis

congruis facile solvi potuisset, ortam fuisse peripneumoniam, in robustis & crasso sanguine plenis, præsertim senibus. Ob distenta enim a flatibus intestina, sanguis ad cordis & pulmonum vasa validius urgetur, ibique collectus & densatus, ægerrimam facit spirationem cum pectoris angustia. Nam quod dolor est in partibus nervosis, id anxietas in corde & pulmonum vasibus, a sanguine nimium distentis. Frustranea autem fuit evacuatio per superiora & inferiora, quippe quæ subtrahit humidum sanguinis, genuinam morbi medicinam, coarctatione etiam abdominis sub vomitu magis sursum ad venter sanguis est coactus & spiratio difficilior reddita. Potus quoque acidularum frigidus in morbi vigore caruit ratione omni, ac propter frigus non potuit non noxam inferre gravem. Fuit autem hic morbi artifex, qui singulari methodo febres petechiales curandi in *Actis Berolinensibus* inclaruit.

OBSERVATIO V.

Vir sanguineus, facie floridus, corpore obesus & spongiosus, post aliquot dierum epulas, vino & cibis faginatus, noctu & interdiu, Martio mense, Berolino Mindam Westphalorum iter facit. Peracto hoc, post aliquot dies nanciscitur pleuro-pneumoniam, febre stipatam intensam. Ego vocatus venæ sectione repetita & pulveribus antipleuriticis, nitrosis & cinnabarinis, nec non potu infusi theiformis, a periculosis liberavi ipsum symptomatibus. Remansit autem tussis quadam cum lenta febre, virium languore corporisque marcore, respiratione tamen non adeo difficili. Hinc usurpata auxilia varia diætetica & pharmaceutica, sed nihil per octo hebdomades iisdem profectum, & tussis potius cum dolore pectoris gravativo increvit, parum autem rejecit, & vesperi lenta quadam gliscere visa febricitosa. Tandem ex improvviso simul & semel

Empyema ex pleuro pneumonia curatum.

mel, intra tres, vel quatuor horas, ultra mensuram materię purulentę cum impetu quasi ex ore rejecta, respiratio illico facta liberior, & febrilis calor remisit. Duravit postea hæc puris exspuitio per mensem, minori tamen copia, ac eger interea bene appetiit atque dormivit, successive etiam per Dei gratiam sanitati redditus, solo lactis cum saccharo rosaceo cocti potu calido, quotidie ad unam cum dimidia mensuram, interposito usu balsami pectoralis, ex floribus sulphuris, oleo amygdalarum dulcium, spermate ceti, terebinthina Veneta, croco & oleo anisi, nec non pulveris pectoralis, ex lapidibus cancrorum, spermate ceti, saccharo, myrrha, radice liquiritiæ in pulverem redacta & bolo Armena.

Epicrisis

Abscessum pleuritidem & peripneumoniam non sufficienter solutam sequi, passim prisca medici tradiderunt. Confirmat id quoque experientia, & ego id præsertim observavi in sanguineis, spongiosis & obesi habitus hominibus. In nostro autem memorabile, quod rupto abscessu, pus effluens simul & semel per os exturbatum, quod si in thoracis cavum delabatur, hæcticam facile inducit lethalem, nisi educatur paracanthesi, de qua notabile exemplum communicavimus, in *dissertatione de perpetuo succi nutritii ex thorace stillicidio*. Per sanari tamen posse talem in thorace abscessum & amplam in pulmonibus cavitatem, monstrat hæc historia. Non vero prætereundum ægrem hunc postea sæpius de dolore quodam acuto in latere affecto fuisse conquestum, post paullo fortiolem corporis motum equitationem, largum vini potum, ac nimium acidorum usum.

OBSERVATIO VI.

Peripneumonia Juvenis generosus, viginti annorum, sanguineo-phlegmaticus, narium

hæmorrhagiis & largis & crebris ab ineunte ætate obnoxius, & ante bien-^{gravis} nium gravem acutum pectoris mor-^{sudore} bum passus, Februario mense, postquam corpus saltando vehementius exagitasset, & mox postea in prandio cerevisiam frigidam bibisset, & legumina cum salita carne avidius ingestisset, obscurum quendam in scrobiculo cordis sensit dolorem, sed magnam cephalalgiam, cum pulsu celeri, contracto, sub alvo adstricta. Datus vespere pulvis temperans, noctem autem duxit insomnem, & manespiratio fuit laboriosa, cum pectoris angore & dolore in sinistro latere, paullo supra costas spurias. Hinc mane vena in brachio pertusa, sanguis evocatus niger, cuticulam glutinosam in superficie gerens, data quoque mixtura discutiens atque resolvens passim descripta. Subtracto sanguine, melius primum habere visus & dolor capitis discessit, postero tamen die & dolor lateris & pectoris angor rediit, quin magis adhuc increvit, cum virium debilitate, somno inquieto, appetitus prostratione, ut æger spem vitæ abjiceret ipse. Ad dolorem igitur mulcendum imposita vesica decocto ex speciebus emollientibus cum lacte plena, alvus quoque stricta clystere emolliente domestico mollita, flatus multos multaque crassa stercora dimisit, ægro inde aliquod levamen percipiente, in primis quum subinde ex infuso theiformi sorbillaret, & sputum rejiceret crassum fusci coloris. Septimo autem die iterum pejus habuit, corpus jectigavit, spiritus factus angustior & respiratio accisa, invalescente simul febrili calore & accedente mentis turbatione, in primis quando oculos clauderat. Interpositi hinc mixturæ pulveres nitrosi cum camphora, quibus pectoris quandam sensit liberationem, & tantisper appetente nono die sudavit, sputo semper succedente fusco, jam etiam quadantenus flavo. Post nonum diem accessit levior quidam alvi fluxus, ut quotidie ter vel quater deiceret, primum ^{crassa}

crassa foetida, postea mucosa & uti dicebant purulenta. Parum tamen levaminis inde sensit, sed debilior potius factus; donec undecimo morbi die ex improvise subito largissimus per universum corpus prodiret sudor, & per bihorium manaret, tam salutari eventu, ut æger post illum somno obrueretur alto, expergefactus virium incrementum & respirationem liberioriorem perciperet, ac postea, spuito & alvi fluxu cum leni madore per aliquot adhuc dies persistente, sensim cum sanitate in gratiam rediret.

Epicrisis.

Sic juvenem hunc generosum in ædibus meis commorantem ante annum curavi. Id autem ex casu hoc in practicum usum convertere licet: quod origo peripneumonici mali etiam esse possit ex primis viis, si stomachus flatibus & spasmis detinetur, qui sanguinem nimia copia, ad partes superiores, in primis thoracem, urgent. Tum quidem, si candide æger delictum confitetur, occasio datur cito præsciendæ gravem futurum morbum, si commodis evacuantibus, lenioribus emeticis, laxantibus, aut clysteribus, primæ viæ a sordibus depleantur. Et hoc in casu ratione non destituuntur practici nonnulli, uti *Rulandus* atque *Hartmannus*, qui in principio inflammationis pulmonum dare præcipiunt vomitorium, quod, si hæc causa non subest, aliàs nocentissimum. Porro hæc etiam ex historia apparet, non fidendum esse istis excretionibus, quæ in acutis pulmonum morbis fiunt per alvum. Sed genuinæ & saluberrimæ crises succedunt per sudorem largum.

C A P U T VII.

De Febre Hepatica, seu Hepatide.

Theses Pathologicæ.

§. I.

QUO frequentior quam modo exposuimus pulmonum inflammatio; eo rarior hepatis inflammatio vera. Quod & cur hoc fiat, primus ego ante aliquot annos multis & validis rationibus adstruxi peculiari *dissertatione, de hepatis inflammatione vera rarissima, spuria frequentissima.* Potiora huc redeunt. Inflammatoriæ febres accidunt quam maxime nervosis & sensu acuto præditis partibus, in quibus ille in incongruis tubulis subsistens sanguis, dolorem movet ac spasmus, qui postea universum nervosarum partium systema in consensum pertrahit, exagitat, sicque febrem accendit. Sanguinea autem minus exquisiti sensus viscera, non tam egre ferunt sanguinis stagnationem, sed cedunt impetuosius affluenti, nec dolor supervenit, nec spasmus, atque adeo neque etiam febris. Quia igitur hæc inter eminet in primis hepatis, quod ex paucis arteriis, sed maximam partem venis, portæ & hepaticæ propaginibus coagmentatur, & propter tunicarum nervosarum absentiam, in magnam molem potest expandi sine acuto dolore, hinc in ipsius substantiam minus cadit inflammatio.

Hepatitis vera rarissima.

§. II.

Illam autem hepatis inflammationem, quam veteres fuscæ describunt, merito externa tantum, superficialis, quasi erysipelacea & spuria hepatitis, non secus ac pleuritis spuria, censenda, ejusdemque sedes non in ipsa interna hepatis substantia, sed potius circa conjunctam partem, in membranæ & ligamen-

Sed frequentissime spuria, a Vete. ribus descripta.

mentis viscus hoc cingentibus & quibus costis spuriis ac diaphragmatis portioni adheret, constituenda videtur. Sic enim Hippocrates de intern. aff. sect. 5. II. hepaticum describit morbum: dolor acutus in hepar incidit, & sub ultimis costas, & in claviculam, & sub mammam & suffocatio fortis tenet, & aliquando lividam bilem revomit, & rigor ac febris primis diebus debilior habet, & dum attingitur hepar, dolet, & color ipsius sublividus est, & cibi, quos prius comedebat aeger, suffocant ipsum, & ingesti urunt ac torquent ventrem. Huic conducunt, ubi dolorem habuerit, tum alia, tum reprofactoria eadem apposita, quæ etiam pleuritidi profunt. Celsus lib. 14. cap. 7. hæc acuti jecinoris morbi signa esse perhibet: dextra parte sub præcordiis dolor vehementis est, idemque ad latus dextrum & ad jugulum humerumque partis ejusdem pervenit; nonnunquam manus quoque dextra torpet, horror validus est, bilis vomitur, interdum singultus prope strangulat. Jam quicumque hæc pathemata curatius expendet, facile perspiciet, illum, ab Hippocrate delineatum morbum, non tam in ipso hepate consistere, sed potius ad magnam & paullo profundiorum erysipelaceam inflammationem partium externarum, thoracem & hepar investientium, esse referendum, eo quod non modo ultimas costasprehendit, sed & ad humerum, mammam & claviculam sese extendit, ac dolor tactu augetur. Cum rigore quoque, febre & vomitu invadit, quæ symptomata inflammationi partium nervosarum solennia. Dolor porro externis mollioribus & fibras laxantibus remittit. Ac respiratio ad suffocationem usque difficilis, a spasmo pleurae & peritonæi, quæ membrana diaphragma superne & inferne investiunt, idque in consensum trahunt, haud immerito derivanda. Qui autem a Celso describitur morbus, non etiam in ipso hepatis viscere, sed in externis ipsi adherentibus membranoso-nervosis par-

tibus consistere videtur, quæ dolore & spasmo affectæ, nervos diaphragmatis intercostales, & qui ad ventriculum excurrunt, per consensum simili afficiunt. Hinc recte monet Trallianus lib. 8. cap. 1. considerari oportet, num inflammatio ipsi jecori proprie acciderit, an tunicis ipsius & musculis extrinsecus ambientibus. Quin Avenzoar lib. 1. thez. tr. 13. cap. 4. disertis verbis scribit: aliquando in panniculo hepatis fit extensio, unde sequitur dolor fortissimus, quasi intolerabilis, & apparet patienti, quod hepar sit, quod doleat.

S. III.

In corruptionem quidem sphacelam, ingrato foetore & nigrore cognoscendam, nec non in purulentam & apostematicam interdum abire hepar, testatum faciunt observata in dissectione cadaverum, notata passim a Foresto lib. 19. de hep. affect. obs. 10. Coitero in obs. anatomico-chirurg. M. N. C. Dec. 2. obs. 2. Capivaccio li. 3. c. 23. Bartholino Cent. 4. hist. 18. M. N. C. Cent. 3. & 4. obs. 144. Dec. 2. Ann. 9. Sed tenendum omnino, non omnem sphacelationem supponere inflammationem; nam illa etiam commode fieri potest a quiete & stasi sanguinis in ramis majoribus, & nullas omnino partes in corpore citius & frequentius sphacelationem, subito latius serpere, & vicinam carnem, quin integrum amplum membrum, manum & pedem, corripere atque corrumpere.

Lites
hepar
quæ
doque
corru-
ptione
affici-
tur.

S. IV.

Est igitur inflammatorius ille affectus, qui partes externas hepatis contingit & confines frequentius invadit, & ut plurimum cum horrore, frigore, interdum etiam vomitu & febre inci-

Hepati-
tidis
sympto-
mata
cause.

pit,

pit, ac dein dolore, insomnia, spirandi difficultate, inquietudine & alvi adstrictione stipatur, ac vulgo pro hepatis inflammatione haberi solet, nihil aliud, quam species febris rheumaticæ, sive rectius erysipelacæ, quæ fit non tam a decubitu & stasi sanguinis, quam potius feri visceris acrioris, membranas & fibrillas nerveas lancinant. Propterea eadem quam maxime obnoxii sunt, qui arthriticis & rheumaticis passionibus aliàs patent, qui potibus spirituosis ac iræ indulgent, quibus sue-tæ sanguinis evacuationes suppressæ, qui in aere frigido diu versantur, aut plane corpus æstuans eidem incautius committunt, nec non qui diarrhœam potu largiori spiritus vini cohibe-runt. Quod vero dextrum thoracis la-tus rheumaticis doloribus longe fre-quentius afficiatur ac sinistrum, hanc in primis ob causam fieri arbitror, quia hepar magnum & ponderosum viscus ibi diaphragmati costisque spuris con-nexum, quod sub vehementiori cor-poris motu & respiratione citiori, has partes jugi tensione debiliores reddit, eoque facit, ut humores ibi dis-currentes facilius subsistant, & etiam in tubulos incongruos urgeantur. At-que hæc etiam subest ratio, quod per-lapsum, istum, aut emplastrum cali-dius admotum, necnon cucurbitulas, longe facilius dolores & inflammatio-nes inducantur in dextro latere, quam in sinistro & alibi.

§. V.

Perquam autem notatu digna est ob-servatio practica, quod interdum ca-sus occurrant, ubi partes membrana-cæ, supra & infra costas spurias, gravi dolore tensivo, cum febre, tussi sicca & angustia spirandi afficiuntur, ob irrita-tam graviter ab acri rheumatico con-fluxu, non tantum pleuram supra dia-phragma, verum etiam peritonæi membranam infra hoc, ut adeo mor-bus partim pro spuria pleuritide, par-tim hepatitide haberi possit. Multum enim affinitatis bini hi morbi alunt,

Tom. IV.

dam in utroque dolor sæpe ad jugu-lum & humerum sese extendit, diffi-cultas quoque spirandi adest & tussis sicca, propter consensum non modo diaphragmatis, cui hepar firmiter an-nexum est cum pleura & peritonæo, sed & nervorum intercostalium, eo excurrentium. Sunt tamen notæ non-nullæ, quibus ambo hi affectus pos-sunt distingui. In pleuritide quippe notha infra veras costas dolor pungiti-vus & tensivus, cum tussi sicca, febre & doloris sub inspiratione exacerbatione percipitur, in hepatitide autem dolor magis sentitur circa spurias costas, qui ad cordis usque scrobiculum, cum fe-bre, præcordiorum anxietate & quan-doque vomitu atque singultu sese ex-plicat. In hepatitide quoque, secus quam in pleuritide, decubitus in sinistro late-re semper est difficilis, quia, ut recte no-tat *Cælius Aurelianus li. 3. c. 4.* pondere suspensi hepatis adducuntur dextræ partes, membranosa scilicet, & propte-rea fiunt punctiones, ob tractam & ten-sam membranam, cui jecur annexum est, & quæ cum diaphragmate colligatur.

§. VI.

Neque minus hepatitis merito di-stinguenda a dolore ardenti & fixo circa scrobiculum cordis versus latus dextrum, cum singultu & vomitu sæpe complicato, qui fit a calculo in ductu cystico, aut choleodocho hærente, & propterea aliam causam obtinet, & a-liam sedem, prognosin etiam aliam re-quirat & medicationem. Facile etiam hepatitis permutatur cum dolore ten-sivo hypochondriorum, nec non qui est in musculis abdominis, de quo jam monuit *Foresius lib. 19. sæpe imponit tumor dextri hypochondrii Medico, tan-quam sit in jecore affectus, quum tamen sit in musculis abdominis.* Sed dolor ille dextri lateris, in hypochondriacis & hæmorrhoidariis admodum frequens, consistit in flexura coli, sine febre est, discedit citius, sæpe repetit, nec sym-ptomatibus febri inflammatoriæ, sed malo hypochondriaco solennibus, sti-patur, aliam habet causam, medica-

*Differe-
ntia
ab aliis
dextri
lateris
affectio-
nibus,*

Q

tio-

tionem aliam. Et inflammatio musculorum abdominis, præsertim transverserorum, qui arctissime alligati sunt peritonæo circa hepatis confinia, sensibus magis est obvia, & tumor tactui ac visui sese offert, cutis circumsecta tensa comparet, ut digitis attracta minime sequatur, febris fociata mitior, nec tussis, nec vomitus adest, plerumque etiam fit a violentia externa & contusione, ac nisi mature congruis præsiidiis succurratur, confines partes afficit, inflammat, in abscessum, febre lentam & hecticam transit.

§. VII.

Eventus bonus, Interim hæc frequens hepatitis non adeo terrere debet medicum, nec ægrotum, eo quod si medicatio recte instituitur, non multum alit periculi & raro jugulat, nisi viscera interna labe sint affecta. Ut plurimum enim morbus intra septem, vel undecim dies, finitur largo sudore. Natura quippe ipso febrili motu utitur pro medicina, cujus beneficio intra certum tempus materia peccans & subsistens attenuatur, resolvitur ac sensim sensimque discutitur. Hinc qui ex inflammationibus convalescunt, hos per febrilem motum rite succedentem evadere, censendum est. Quo sensu merito accipiendus Hippocratis aphor. 52. sect. 7. quibus-
cunque hepar circum circa dolet, iis febris accedens solvit dolorem. Quando autem spuria hæc hepatis inflammatio, medici, aut ægroti culpa, non tempestive discutitur, sed diutius persistit, dolor permanet, febris accedit lenta, corpus tabescit, vires cum appetitu prosteruntur, os siccum est, urina tenuis alba, abscessus facti præbent indicium, qui tamen non tam in ipsa interiori hepatis compage, quam potius in externis tunicis, ligamentis, peritonæo & subjacentibus musculis consistit, gibbam hepatis partem simul afficit & plerumque funestum facit eventum, testimonio observationum & sectionum anatomico-practicarum.

MEDENDI METHODUS.

Cum Cautelis & Observationibus Clinicis.

§. I.

Quum pleuritis & hepatitis multum convenientiæ quoad causam, originem, symptomata & prognosin a-
Naturæ ductui insistentem lant, ac non nisi loco differant; hinc modus sanandi hanc parum discrepat ab illo, quem capite antecedenti exposuimus. Quemadmodum vero medicus in quovis morbo sanando prudentissime semper procedit, si ductum naturæ, quo morbus sponte solvi solet, comite ratione sana sequitur; ita idem hoc in medicatione hujus passionis quæ maxime servandum. Jam quia hepatitis eodem modo ac pleuritis per sudorem, congruo critico tempore, dimidio nempe septimi & septimo ipso die, sponte solvi solet; eidem viæ merito insistendum, & usurpanda primo omnium ea, quæ ad liberiores perspirationem conferunt, vitanda vicissim, quæ cuticularis excretionis successum, diætetica sint, sive pharmaceutica, ullo modo remorari & impedire possunt. Quia autem secundum principem illum practicum Hippocratis canonem, non cruda, sed concocta movere oportet: hinc principio id agendum, ut serum acre falsum, nervoso musculosis partibus vasisque minimis impactum, temperetur, diluatur ac resolvatur, simul atque viæ ad criticam excretionem sunt præparanda, iis maxime, quæ fibras rigidas, tensas, spasmus contractas remittunt ac molliunt.

§. II.

Igitur omnibus modis commendandus potus diluens, decoctum hordei cum passulis, vel etiam citratum, serum lactis dulce, cum pauxillo nitri & saccharo, nec non emulsionem ex decocto hordei, vel cornu cervi, cum
Patientia.
amyg-

amygdalis, quæ liberaliter sumta & temperant & diluunt. Eiusdem dein & adhuc diaphoreticæ virtutis sunt infusa theiformia ex herba vcronica, cardui benedicti, floribus bellidis atque sambuci, crebrius forbillata. Diaphoresin movent simulque temperant pulveres, ex antimonio diaphoretico, præsertim ex regulo parato, lapidibus cancrorum, cornu cervi philosophice præparato, nitro & cinnabari, cum aqua cardui benedicti, ceraforum nigrorum, cinnamomi & florum acaciæ crebrius assumendi. Quibus subinde ad audiorem perspirationem interponendus usus liquoris bezoardici, vel nostri, vel Bussiani, cum dupla parte liquoris nostri anodynæ mineralis, vel spiritus nitri dulcis. Neque negligenda alvina vacuatio, sed si segnior, clystere emolliente, aut clementi solutivo promovenda. Exterius quoque temperato calido fortuevaporatio & discussio subsistentis humoris secundanda. Quem in finem conducunt decocta ex herbis & floribus emollientibus, cum croco & lacte, vesicæ bubulæ indita & parti dolenti admota, nec non sacculi ex speciebus resolventibus & discutientibus, herba absinthii, cardui benedicti, floribus sambuci, chamomilla vulgaris & Romanæ, baccis juniperi, semine anisi & carvi confecti, & in vino, aut aceto vini cocti, ac prævia expressione impositi.

S. III.

Abstinentum vero interius ab omnibus opiatis, narcoticis & sopientibus, nec non a sudoriferis calidioribus, quæ febrem accendere, vigilias intendere, & delirium suscitare valent. Exerius fugiendum regimen nimis calidum. Neque oleosa & pingua illinenda, quæ poros cutis obstruunt, neque emplastra saturnina, vel epithemata ex aceto & lithargyrio admovenda, quæ nimis refrigerant & constringunt, neque etiam spirituosula applicanda, quæ fibræ rigidiores efficiunt ac dolores intendunt. Ipse adeo decantatus cam-

phoratus & crocatus vini spiritus, cautissime adhibendus, ob exsiccationem nimiam, quam partibus æstu ac incendio jam detentis, infert. Si tamen usurpare placet, fiat id statim in principio, ante intensum febrilem æstum, vel eo valde remittente, & maxime quidem in naturis segnioribus.

S. IV.

Præterea ad præscindendum inflammationis incrementum admodum utilis & necessaria est sanguinis missio inter initia, præsertim in manu vel pede lateris affecti instituta. Quantitas autem sanguinis mittendi, necnon repetenda quandoque venæ sectio, proportionem plenitudinis vasorum, consuetudinis, virium, ætatis corporisque habitus, dirigenda & iudicio medici merito relinquenda, ne in excessu, vel defectu peccetur. Interim si quis hæmorrhoidarius, præstat venam seligere in pede, & si plethora urget, postea cubiti venam pertundere.

S. V.

Si spasmus in loco affecto tantæ est vehementiæ, ut etiam ventriculum, duodenum, ipsaque biliaria vasa in consensum trahat, & præcordiorum anxietas, vomitio, singultus & alvi adstrictio id prodar, & externis, & internis, opem ferre expedit. Tum ego sæpius non sine fructu alvo infundere jussi enema pure oleosum, parti dolenti & præcordiis admovere vesicam decocto emolliente plenam, & interius crebrius dare mixturas diaphoreticas & resolventes, quæ aquam cardui benedicti, florum tilia, acaciæ, chamomilla vulgaris, diascordium Fracastorii, nitrum & liquorem anodynum mineralem habuerunt. Quod si autem infarctus & obstructio hepatis, ac oriunda inde icteritia, complicantur, ego quidem singularis virtutis deprehendi epithema ex herbis cardui benedicti, scordii, absinthii, floribus sambuci, chamomilla Romanæ & vulgaris, semine levistici ac cymini, in vino coctis crebro admotum. Idem hoc epithema egregium quoque in declinatione morbi.

De venæ sectione tenenda,

Symptomatum singulorum medicatio,

Fugienda,

Q. 2.

morbi ad interceptum abscessum cum suppuratione. Sed ubi in inflammatione, a causa potissimum violenta & externa, suppurationis, vel etiam abscessus indicium præbet materia parulenta, per urinam, aut alvum secedens, cum febre lenta; ea utique adhiberi convenit, quæ ad extinguendum æstum febrilem & suppurationem debite tractandam proficua, de quibus tamen infra pluribus agemus.

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Hepatitis ex lapsu in abscessum desinens lethalis.

Vir sexagenarius, militum præfectus, sanguineo cholericus, in Bacchiet Veneris castris strenue militans, anno abhinc post gravem ex caballo lapsum, per aliquot hebdomades laboravit ingenti & acuto dolore in dextro hypochondrio, cum febre, spirandi difficultate & alvo adstricta. Curatus tamen fuit, sed dolor remansit obtusior & conquestus fere per annum de virium & appetitus languore, nec tamen vini potum, nec veneris exercitium intermisit. Accidit vero, ut quum equo gradario veheretur, sensum quandam disruptionis internæ perciperet, quo simul & semel pressorius ille dolor cessavit. In urbem delatus me vocare iussit, magnasque querelas effudit de miro languore, summa spirandi difficultate & præcordiorum constrictione. Ego propius accedens, extrema frigida & frigidum in facie sudorem offendi, pulsus autem arteriarum vix percepi. Suasi igitur, ut ægrum in lectum transferrent calidum, & animæ medicum advocarent, meæ enim medicationi non amplius esse locum. Interim secta vena, sed nil fere effluxit, data analeptica interna & externa, sed frustra, & elapsis decem horis, e vivis discessit. Post mortem venter mirum in modum intumuit, ac in umbilicali regione die post disruptus, effluente sanie putrida & tam foeda, ut tota do-

mus cadaverosa mephiti inficeretur.

Epicrisis.

Quemadmodum pleuritis vera & levior etiam peripneumonia, si ultra vigesimum diem persistit, facile in empyema, sive abscessum admodum periculosum abit; sic & hepatitis, sive inflammatio musculorum & membranacearum partium circa hepar, si non discutitur, abscessum formare solet, qui ipsam hepatis substantiam labe inficit atque corrumpit. Testatum id facit casus, quem ego Mindæ Westphalorum observavi & jam enumeravi. Quia autem hanc observationem egregie illustrat, similis a Foresto notata lib. 19. de hepaticis affeet. non abs re erit, si eandem hic inseram. Vir, habet, annos triginta sex natus, dolore hypochondrii dextri per integrum fere annum confectus, cui lenta accessit febris, tabe confectus & plane consumtus est, tota facies citrina & universum corpus flavum evasit, & dolor atrox eum torquebat in dextro hypochondrio, quod durum & valde subtumidum, musculis abdominis plane extenuatis erat, urina tenuis & ignea, oris siccitas, alvus modo adstricta, modo liquida, cibi fastidium, sitis inextinguita. Incisione facta, materia purulenta fetida emanavit, cum tanto fetore, ut totam domum impleveret, ita ut vix quisquam apud ægrum in cubiculo persistere posset. Eger autem paullo post animam efflavit. Cadavere aperto, in tota ventris cavitate reperta est ingens copia puris, peritonæum quoque disruptum & putridum conspiciebatur, hepar durum, ingentis magnitudinis, albicans circa stomachum, sed in gibba sui parte prope costas spurias nigrum, exustum & gangræna infectum. In hepate vero nullum conspiciebatur pus. Præcipua autem corruptio hepatis erat in parte dextra, versus costas spurias & circa muscululos intercostales, qui etiam cum costis spuriis nigredinem contraxerant, instar carbonis & facillime frangi poterant.

OBSERVATIO II.

*Hepati-
cis sudo-
re dis-
cussa.*

Vir sanguineo-melancholicus, tri-
ginta circiter annos habens, diu jam
vitæ sedentariæ addictus, neque cibis
boni succi usus, vinis vero dulcioribus
semper delectatus, omissa per aliquot
annos sueta sanguinis missione, in in-
gentem per universum corpus languo-
rem incidit, & miram quoque expertus
est ad iracundiam proclivitatem, ita
ut a levissima causa commoveretur, &
protinus saporem in lingua perciperet
amarum. Post mensem correptus est
insigni dolore in crure & hypochon-
drio dextro, tenso partim, partim
gravativo, qui attactu fuit exacerbat-
us. Accessit cibi fastidium, inquietus,
somnia insomniis turbatus, calor præ-
ternaturalis, extrema ab aere frigidiu-
sculo mox refrigerabant, faciei color
sæpius mutabatur, alvus erat quidem
fluida, & a pulveribus, quos nitrum
parca dosi ingrediebatur, foetida & bi-
liosa multa dimittebat, sed post alvi
secessum semper fere dolor acerbior
reddebatur, qui etiam sub risu, & for-
tiori inspiratione ingravescerebat, urina
crassa, rubicunda, cum sedimento sece-
dente. Misso primis statim diebus ex
mediana largiter sanguine, dabatur
diaphoretica, tinctura bezoardica bis
quotidie ad triginta guttas cum infuso
veronicæ, item pulvis bezoardicus,
cum nitro & camphora mixtus, arca-
num quoque duplicatum cum nitro &
cinnabari, quo sedes proritatæ & an-
xietates adauctæ. Septimo die acce-
dente, cutis, antea sicca & arida, made-
scere primum cepit, & postea sudor
erupit largissimus, per viginti quatuor
horas manans, quo omnia symptoma-
ta, respiratio difficilis, anxietas, horror,
& extremorum refrigeratio discussa, &
somnia quoque rediit, ita ut post de-
cimum quartum diem eger lectum re-
linqueret. Mense autem Augusto i-
dem malum rediit, non quidem cum
tanta symptomatum & doloris atro-
cia, sed diutius ægrum detinuit, & len-

Tom. IV.

tam febrem reliquit, diætâ salubri &
congruis remediis post aliquod tem-
pus etiam abactam, ægro perfectam
sanitatem recuperante, & expirante
simul illa ad iracundiam promptitu-
dine.

Epicrisis :

Origo hujus morbi merito a crasso
& copioso sanguine repetenda, quem
vita sedentaria, victus crassus, & cre-
brior potus vinorum dulcium inge-
nuit, eaque propter multum simul ad
infarctum, & obstructionem hepatis
contulit. Accessit postea crebrior ani-
mi commotio, qua sanguis lentus in
minima vascula impulsus, stasin ibi
concepit inflammatoriam. Id enim cu-
ratam meretur observationem, quod
qui hepatis vitio laborant, ad iracun-
diam admodum sint faciles, nec prius
prava hæc dispositio cessat, quam he-
patis labe sublata. Videtur autem hæc
inflammatio levior tantum fuisse ac in
ligamentis, forsan etiam superficie
concavæ hepatis partis, constituisse, id-
eoque septimo die sudore discussa est
largissimo, quod tempus ordinarium
criticum inflammationum esse solet,
si discussioni adhuc locus est.

OBSERVATIO III.

Ante aliquot annos vocabar ad ge-
nerosum virum in vicina urbe degen-
tem, sanguineo-cholericum, strictioris
habitus, & quadragenario jam majore-
rem. Is a quinque diebus lecto fuerat
affixus, conquestus de acutissimo late-
ris dextri sub costis spuris dolore, cum
maxima præcordiorum constrictione
& anxietate, spiritus difficultate sum-
ma, febre, vigilia & inquietudine. Me-
dici primum in auxilium vocati, mor-
bum oppido periculosum, quin capita-
lem fore, propinquis & adstantibus di-
xerant. Putarant enim hepar ipsum la-
borare, & sphacelosa tantum non cor-
ruptione esse infectum, ideoque, præ-
ter interna putredini resistentia & a-

*Hepati-
cis su-
dore so-
luta.*

naleptica, exterius epithema ex aceto cum lithargyrio cocto, adjecta camphora, appoluerant. Ego vero candide ipsis edixi, non adeo perniciosum esse, ut crederent, morbum, sed partes tantum externas hepatis connexas, non hepar ipsum, pati. Removere hinc iussim primum epithema, & apponere lateri dolenti vesicam cum decocto emolliente. Interius prebui pulverem supra descriptum, nec non mixturam, pro potu ptisanam, item emulsionem ex semine cardui Mariæ, melonum, cucurbitæ & papaveris albi, cum aquis diapnoicis & analeptics, nec non infusum theiforme ex herba veronice, floribus chamomillæ, summitatibus millefolii & semine sceniculi. Usurpatis his, lenis mador in universo corpore obortus, cum symptomatum levamine, undecimo die sudor manavit largus, & alyus quoque, sub dolore stricta & vix clystere soluta, sponte aliquoties deiecit. Atque sic æger ex voto convaluit, adhuc vivens & optime valens. Dedit autem hic casus mihi occasionem scribendi dissertationem academicam, de hepatitis inflammatione vera rarissima, spuria frequentissima, quam epicrileos loco legendam commendo.

C A P. VIII.

De febre Nephritica.

Theses Pathologicae.

§. I.

Descriptio nephritidis **O**Ritur nephritica febris ex renum inflammatione, juncta cum dolore ardente fixo in lumbis, mictu difficili, & aliis pathematibus spasmodicis intimi ventris.

§. II.

Simplex levior. Prout autem inflammatio levior est, vel gravior, sive profundior, differunt etiam symptomata, aliusque morbi est eventus. Scilicet quando extima & propria renum tunica, innumeris

capillaribus vasculis, ex emulgentibus renum, vasīs prodeuntibus, perfusa, inflammationem patitur, levior hæc est, superficialis, & erysipelatis speciem habet; stipatur tamen dolore ardente fixo, acuto, cum pulsu celeri, duro, siti, mictu ardente, urina tenui, cruda & convenienti medicina, cum regimine leni diaphoretico, citra suppurationem, brevi tempore discutitur.

§. III.

Quando vero inflammatio profundior, febris etiam vehementior, dolor in lumbis ardens diuturnior, mictio difficilior, alvus strictior & præcordiorum anxietas atque angustia major, urina cruda alba secedente. Quod si autem hic dolor ad decimum quartum usque diem persistit, suppurascente incipit, tumque haud secus ac in aliis inflammationibus in pus mutatis, dolor mitior fit & conquiescit, urina autem prodire solet admodum saturata cum crasso sedimento, quod partim ex purulenta materia, partim muco tartareo conflatum est. Quin sæpe inflammatio tam profunda, & inde oriunda exulceratio tanta est, ut per plures annos duret, & successive totam renum substantiam consumat atque depascat, tandemque macie & febre hecticæ ægri moriantur, ac post mortem, renis loco, nil quam sacculus reperiatur plenus pure. Quod si perumpit, & in cavitatem pelvis delabatur, incredibiles uti notavimus, facit ante mortem dolores, & urinæ retentionem, ob vesicam, ceu partem nervosam & exquisiti sensus, ab incumbente pure, corrosam & vehementi spasmō affectam.

§. IV.

Brevis ex spasmō renum. Deinceps datur febris nephritica brevis, & quandoque tantum diaria, quæ cum horrore dorsī & partium extremarum rigore incipit, postea cum dolore lumborum, & dorsī ardente, cardialgica, ventriculi & alvi strictura decurrit, & tandem sola diaphoresi & perspiratione aucta, intra 24. horas sæpe solvitur per urinam sabulo crasso secedente. Frequens hic affectus

guine plenius, maxime fœminis post quinquagesimum annum, & a sola refrigeratione dorsi, præsertim lumborum inducitur. Ibi enim renes antè minus integumentis, & tantum musculis transversis sunt obtecti, propterea ex facili frigus penetrat, & subiacentibus hisce partibus spasticam infert stricturam. Febris igitur hæc magis est a spasmò, quam inflammatione, & ideo facile etiam converso ab interioribus ad exteriora sanguinis motu, & perspiratione revocata, iterum dissipatur. Quod vero renes spasticis stricturis pateant, ex eo facile concludendum, quod plexus nervorum ex pari octavo & intercostali, renalis dictus, ipsam renum substantiam ingreditur, & non modo vasis sanguiferis, sed & ductibus urinariis, tonum, sensum & motum largitur. Et quia idem hic plexus, per ganglion connectitur cum plexu mesenterico & intestinorum, cum stomachi quoque nervis; hinc est, quod renibus, magis adhuc uretheribus, dolore & spasmò affectis, stricturæ cardialgicæ etiam in ventriculo & intestinis oboriantur, flatus in stomachum cum ructuum elisione urgeantur, & alvus stringatur, quin ob inflatum ventriculum diaphragma prematur, & spirandi angustia cum anxia præcordiorum constrictione inducatur. Ne dicam tenues, limpidas & aquosas urinas, quæ sub spasmodicis minguntur, luculenter testari, quod tubuli illi, qui in renibus liquorem urinofum sequestrant, & ad pelvim ducunt, spasmò, seu motu contractili afficiantur.

S. V.

Calculus. Aliud febris nephriticæ genus, vehemens, & ardentem tantum non mentiens, oritur a calculo: hic quidem, quamdiu in rene quiescit, nihil incommodi affert; ubi vero loco movetur, & transitum per pelvim ac ureteres molitur, spasmos & dolores gravissimos, febrem & supra memorata inducit: symptomata, quæ etiam non

prius quiescunt, quam in vesicam fuerit delatus. Jungitur autem calculosa hæc nephritis sæpius non modo cum dysuria, sed & nonnunquam periculosa urinæ suppressione. Neque etiam prætereundum, non facile calculosam nephritidem gigni, nisi præcesserit nephritis simplex inflammatoria, vel etiam purulenta, in vasculosa & canaliculosa renum substantia, post quam urina extravasata & stagnans, vel puri commixta, sensim dimittit terreas moleculas, e quarum coalitu tandem succrescunt calculi.

S. VI.

Omnis autem nephritica febris & passio, eodem modo ac aliæ febres, incipit cum horrore & frigore, quod maxime ex spina dorsali & primis lumborum vertebis sumit initium, sub quo sanguinis motus ad interiora ipsumque cor convertitur, eoque a copioso sanguine lacescitur, systole postea sequitur celerior. Atque adeo facile innotescit ratio, quare renibus, & iis, qui ad nephritidem, sive simplicem, sive calculosam, sive spasmodicam, proclives sunt, nihil sit tam insensum, quam frigus hybernum, regnante vento boreali, aspero & rigido, quo improvide admissio, passionibus hæc prompte vel inducuntur, vel illico crudescunt. Ad ingenerandas vero nephriticas has passionibus & febres multa disponunt, tanto magis quando plura simul concurrunt atque in unum effectum conspirant. Primum inter hæc merito obtinet locum plethora, præsertim in corporibus spongiosis & copiosis exilibus vasis dotatis, item in iis, qui evacuationibus sanguinis spontaneis criticis, vel artificialibus assueti, si illæ suppressæ, vel ob ætatis rationem emanferunt, hæc autem aliquamdiu intermissæ. In his expedita mali nephritici genesis, quando simul hæreditaria dispositio, vita sedentaria, nimia stomachi repletio, cibi flatulenti, potus crassus non diluens, aut nimis spirituosus, nec non impenitens

*Causæ
nephritidis*

animi mœror concurrunt. Tanto magis & citius excluditur, quando plethorica ejusmodi crasso & copioso sanguine facta corpora, vehementi & inconstituto motu, succussante equitatione aut vectura in curru agitantur, vel etiam medicamenta calidiora, urinam moventia, terebinthinata, juniperina, succinata, vel etiam purgantia aloetica, liberalius assumuntur, quibus sanguis crassus cum impetu in subtiles & ultimas renum arteriolas urgetur, ibique subsistens inflammationem efficit.

§. VII.

Cur sinistram renem afficiat.

Quod autem sinister ren plus tentetur nephriticis passionibus ac dexter, id tribuendum esse videtur, tum quod ipse non tam bene tectus & a frigore munitus est, ac dexter, qui sub hepate delitescit, tum quod flexura coli ei proximè adjacet, quæ, uti sæpius, quam alibi fit, a flatibus incarceratis distenta, renem & vascula ipsius sanguifera comprimit, ut difficilior fiat per vasa emulgentia sanguinis circuitus, & ab hoc dependens urinæ secretio. Atque hinc etiam est, quod, qui calculi renalis doloribus frequentius obnoxii, insulsum eorum illico experiantur, si cibos lentos & crassos, aut alia flatus procreantia assumerint.

C U R A T I O

Cum cautelis & Observationibus clinicis.

§. I.

Veterum methodus medendi.

Quam veteres servarint in curanda nephritide medendi methodum, tradit Hippocrates de intern. effect. p. 217. si, inquit, urina prodit velut a carnibus bubulis assatis sucus, ex renibus ulceratis, dolore lumborum & vesicæ, mox intensiori, & qui simul descendit ad imum ventrem, hanc insinuat curam: multa calida lavato, & tepesfactoriam ad dolentem maxime locum adhibeto, & sorbitione utatur & farina cocta, melle assuso, & reliquo victu utatur quam

maxime per alvum secedente & vinum bibat album Menaleum, mellei coloris, aut aliud album jucundissimum, probe temperatum. Pro temporis opportunitate serum & lac bibat, serum quidem ad purgationem, lactis autem potum faciat in tempore per 45. dies. Hæc si ita feceris, morbum in melius dispones. Eundem fere curandi modum proponit Celsus lib. 4. c. 10 oportet, ait, ubi renes male habent diu, conquiescere, cubare molliter, solvere alvum, si aliter non responderet, etiam ducere, sæpe desiderare in aqua calida, neque cibum, neque potionem frigidam assumere, abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, pomis, liberaliter bibere. Deinde ad dolorem levandum, immo, si renes exulcerati sunt, semina cucumeris, nucleorum pinearum, crocum cum lacte decoctum commendat.

§. II.

Hæc veterum curandi ratio ita est comparata, ut nephritico morbo admodum sit accommodata, ac nil tere in eadem desiderari possit, quum omnia eo conspirent, ut vascula & fibræ tensæ, duræ & a spasmō contractæ relaxentur & molliantur, humores stagnantes crassi diluantur, & obstructions solvantur. Nos etiam hanc methodum deprehendimus probatissimam, in eaque perficienda his potissimum usi sumus auxiliis, sero lactis dulci, vel lacte asinino acidulis Selterianis remixto, item ptisana cum lacte confusa & potui data, emulsionibus ex amygdalis amaris, nucleis persicorum, semine cucumeris, cucurbitæ cum aquis florum acaciæ, ulmarie, cerasorum nigrorum; pulveribus, ex oculis cancrorum, cornu cervi philosophice præparato, lapide manati & nitro compositis, cum supra dictis, vehiculi loco, sumtis. Infusum quoque herbe theæ, propter blandam suam adstrictionem in omnibus renum affectibus, præservandi & curandi scopo, egregie est virtutis, & ceu specificum olim maximi semper fuit habitum.

§. III.

§. III.

*Levioris
nephriti-
dis medi-
catio;*

Interim quum variæ sint nephritica hujus febris species & causæ, diversi etiam gradus; hinc diversimode etiam adornanda erit cura. Itaque in levi illo & diario sæpe, ex solo frigore & spasmo, renum dolore, nihil aliud agendum, quam ut sacculis lateribusque calefactis, & dorsi, & abdominis regio, & ipsi quoque pedes, probe foveantur exterius, interius vero infusum theæ, aut theiforme ex floribus chamomillæ, summitatibus millefolii, semine fœniculi, succetive, sed largiter, corpore simul ad sudorem disposito, bibat, & alvus stricta validius expediatur clystere ex lacte, nitro, melle & oleo. Inprimis ad dolores mulcendos & diaphoresin eliciendam spectatæ virtutis liquor noster anodynus mineralis, si tres ipsius partes, cum una liquoris bezoardici *Buffii* parte remisceantur, & bihorio quovis viginti guttæ cum potu calido porrigantur.

§. IV.

*In gravi-
viori
usurpan-
da.*

Quando dolor ardens & fixus in lumbis diutius tenet, & indicium est, vasa renalia sanguine crasso facta esse atque obstructa, cito solvenda plethora per venæ sectionem in pede, vel in dispositis ad hæmorrhoidalem fluxum hirudinum appositionem, ad anum. Postea interius danda, quæ ætium sanguinis temperant, & liberiores humorum circuitum cum diaphoresi procurant, quo nomine emulsiva, demulcentia, diluentia, antispasmodica, pulveres diaphoretici cum cinabari & nitro, omnibus aliis palmam præripiunt.

§. V.

*Exulcerata præ-
sidia.*

Ubi vero inflammatio in abscessum transit, ex puris mictu & dysuria cognoscendum, medicatio eo dirigenda, ut pus acre temperetur, abstergatur, & etiam fiat consolidatio. Ad hoc perficiendum laudata virtus lactis, vel feri lactis, cum herbis vulnerariis, floribus hyperici, summitatibus millefolii, herba veronicæ, scabiosæ, he-

deræ terrestris, consolidæ Saracenicæ & sanicula decocti. Tum quoque utiles emulsiones ex seminibus quatuor frigidis & amygdalis, quibus adijcienda sufficiens quantitas seminis lycopodii, cujus magna vis est dolore leniens, exsicicans & consolidans. Sunt etiam qui in renum vitiis multum tribuunt gummi ceraforum in aqua, vel sero lactis soluto & crebrius assumto. In illo etiam renum cum exulceratione vitio, quod plerumque in iis, qui diutius calculo laborarunt præsto est, ab omnibus acris, calidis, spirituosus, diureticis & lithontripticis est cavendum, quia novam facile inflammationem, vel etiam mictum cruentum, excitare possunt. Præstantissimi vero tum usus mel Prusicæ album, præsertim cum pulvere nucitæ remixtum & loco sacchari in decocto veronicæ sumtum, vel etiam syrupus de dialthæa *Fernelii*, qui certe, ceu specificum, in renum labe merito commendari dignus. Præterea malvaticum juniperinum, quod ex vino Malvatico & rob juniperi paratur, in antiquis renum ulceribus, a senibus præsertim, ad aliquot cochlearia, post cibum sumitur cum fructu.

§. VI.

In nephritide tam inflammatoria, quam calculosa, primum & princeps auxilium in clysteribus demulcentibus ano infusis, qui sine stimulo salino & purgante parandi, ex lacte, sero lactis, vel pura aqua dulci cum floribus sambuci & chamomillæ decocta, adjectis binis vel una tantum uncia syrupi de althæa *Fernelii* & drachma una nitri. Diutius enim enmata debent retineri, quo spasmos laxent, & flatibus sic exitum parent.

§. VII.

Quum magna sit consensio & communicatio inter renes, colon intestinum, ipsumque ventriculum, adeo ut unius vitium facile transeat & communicetur cum altero, atque etiam inflatio coli, circumflexæ potissi-

*Flatus
discen-
tiendi.*

mum

num ipsius partis circa sinistram renem, comprimendo hunc, non modo ad ipsius morbos disponat, sed & eos proritet atque exacerbet, hinc tam ad præservandum, quam mitigandum, quod in renibus consistit vitium, operam dare oportet medicum, ut omnia ex iis, quæ flatus cient, & alvum stringente facultate pollent, evitentur, contra quæ eam lubricam servant, uti oleum amygdalarum dulcium, flatibus etiam discutiendis dicata sunt, usurpentur, e quibus instar omnium est semen cymini cum saccharo obductum & frequentius deglutitum.

§. VIII.

Externa
cum di-
stinctione
adhibenda.

Ad externorum usum quod attinet, si ipsa febris cum dolore aceto adest, non facile ego suaserim linimenta pingua, neque etiam applicationem spiritus vini camphorati, multo minus balneum, sed fots temperate calidos, cum vesica semirepleta decocto florum emollientium cum croco ex lacte, longe erit utilior. Si autem febris abest, & labes exulcerationis postea metuenda, vidi emplastrum spermatis ranarum, sumendo uncias ipsius duas, addendo sacchari saturni, camphoræ ana drachmam, olei hyoscyami drachmas duas, dolorem mitigando, eximie profuisse.

§. IX.

Minerales
aque
cum di-
stinctione
profunt.

Utut aquarum mineralium usus in omnibus fere renum vitiis opem spondeat eximiam, sed tamen quum magna sit in hisce ingredientium diversitas, non omnes promiscue in usum trahere convenit, sed utique selectus habendus. Carolinæ thermæ, si in renibus ulcus, propter sal calcarium purgans & diureticum, quo pollent, minus quadrant, quia nimium abstergendo, cavitatem faciunt majorem. Provide quoque & caute agendum cum acidulis efficacioribus Pyromontanis & Egranis. Emsenses vero thermæ aquæ & ex acidulis Selteranæ, propter sal tenerum alcali & subtilitatem aquarum, magis condu-

cunt. Semper tamen tutior est & acidularum & thermarum usus, si cum dimidia parte lactis mixtæ, usurpentur. Inprimis præstat ad abstergendas exulceratas renum partes, Selteranam primum per 14. dies solum, postea adhuc per mensem lactis nuptam caprillo, potare, & traumatica, decoctum, sive essentiam, interponere.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Serenissima princeps, sexagenaria *Nephritica* ferme, mollioris & sanguineæ texturæ, per aliquot annos nil nisi vinum, ac interdum aquam spirituofam, carminativam, quam vocant Aquavit, bibens, subinde tamen copiose infusum thee potans, ante aliquot annos, post præcedentem corporis exæstuationem per motum, incidit primum in dolorem dorsii & hypochondrii sinistri, cum horrida refrigeratione, febre, anxietate, inquietudine, strictura alvi, dolore in sinistro rene, fixo, subinde tamen de vehementia remittente, sed versus noctem semper exacerbato, sub quo urinæ tenues & albæ secesserunt. Perseverarunt hæc symptomata usque ad undecimum diem, quo tandem mitior dolor redditus, & urina postea valde turbida cum crasso multo sedimento & brunni coloris emissæ. Medicus disciplinæ nostræ alumnus non destitit per morbi decursum idoneis remediis succurrere, & potissimum emulsiones demulcentes & refrigerantes, pulveres temperate diaphoreticos & nitrosos, nec non oleum amygdalarum dulcium interne, & externe fomenta ex emollientibus & unguenta ex oleo amygdalarum dulcium cum camphora in usum vocavit. Ad impedendum quoque ulcerationis incrementum & consolidationem promovendam, suavit postea infusa herbarum vulnerariarum, ut alechymillæ, veronicæ, sum-

mitatum millefolii, ſlorum hyperici, cum lacte per menſem & longius potanda, ac vere demum conſilium dedit, ut acidulas Selteranas, per ſex hebdomades, ſub debito regimine biberet. Quibus per Dei gratiam perſeſte convaluit Sereniſſima ægra, & etiamnum in exoptata vivit incolumitate.

Epicriſis.

Hæc inflammatio ſine dubio ab obſtructione vaſorum minimorum in renibus fuit ſuborta, quæ in plethoricis, ſicut omnes inflammationes, quam facile fieri poteſt, quando ſanguis per motum, aut calidiora, in extremitates arteriolarum, quæ lymphæ vel ſuccum nutritium vehunt, urgeatur & accedit lumbarum refrigeratio. Non facile autem talis inflammatio, præſertim ſi paullo profundior, diſcutitur, ſed in ſuppurationem abit, id quod certum requirit tempus. Deinde etiam illud in uſum præcticum hinc diſcendum, quod cito ſuppurationi factæ ſuccurrendum ſit blandioribus vulnerariis, ne ſcirrhoſum quid, quod longiorem ſuppurationem ſequitur, gignatur, & ulcus poſtea fiat inſanabile.

OBSERVATIO II.

Nephritis calculoſa. Vir ſanguineus, forma venuſtus, venereus vero & vini potator, natus e familia nephritidi obnoxia, vigefimo octavo ætati ſuæ anno, febre admodum ardente, cum vehementi dolore in regione lumbari lateris ſiniſtri affectus eſt; adſuerunt ſimul cruciatus diri in regimine, alvus adſtriſta, ruſtus crebri, mingendi difficultas, & urina exiit pauca, album deponens ſedimentum. Medicus conſultus febrem ardentem & colicam convulſivam eſſe putavit, ideoque venam ſecare juſſit & clyſteres applicare. Ego vero in auxilium vocatus, quum æger de dolore inſtar pali circa renem ſiniſtrum infixi & ſpaſmodica cruris ſiniſtri contractione conquereretur, quæ-

ſivi, num olim laborarit calculo? reſpondit: non, ſed ex familia eorum eſſe, qui calculi cruciatibus obnoxii. Dixi igitur, nephritidem eſſe calculoſam, cum inteſtinorum doloribus, & exhibui emulſionem ex nucleis perſicorum, ceraſorum, cucurbitæ, milii ſolis, papaveris albi, cum aqua graminis, perlarum matre, nitro, & ſyrupo papaveris albi adjecto. Exterius loco dolenti admoveſe juſſi veſicam oleo liliorum alborum & chamomillæ coſto plenam, & ternis ſingulis horis injicere clyſma ex ſero lactis, oleo amygdalarum dulcium, ſyrupo dialthææ *Fernelii* & nitro. His alvus ſoluta, ruſtus moleſtiſſimi intercepi, & ventris tormina non nihil ſedata, ſed calculus graviſſimis doloribus deſcendit in uretheres, ad quos tantisper componendus & ſpaſticam criſpaturam in uretheribus remittendam dedi liquorem meum anodynum mineralem cum aliquot guttis laudani opiatu liquidu, quibus in veſicam diſmiſſus & inde etiam ad urethram delatus calculus, ob magnitudinem ibi obhæreſcens ac inſtrumentu ope eximendus, ſub qua operatione meatus urinarius laſus quodammodo, ut dein, ob cicatricem hunc anguſtantiem per omnem vitam miſctio facta fuerit difficilior. Ad præſervationem igitur poſtea ſuaſi primum potum inſuſi millefolii, dein acidularum Selteranarum cum vino, & uſum crebriorem pulveris ex magnetiæ & nitro. Et his jam per aliquot annos a calculi doloribus degit immunis.

Epicriſis.

I. Quoniam doloribus ex calculo non modo febris valde ardens, ſed & dolores inteſtinorum, cum firma alvi obſtructione, vomitibus & ruſtibus junguntur; hinc in nullo morbo diagnoſis tam fallax, quam in hoc, præſertim ſi ægri antea nunquam inſultum ipſius experti. Novi calculoſam paſſionem pro ardente febre, pro iliaca paſſione, pro colica convulſiva, hæmorrhoidali, vel flatulenta, fuiſſe hæ-

habitam, donec calculi proventus errorem argueret. Interim licet minus exquisitè cognoscatur causa, in remediis tamen propinandis ea propter non multum errabit artifex, quum in omnibus his non alia possint usurpari, quam demulcentia, sedativa, fibras rigidas laxantia, & spasmos remitteptia. Quo magis patet, eandem methodum, eademque remedia, pluribus morbis sanandis esse posse accommodata.

II. Febris vehemens inflammatoria ex calculo sine subsequente inflammatione esse potest. Sed causa febris tum potius spasmus, quam obstructio vasculorum ab incarcerato sanguine; spasmus enim facilius solvitur, quam obstructio discutitur.

III. Ad arcendam calculosam nephritidem nihil utilius infuso vulnerario, antispasmodicæ simul virtutis, cujus generis est ex millefolio. Selterana dein pota aqua abstergit mucum viscidum, & prima calculi rudimenta colloquat sensim ac evehit. Alvus autem laxa, ne ex intestinis ren male afficiatur, prohibet, licet eadem neutiquam movenda sit pilulis, præsertim quæ aloen habent, quibus in sanguineis, præter dolorem calculosum, & colicus, & hæmorrhoidalis, suscitari potest.

OBSERVATIO III.

Nephritis male tractata frustra. Fœmina quadraginta circiter anno-

rum, sanguine & succis plena, facie florida, venæ sectioni antea assueta fuerat, quam a biennio vero omiserat, & tamen sedentariam coluerat vitam, plenæ ac vinosæ diætæ indulserat, neque sufficientem uteri purgationem habuerat. Hæc corripiebatur fixo in regione sinistra lumbari dolore, qui per aliquot dies cum virium prostratione, nausea, & alvi adstrictione insistebat. Ad hunc leniendum medicus præbebat pulveres ex antimONIO diaphoretico, lapidibus cancrorum & opiato sic dicto laudano, ita ut dosis

laudani haberet granum, eoque obtinebat, ut dolor redderetur obtusior, alvus vero magis obstiparetur, urina supprimeretur, spiritus arctius mearet, vigilia esset assidua, & præcordia impensius angerentur. Nihilo tamen fecius insistebat papaveraceorum usui, & emulsionem non modo cum larga feminis papaveris quantitate, sed & pilulas ex diureticis & opio præbebat. Licet autem his dolorem abigere & somnum inducere niteretur, neutrum tamen obtinebat, sed symptomata potius cum spirandi difficultate ingravescebant, abdomen durum reddebatur ac tensum, & accedebat quoque febris. Alius igitur in consilium vocabatur medicus, qui ad alvum expediendam & respirationem facilitandam, exhibebat decoctum ex dulcibus, emollientibus, folii sennæ sine stipitibus atque rhabarbaro, cui ad sitim extinguendam non nihil spiritus nitri instillatum. Sed omnia frustra. Agra enim corripiebatur horrore frequenti cum interiorum ardore, sublequebatur syncope cum levi delirio, cumque medicus sub his emeticum ex tribus tartari emetici granis daret, operatio nulla sequuta, & duabus ab eo assumto horis, agra exspiravit.

Epicrisis.

Imprudētissimæ medicationis hoc est exemplum, qua morbus benignus in capitalem plane conversus. Expensis enim probe circumstantiis, facile judicandum, malum hoc a nimia sanguinis redundantia in fœmina aliàs vegeta, ejusdemque stagnatione in valis majoribus circa lumbos, nephritidem faciente, ortum traxisse, omneque damnum tempestiva liberali sanguinis missione, & alvi apertione per clysteres, mature potuisse præcindi.

OBSERVATIO IV.

Vir quadragenarius, cholericus-sanguineus, multorum liberorum pater, ac ob mercaturæ negotia, multum in

Nephritica febris ex calculo.

in itineribus verſans, poſtquam aurum nalem ſanguinis miſſionem juſto diutius diſtulſet, & noviffime curru noctu & interdiu veſtus, corporis & ſuccuſſationem & refrigerationem fuiſſet paſſus, domum delatus veſperi correptus eſt horrore, quem excepit æſtus & dolor acutiſſimus in ſiniſtro latere ſupra iſchii os, prope dorſi ſpinam, cum alvi adſtrictione, inquietudine, ſiti, præcordiorum ſtriſtura & ructuum eliſione, urina non quidem difficulter, ſed alba & tenui ſecedente. Medicus ordinariuſ ſuaſit clyſterum oleoſorum uſum & potum olei amygdalarum dulcium cum juſculis. Delinita inde tantisper dolorum atrociam, mane ob alvum ſtriſtorem ac ſponte nec ſtatus, nec ſtercora dimittentem, tormina quoque & murmura in abdomine, pilulas purgantes cum croco deglutire juſſit, quibus non ſine prægreſſis cruciatibus alvus quidem ſoluta, dolor autem fixus circa renem ſiniſtrum exacerbatus, inquietudo cum calore adaucta, æger aſſumpta illico revomuit, corpusque admodum jeſtigavit, alvo ſimul denuo arctiſſime clauſa. Ego in auxilium vocatus, ex dolore fixo in renis regione & ſubinde ad femur uſque excurrente cum aliquali hujus rigore, nephriticam febrem eſſe conjeſci, ac propterea primo omnium ſanguinem e vena brachii mittere, dein alvo clyſterem paregoricum domeſticum cum nitro injicere, & interius liquorem meum anodynum mineralem, alternatim cum pulvere temperante ſalino-nitroſo præbere juſſi, dato ſimul pro potu decocto avenaceo, non nunquam cum oleo amygdalarum dulcium, non nunquam brodium carnis cum citri ſucco. His æſtus reſiſtus, vomitus compoſitus, dolor quoque conquievit, per intervalla tamen, veſperi præcipue, recruduit. Hinc locum dolentem unguento dialthæa, populeonis, cum oleo juniperi ſubinde fovere, ac bis quotidie liquorem ſalino-alkalinum ac nitroſum ſumere ſuaſi, quibus etiam effectum, ut poſt ſeptimum diem alvus

ſponte ſolveretur, cutis antea arida maſceret, pulſus molleſceret, urina, ſub dolore pellucida, craſſa nunc ſecederet ac ſedimentum poneret, ipſeque dolor penitus evaneſceret. Licet autem tum nec ſabulum, nec calculus prodiret, nephriticum tamen morbum fuiſſe patuit poſtea luculentius. Quum enim æger ad vernalem ſanguinis miſſionem ſeſe accingeret, & ob id alvum prius purgandi cauſa decoctum mannatum cum cremore & terra ſoliata tartari uſurparet, inde non modo efficaciter alvus eſt ſubducta, ſed & poſt toleratos veſperi leniores in lumbari regione verſus pubem excurrentes dolores, mane cum urinam mitteret ex improviſo ſimul etiam excrevit calculum oblongum, figuræ pyramidalis fere, diametri lentis, baſi durum, ſuperius autem friabilem atque poroſum.

Epicriſis.

Calculus in renum ſubſtantia occultatum, paullo majorem & duriorrem, febrem inflammatoriam cum acerbis doloribus & ſpaſticis ſymptomatibus, excitare poſſe, hæc docet hiſtoria. Neque tamen id fit, quod irritando vel diſtendendo partes nervoſas ſpaſmos facit, ſed quia comprimendo canaliculoſam renum ſubſtantiam, obſtaculum ponit liberiori ſanguinis per eorum compagem progreſſui, & quando tum ſanguis abundans cum vehementia per motum ſuccuſſatorium vehementem in curru aut equo, impetuoſe ad renes pellitur, nec tamen per venas omnis æque expedite iterum reducitur, gignitur demum inflammatio. Illa enim dorſi ſub veſtura aut equitatione ſuccuſſatio, ſanguinem omnino impetuoſius agit ad renes; unde novi foeminas curru veſtas ad crebriorem urinæ urgeri miſſionem. Novi etiam validiori hoc motu calculum in renibus quieſcentem, eſſe loco truſum & in uretheres cum dolore tranſlatum. In cura autem ſic excluſæ nephritica febris, optimum & præſentiſſimum auxilium in ſanguinis ſubtractione

Etione, cujus tamen quantitas merito medici judicio relinquenda. Neque etiam ego melius novi in plethoricis renum passionibus obnoxiiis præservativum, quam venæ sectionem tempestive & cum judicio institutam. Atque hinc petenda est ratio, quod notante dudum Hippocrate, ab inflammatoriis ejusmodi febribus, nephriticis, peripneumonicis & phreneticis, liberi maneant, quibus hæmorrhoides recte fluunt.

OBSERVATIO V.

Nephriticus & hæmorrhoidalis dolor cum numerosa calculorum excretionem.

Illustrissimus Comes, quadraginta circiter annos habens, optimæ & sanguineæ constitutionis, bis quotannis hæmorrhoidum, pariori tamen fluxui obnoxius, in intensum dorsi & abdominis incidit dolorem, ut erectus stare non posset, sed corpus semper incurvare, necessum haberet: aderat simul creber ad mingendum stimulus, & urina secedebat parcius. Medicus huc usque ordinarius ansam hujus doloris esse voluit sanguinem per ani venas exitum molientem, & in tunicis intestinalibus stagnantem, eaque propter venam in pede aliquoties secari iussit, pulverem antispasmodicum exhibuit, & ad proritandum hæmorrhoidum stillicidium, crebriorem pilularum ad exemplar Becherianum paratarum usum suavit. Sed inde nihil accessit levaminis, dolores non modo remanserunt, sed & periodice sæpe cum extremorum frigore & subsequente totius corporis aestu, præsertim in regione lumbari, recurrerunt. Adit igitur Carolinas thermas, ibique me in consilium accivit. Quumque ex sedimento urinæ mucoso & quodammodo tartareo conjicerem, illustrissimum ægrum non esse liberum a calculo, ut temperatas tantum thermas aquas biberet, consilium dedi. Potis his optime habuit, & quod mirandum, post potum plures numero, magnitudinis variæ, lapillos subcinericios leves, cum urina excrevit, ut numerus

eorum intra aliquot hebdomades, vel ad quadringentos accederet. Postea successive pauciores secesserunt, ac quadriduo ante finem curæ nullus amplius prodit. Interim licet sub hoc potu dolores essent mitissimi, in itinere tamen recruduerunt acerbiores, nec per annum postea penitus discesserunt, donec usurpatis infusis herbarum vulnerariarum, liquore anodyno minerali, & ad roboranda sub doloribus afflicta membra, Tœplicesibus thermis, liberaretur tam a dorsi, quam renum calculosis passionibus.

Epiorisis.

Sanguineæ & forma venustæ personæ, si corpus jam omne nactum augmentum, ex facili patent internis partium inflammationibus, nec non sanguinis evacuationibus, præsertim per sedis venas. Quæ sanguinis excretio, si deficit, haud raro renum inflammatio & calculosa dispositio excipit. Hinc perite Hippocrates Sect. 2. aph. 11. scribit: *nephriticis si hæmorrhoides fluunt, bonum*. In nostro illustrissimo ægro & hæmorrhoidalis intestinorum, & calculi renum dolor fuit conjunctus, quod haud infrequens est. Thermarum autem Carolinarum ea virtus est atque efficacia, ut renes valide expurgent a sabulosis & tartareis sordibus. Sed cautus sit earum usus, si magna in renibus exulceratio, ne irritando eandem augeant majoremque faciant cavitatem. Optimo consilio nostro ægro post thermalis aquæ potum in ulum vocata decocta & infusa vulneraria, cum pulveribus nitrosis & liquore anodyno minerali. Renes enim male affecti ad consolidationem optime ferunt lenem adstrictionem. Unde ab auctoribus omnes fere herbæ vulnerariæ, in morbis ex renum vitio, quam maxime celebrantur.

Plures notatu dignæ observationes legantur in *Consult. med. tom. 2. 73. 77. item 89.*

CAPUT IX.

De Inflammatione Vesicæ.

Theses Pathologicae.

§. I.

Inflam-
mate ve-
sicæ Pa-
thogno-
monica
signa.

Vesicæ compages, ex quatuor tu-
nicis, una a peritonæo, altera
musculari, tertia nervosa, cui quar-
ta mucosa seu villosa obducta, si spas-
mo & inflammatione afficitur, haud
secus ac si ventriculi ejusdem texturæ
carpus, aut aliæ nervosæ partes ean-
dem patiuntur, & multis & gravibus
stipatur symptomatibus, licet aucto-
res medici recentiores paucam & vix
ullam hujus passionis injiciant men-
tionem. Pathognomonica autem &
essentialia ipsius signa sunt hæc: do-
lor acutus, ardens & pressorius in re-
gione pubis, cum febre, perpetuo
tenesmo sive desidendi stimulo, &
continuo ad mingendum conatu.

§. II.

Causa
inflam-
mationis.

Inflammationis hujus proxima cau-
sa sanguinis veletiam seri impuri in
extremitatibus arteriolarum stasis est,
qua sanguifera per vesicæ tunicas di-
scurrentia vasa, a sanguine copiosius
congesto nimium replentur, disten-
duntur & nervosa exquisitissimæ sen-
sationis tunica, in vehementem spas-
mum abripitur, ex quo reliquorum
symptomatum origo.

§. III.

Item
Sympto-
matum.

Nimirum gravia illa pathemata,
quæ inflammationi vesicæ juncta,
dolor ardens pressorius, ani constri-
ctio, tenesmus, difficilis & continuo
urgens mictus, borborygmi, ventris
tormina, summa præcordiorum an-
xietas, ægra spiratio, inappetentia,
mala digestio, vomitus, extremorum
frigus, pulsus durus, inæqualis, con-
tractus, celer, inquietudo, quandoque
etiam convulsio, unice pendent a
spasmo in vesica, qui, si vehementior,
ob nervorum communionem, non
modo rectum, sed & reliqua intelli-

na, ventriculum & diaphragma, im-
mo ipsas cerebri & spinalis medullæ
membranas, cum universo nervosa-
rum partium systemate, in similes
spasticos & constrictorios motus ab-
ripit. Quam intima enim stomacho
cum vesica intercedat consensio, no-
tavit jam Celsus lib. 7. cap. 22. ita ha-
bens: non ignoramus, orto vesicæ ul-
cere, sæpe affici stomachum, cui cum
vesica quoddam consortium est, ex quo
fit, ut neque retineatur cibus, neque,
si quis contentus est, concoquatur, ne-
que corpus alatur.

§. IV.

Non tamen semper unius ejusdem-
que est vehementiæ, sed quandoque
levior, quandoque gravior. Levior
illa superficialis magis est, spuria
quasi & rheumatica, vel erysipelaceæ
species, ac propterea brevi etiam &
facilius ipsa febris per diaphoresin tol-
litur. Oritur etiam non tam a san-
guine, sed potius a sero falso, acri,
impuro inter vascula & fibrillulas
nervæ hærente. Hinc familiaris
quam maxime senibus, scorbuticis,
arthriticis, rheumaticis, hemicra-
nicis, purpura scorbutica laboranti-
bus, atque cachecticis, tum maxime,
quando refrigeratione inferiorum a
rigido & boreali aeris statu, perspi-
ratio intercipitur, ac inoffensus san-
guinis & humorum per minimos tu-
bulos circuitus sistitur. Quæ autem
gravior, profundior est, a crasso &
impuro sanguine in vesicæ vasis ube-
rius collecto provenit, plethorico-
cacochymicos hinc frequentius infe-
stat, atrociora habet symptomata, &
perquam facile in suppurationem,
exulcerationem vel sphacelum fune-
stum plane transit.

§. V.

Ex his quæ ad ingenerandam vesicæ
inflammationem conferunt, sunt ma-
xime critica sanguinis evacuationes,
per menses, vel hæmorrhoides defi-
cientes, vel plane suppressæ. Magna
enim consensio vesicæ & intestini re-
cti, alterutra parte male & spasmo
vel

Levior
est, vel
gravior.

Oritur a
suppres-
sis san-
guinis
evacua-
tionibus

vel inflammatione affecta, propter hemorrhoidaliam tam interna, quam potissimum externa vasa, e quibus, notante Vesalio lib. 3. cap. 9. de fabrica C. H. pag. 475. rami, hypogastricæ propagines, ad vesicæ cervicem abeunt, unde etiam suppuratio & exulceratio ex ruptis sanguiferis vasculis in cervice ut plurimum observatur magna. Inprimis in foeminis, si, uti haud infrequens, & mensium & hæmorrhoidum fluxum experiuntur, ac ille cessat, nec hic recte succedit, sanguis impetuose ruit ad vesicæ vasa, & gravia symptomata, febrem, ulcerationem, purulentam mictionem, quandoque cruentam, dysuriam & alia plura incommoda adducit.

§. VI.

Nec non a gonorrhœa male tractata. Deinceps non raro inflammationem vesicæ infert gonorrhœa, præsertim virulenta, male per adstringentia, vel etiam nimis calida & acria pellen-
tia tractata. Attenta enim observatione constat, gonorrhœam sæpius recurrentem, & perversa medicatione exceptam, abire in prostaticam, vesicularum seminalium & ipsius vesicæ ulcus. Prostratæ quippe glandulæ, quæ ut plurimum gonorrhœæ sedes, quando tumore, dolore, inflammatione & suppuratione afficiuntur, facile labem communicant vesicæ collo proxime adjacenti, ut vitium latius serpat. Tum vero præter fluxum seminis ex urethra involuntarium, urina mingitur, quæ crassum, copiosum, mucilaginosum purulentum sedimentum ad fundum dimittit, quod ab urina separatum, & exsiccatum flammæ si injicitur, tetrum foetorem, non secus ac sanguis combustus, spargit.

§. VII.

Eventus morbi. De successu & eventu morbi veritati & experientie omnino congruum Hippocratis effatum de prænot. pag. 464. sic habens: vesicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ sunt & perniciose; perniciosissime vero, quæ cum febre conti-

nua fiunt. Etenim dolores ab ipsis vesicis ad occidendum sufficiunt, & alvi non egerunt hoc tempore, nisi durum quoddam, & hoc coacte. Solvit autem urina mixta purulenta, quæ albam ac levem subsidientiam habet. Si vero neque ab urina quicquam remiserit dolor, neque vesica molliatur & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi, ægrum moriturum esse timor est. Quando autem inflammatio non tempestive discutitur, lentius aut citius necat. Qui cito, ex sphacelo pereunt, ac uti testantur observationes anatomico-practicæ, vesica sphacelo affecta, vel vasa ipsius sanguifera varicosa, & nigro cruore facta reperiuntur. Tardius autem mors excipit, quando exulceratio succedit, ex mictu purulento cognoscenda, quæ tandem vel hæctico calore necat, vel latius serpens intestinum rectum etiam exedit, ac gangrænam inducit funestam.

§. VIII.

Interim non omnis urina turbida & sub mictu difficili & ardore excreta, inflammata, aut exulcerata vesicæ est indicium. Id enim haud raro obvium in senibus, scorbuticis, & qui dyscrasia humorum laborant, & accidit sine periculo. Quandoque etiam solus vesicæ spasmus, ab urina acri, calculo asperiori, aut collectione feri impuri in vasis vesicalibus, inductus, insignem mucii quantitatem ex villosa tunica exprimit, ac urinæ insinuat. Neque minus vesicæ spasmus & dysuria sæpe comitatur febrem, quæ plerumque est scorbutica & exanthematica, cum purpura, vel maculis scorbuticis instar petechiarum, nec periculo vacat. Quin aliquoties in purpura scorbutica affectis observavi, quod impedita materię purpuracę per improvidam refrigerationem excretionem, vel hac retropulsa, eadem pathemata, spasmus nempe vesicæ ac difficilis mictus, acceperint, nullam aliam ob causam, quam quod constrictis a frigore

Urina mucida & dysuria non semper ab inflammatione vesicæ.

gore tubulis subcutaneis, motus sanguinis & humorum ab exterioribus ad interiora conversus, simulatque recrementitia & acris illa materia nervosæ vesicæ illapsa.

CURATIO.

§. I.

*Spasmus
vesicæ ex
sanguine.*

Nulli morbi difficilius curantur, quam qui in vesica consistunt. Est enim nervosa & exquisiti sensus pars, secundum Veterum loquendi morem frigida, & paucò sanguine perfusa, ac urina perpetuo superne affluens consolidationem impedit, præsertim in senibus. Quare vesicæ vitia, uti spasmus, inflammatio, exulceratio, difficilis & dolorosus mictus, facilius arcentur, quam perlanantur. Interim, quia spasmus vesicæ primam fere causam omnibus, quæ ipsam infestant, passionibus subministrat, præcipua utique medentis intentio, ut eundem tempestive præscindat, & modis declinet cunctis. Sed quum hic spasmus vesicalibus tunicis vel a sanguine uberius ibi congesto, tendente ac premente, vel ab acri impuro sero eo decumbente, inducatur, causæ hæc probe sunt discernendæ in medicatione. Quod si igitur post suppressum mensem, vel hæmorrhoidum fluxum, tale vitium imminet, optimùm consilium, ut excretionem hæc vel revocentur, vel sanguis copiose congestus per venæ, præsertim in pede, sectionem, derive- tur, quod auxilii genus, iis inprimis, quibus ani, aut uteri venæ stillare amplius jam cessarunt, proficuum est. Et hoc in casu verum omnino Hippocratis aph. 68. Sect. 7. dictum: urinæ difficultatem & stillicidium solvere venæ sectionem.

§. II.

*Ab humore
acri
quibus
arcentur.*

Quando scorbuticis & iis, qui rheumatismis, arthritide & purpura chronica laborant, ulcera antiqua consolidata sunt, aut materia quædam exanthematica retro pulsa, senibus quoque ob dyscrasiam sanguinis, &

Tom. IV.

humorum impuram, vesicæ passionem imminet, cito remediis diluentibus, acrimoniam temperantibus, blandis diaphoreticis sanguinemque depurantibus est succurrendum. Hunc in finem utilia decocta pro potu ordinario temperantia, ex radice scorzonæræ, chinæ, sisere, foeniculi, item infusa theiformia ex summitatibus millefolii, floribus malvæ, baccis alkeken- gi & semine dauci parata, cum dimidia parte lactis mixta & syrupo e dialthæa Fernelii dulcificata. Neque minus spectata seri lactis dulcis virtus. Quibus si accedit usus emulsionis ex seminibus quatuor frigidis, & pulverum temperantium ex pulvere Marchionis, antimonio diaphoretico, lapidibus cancrorum, matre perlarum, cum nitri tantillo & aliquot guttis olei macis, effectus est exoptatus. Quia tamen puritas humorum multum etiam debita purgamentorum alvi excretionem conservatur, videndum utique, ut hæc præstetur libera, optime alimentis, sin vero minus responderit, mannatis, cum vel sine rhabarbaro, addito nitro antimoniato, aut clysteribus emollientibus ducenda.

§. III.

Ubi vero inflammatio cum spasm^o jam præsto est, præter jam dicta, commendatissimus est usus liquoris anodyn^o mineralis, ad drachmam unam, remixti cum granis 5. extracti croci & granis duobus camphoræ. Tum etiam pulveres diaphoretici ac temperantes, aucta nitri dosi, cum emulsionibus ex seminibus quatuor frigidis sunt porrigendi. Et exterius partem affectam antispasmodicis & leniter discutientibus fovere expedit. Nobis hunc in finem usitata vesica decocto florum emollientium plena, vel loco hujus emplastrum ex emplastri de mehloto uncia, spermatis ceti drachmis tribus, croci, camphoræ ana drachma, nec non oleum anodynum camphoræ, ex olei amygdalarum dulcium uncia, hyoscyami drachmis tribus & camphoræ drachma, pubis & perinæ regi-
gioni

R

gioni crebrius illitum. Ubi etiam spasmus solus tenesmus molestus, vel difficile, dolorosam mictionem efficit, præter balnea aquæ dulcis, omnia alia auxilia virtute superant vapores ex decocto florum meliloti, sambuci, chamomillæ officinalis, malvæ, summitatum millefolii cum lacte, in perforata sella ad laborantes partes admissi.

*Cautela & Observationes
Clinicæ.*

§. I.

*Minerales aquæ
utilissimæ.*

In vesicæ vitiis inveteratis, quæ cachecticis, hypochondriacis, scorbuticis, senibus & hæmorrhoidariis, nunquam non sunt frequentia, ad incrementum eorum præsciendum, per longum usum efficacius deprehendi nihil, quam peritum aquarum mineralium usum. Celebres jam pridem hoc nomine Spadana aquæ, de quibus sic disertis verbis scribit, *Henricus ab Heer in Spadacrep, hæc fontis Spadani, propria ac singularis facultas, ut vesicæ renumque dolores sopiat ac leniat, morbos vero harum partium persanet, ventriculū debilem roboret, & ciborum languentem appetentiam excitet.* Quin idem gravis auctor suadet, ut, si renum & vesicæ vitiis affecti liberi ab iis vivere velint, per totum annum hanc medicatam aquam bibant. Neque minus *Tulpius lib. 2. cap. 53.* testis est fide dignus, deploratum vesicæ ulcus, omnibus parum aut nihil proficientibus, continuo aquæ Spadana usu, tam feliciter fuisse debellatum, ut summe obstupuerint, quibus id visum certam habere desperationem. Ego vero habeo, quod maxime laudem usum Selteranarum, quarum saluberrima ingredientia penitus inspexi, quarumque virtutem in omni interna pulmonum, renum & vesicæ labe exemplis habeo confirmatam fere innumeris. Hinc suadeo, ut vere semper & autumnō, per mensem & longius bibantur, vel quod melius inter cibum potus ordina-

rii loco, cum quarta vini Mosellani parte remixtæ, potentur.

§. II.

Lacticia quidem per se renum ac vesicæ læsionibus & morbis minus accommoda. Sed si lac ipsum, præsertim asininum, cum Selterana aqua bibitur, vel quod melius adhuc, acidulæ hæ, ad abstergendam eo melius saniosam & mucosam materiam, per aliquot hebdomades primum solæ, ac postea vel solum lac, vel medicatæ huic aquæ confusum, usurpantur, magis quam ullum aliud remedium prodesse, expertus scribo.

*Lac cum
aqua
prodest.*

§. III.

Licet sanguinis missio utilissima sit, tam ad arcenda, quam persananda vesicæ ex sanguinis congestione vitia, multum tamen nocet frequens ipsius administratio, ubi humorum magis impuritas, quam abundantia in vitio est, ac ubi materia acris purpurea altius sanguini est insinuata. Nam subtracto nimium sanguine, motus ipsius ad corporis ambitum elanguescit, perspiratio simul imminuitur, & morbi causa magis obfirmatur, licet in principio doloris lenimentum inde accedere videatur.

*Vene se-
ctio cum
distin-
ctione
admit-
tenda.*

§. IV.

Vini potum *Hippocrates l.* superius c. in urinæ difficultatibus commendat; merito tamen tenendum, quod nulum aliud ex usu sit, quam dulce, Malvaticum, Hispanicum, vel etiam Hungaricum, quod moderate & medicè potum, tam ad roborandum stomachum, quam ad vires refocillandas, apprime conducit, nisi febris & calor prohibeant. Illa vero vina, quæ multum acidi tartarei in sinu sovent, ut Rhenana, item nostratia austera, penitus merito sunt rejicienda.

*Vinum
dulce nō
acidum
bibendū.*

§. V.

Quum omne frigidum nervis nervosisque partibus sit inimicissimum, calidum vero amicissimum; hinc in nervosæ vesicæ passionibus summa cum cura etiam vitanda refrigeratio, maxime inferiorum, frigidus potus, ac præfer-

*Frigus
nocet,
calor vī-
peratū
prodest.*

tim

tim in senili ætate, remedia nimium refrigerantia, acida & nitrosa. Vicissim quæ corpus, abdomen inprimis & pedes, a frigore defendunt, ac in perspiratione servant, ut motus corporis moderatus, potus infusi theiformis, potio calida, item pediluvia & balnea aquæ dulcis, optimum doloris procurant lenimentum. Atque etiam hanc ob causam e re est, ut aquæ medicatæ ipsæ, tam solæ, quam lacti nuptæ, tepidæ potius, quam frigidæ bibantur.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Vir 40. annorum, vitæ sedentiariæ ob intemperantiam studiorum additus, intolerabili cruciatu & tormento circa pubis & perinæi regionem cum magna difficultate reddendi urinam diu sæpe per intervalla afflictus fuit, & propter dolorum atrociam, inquietudinem, anxietatem, vigiliam, viriumque defectionem, cum extremorum tremore ac frigore, tam misere decubuit, ut ad desperationem quandoque redactus, cultro filum vitæ abrumperere voluerit. Affligebat hæc miseria interdum per aliquot hebdomades, postea sensim paulatimque remittebat, ut officio suo fungi posset; urina plerumq; pauca & turbida profluebat, crassum sedimentum deponens. Et quum per sex fere annos hoc malo exagitatus esset, viribus tandem penitus consumptis, quadagesimo ætatis anno obiit. Omnes, quos per totam civitatem in auxilium vocarat, medici, & calculum, & vesicæ exulcerationem, hujus miseræ affectionis causam judicarunt; sed aliud longe partis affectæ post mortem scrutinium docuit, vesica quippe integra, sine exulceratione, inventa fuit, nec vestigium sabuli aut calculi in ea repertum, ipsum vero vesicæ corpus longe crassius & densius, copiosis & valde distentis vasibus sanguiferis, quorum nonnulla calami scriptorium crassitie æquabant, oblitum.

Ut adeo omnium horum cruciatuum nulla alia fuerit causa, quam insolita illa stagnatio & incarceration sanguinis in vasis vesicæ.

Epicrisis.

Hæc historia luculenter docet, spasmus vesicæ urinariæ vehementiorem, tantum valere, ut universum nervosarum partium systema in consortium trahere & œconomiam omnium corporis functionum perturbare queat. Dem patescit: difficilem cum ardore & stillicidio mistum, urinam quoque glutinosam, juxta Hippocratem furfuraceam, non semper exulcerationem, vel calculum intus latentem prodere, sed a sola spastica contractione vesicæ oboriri posse, qua tunica interior mucosa fortiter compressa mucosum liquidum copiose in cavitatem vesicæ eructat, quod urinæ immixtum, postea cum ipsa excernitur, eodem modo ac notum est, dolorificum illum spasmus, qui sæpe fit in extremitate intestini recti exquisiti sensus, ita comprimere tunicam cum vasis suis villosam, ut insignis copia muci albi, instar albuminis ovi, cum tenesmo dimittatur, quod vulgo vocant hæmorrhoides albas. Vesicæ autem spasmus causa non tam est in cavitatem vesicæ, quam potius intra ejus substantiam. Nam, sicuti a mensium vel hæmorrhoidum fluxu sufflaminato, sanguis regurgitans ad vasa ventriculi & intestinorum, & intra eorum tunicas sentientes stagnans, distractione & compressione, vehementia tormina, anxietates, dolores, convulsiones & spasmos concitat; ita etiam, quando vel ex vitio & emanatione fluxus hæmorrhoidalis, vel aliis ex causis, sanguis ad vesicæ corpus magna copia delatus ibi stagnat, non mirum est, quod ia nervosa ipsius compage spasmos, & quæ ab iis proficiuntur symptomata, producat.

OBSERVATIO II.

Vir quadraginta annorum, sanguineo-cholericus, ex vitæ genere valde

Ex hæmorrhoidibus suppressis locum.

*His vesti-
ca infla-
matio.*

inquieto transiens ad quietum & sedentarium, experitur brevi post hæmorrhoidalem fluxum, quem præposere remediis adhibitis suppressi curavit. Sequuta hinc mictio cruenta, singulis fere mensibus rediens, qua cessante anxietates præcordiorum, dolores lumborum, borborygmi ventris, prava digestio & inappetentia oborta. Ad tollenda hæc mala variis usus quidem remediis, thermis, lactis cura, sed non cum debito regimine. Accessit hinc postea funesta vesicæ inflammatio, cognoscenda satis ex magno ardore, dolore, in regione pubis, mictu difficili & dolorifico, febre, præcordiorum anxietate & delirio, ac post mortem vesica inflammata & sphacelata inventa fuit.

Epicrisis.

Hæmorrhoidalis fluxus interdum transit in mictionem cruentam, criticam quoque, quæ nullo modo cohibenda, nisi rursus provocentur hæmorrhoides, alias gravissima subsequuntur spasmodica pathemata non modo, sed & ipsa vesica tandem inflammatione gravi cum febre afficitur, quæ facile abit in sphacelum. Nam qui morbis vesicæ moriuntur, si plerumque pereunt sphacelo, qui etiam intestinum rectum sæpe afficit, ut hæmorrhoidalia vasa sanguine nigro infarcta cum penis livore compareant.

OBSERVATIO III.

*Vesica
inflam-
matio a
materia
acris
scabulis.*

Summus hujus urbis Theologus, vitæ sedentariæ perpetuæque mentis per ardua multa negotia fatigationi assuetus, a purpura intus delitescente scorbutica in gravem primum per intervalla dysuriam incidit, juncta simul paralyti spuria dextræ manus, quæ, quamdiu persistit, remissior fuit dysuria, illa vero evanescente, atrocior vesicæ spasmus & dolor cum assiduo urinam mittendi stimulo, illico rediit. Tandem cum sanitate quidem in gratiam redire videbatur, sed quum forte languidum adhuc corpus auræ frigi-

diori exposuisset, rediere intoleranda mictus tormina, quæ vesicæ inflammatio, ex parte exulceratio, febrisque acuta exanthematica exceperunt, funesto prohi! eventu.

Epicrisis.

Inflammatio vesicæ, a sero falso impuro & corrupto, vesicæ tunicis nerveis firmius in hærescente eosque lancinante, quandoque subnascitur. Vidi non ita pridem in sene octogenario, qui per aliquot annos summa difficultate mittendi cum dolore urinam laborarat, ac demum, frustra adhibita omni efficacissima medicina, in pede nactus est erysipelas, quod reliquit ulcus, ichorem saniosum sat copiose quotidie fundens, tam salubri effectu, ut ex eo, & dysuria, & dolor in pube, omnis evanuerit. Dravvitzius quoque, qui ante seculum jam omnium fere optime germanico idiomate de scorbutico integrum scripsit tractatum, in eo pagina 350. & seqq. plures assert observationes & casus ægrorum, qui de doloribus sævis sub urinæ emissionem conquesti, quorum causa non vesicæ labe ulla, aut calculus fuit, sed humor tantum impurus scorbuticus. Memorabilis maxime casus, quem consignavit de lanione, qui, quum nunquam antea ex calculo laborasset, subito atroces in pedibus persensit dolores, qui hinc depulsi, urethram invaserunt, cum intenso ardore & difficultate guttatim vix mingendi; applicatis tamen discutientibus cessarunt quidem, sed ad pedes redierunt, consequente eorum tumore.

OBSERVATIO IV.

Fœmina quadraginta circiter annorum, sanguineæ constitutionis, vitæ sessili nimum indulgens, venæ sectioni alias fuerat assueta, sed per biennium eam omiserat, quo factum, ut obstructis mensibus, in summos dolores circa pubis regionem incideret, cum impensis præcordiorum anxietatibus, fortis alvi adstrictione, appetitus viriumque destructione. Sedati quodammodo

*Vesica in-
flam-
matio a
venæ
sectione
facta.*

do ab imperito medico per opiata doloribus, mox incidit in syncopen, & majores ac vehementiores circa præcordia urserunt anxietates, subsequutum delirium & mors. Inspecito post mortem corpore & vesicam, & uterum inflammatio ac sphacelus occuparant, ceteris omnibus partibus sanis.

Epietisis.

Instar axiomatis practici hoc loco notari velim: in inflammationibus nervosarum & membranacearum partium, ut in phrenitide, pleuritide, hepatitide, item inflammatione ventriculi, intestinorum & vesicæ, nil perniciosius esse, & quod tam facile ad mortem perducere queat, opiato remedio interno. Stuporem enim hisce partibus facile inducit, & in minimis vasculis motum & progressum sanguinis penitus sistit, ut sphacelus ac mors inducatur. Quare cautissime cum ejusmodi remediis etiam exterius applicatis, hisce in morbis agendum esse moneo, ac inculco serio, compluribus lethiferis exemplis hanc observationem confirmantibus. Conferunt potius, præter idonea diluentia, discutiètia, blanda anodyna cum diaphoreticis mixta, inter quæ liquorem nostrum anodynum mineralem, cum spiritu Bussii mixtum, & reiteratis vicibus, parca tamen dosi, exhibitum, cum blando regimine diaphnoico, non satis laudare possum, si prius plethoræ, quando adest, tempestiva sanguinis missione rite fuit prospectum.

Præter allatos casus plures adhuc invenies in Consult. med. tom. 2. sect. 3. LXXXVIII. XC. XCIII.

CAPUT X.

De inflammatione & febre uterina.

Theses Pathologicæ.

S. I.

Peculiaris uteri fabrica & structura, mira scilicet fibrarum totius substantiæ elasticitas, vasorum sanguiferorum copia, eorumque tortuosus & serpentinus fluxus, glandulosa & ner-

Tom. IV.

vosæ textura, nec non colli & maxime orificii interni exquisitus sensus, faciunt, ut multis & variis morbis, maximeque etiam acutis & periculosissimis inflammationibus, oriundis inde abscissibus & mali moris ulcerationibus, pateat hoc viscus. Quin, quia non tam ob nervorum communionem & sensibilitatem, quam potius sanguinis progressum in fibrosa & vasculosa uteri compage interceptum, ipsius in omnibus reliquis corporis partibus motus turbatur atque pervertitur; hinc magna etiam uteri cum nobilissimis corporis partibus, capite, pectore, præcordiis, ventriculo, & omni nervorum systemate est consensus, & ipso gravato, aut inflammato læva in propinquis & remotis partibus accidunt pathemata.

S. II.

Ex his, quæ in uterum cadunt, passionibus frequens admodum est ipsius inflammatio, cognoscenda ex ardore & dolore fixo in inguine, cum febre acuta, dolore lumborum & imi ventris, abdominis inflatione, stimulo ad urinam & alvum, mictu ardenti & difficili, gravibusque aliis in præcordiis, capite, & pectore symptomatibus. Parum hujus morbi reminiscuntur Medici recentiores, sed eo crebrius in monumentis suis Veteres. Aretæus quidem sic egregie ipsum delineat cap. 64. inflammatio uteri, iniquens, fit ex pluribus causis, ex plaga, ex mensium suppressione, & frigidityte, & inflatione, non minus etiam abortu & partu, propter malam partus editionem. Sequitur ad uteri inflammationem febris acuta, dolorque capitis ac ejus tendinum, & basis oculorum juncturaeque manuum & digitorum, & colli detractio & declinatio, stomachi per consensum affectio, osculi uteri conclusio, pulsus parvi, densi. Si totus est inflammatus, totus vehementius pulsatorio motu dolet: si posteriores ipsius partes solum inflammata fuerint, dolor circa lumbos fit, & stercorea supprimuntur ex recti in-

Inflam-
matio-
nis ute-
rine si-
gnæ.

R 3

testi-

testini compressione; si partes ejus anteriores, dolor circa pectinem sit & urinae stillicidium ac emittenda difficultas ex vesicae compressione; at lateribus inflammatis, & inguina tenduntur, & crura gravantur; si vero fundum ipsius fuerit inflammatum, circa umbilicum maxime dolor consistit cum tumore; at si circa osculum est inflammatio, circa supernum ventrem dolent, & digito immisso durum ac renitens osculum occurrit.

§. III.

Differtentia inter levem & gravem. Hæc uteri inflammatio merito dispendenda in leviores superficialem, & graviores, seu profundiores. Illa sæpe puerperis accidit, facile gignitur, potissimumque crebrius sequitur febrem lacteam, admittit etiam medicationem, si recte & prudenter instituat, ac facili negotio, intra paucos dies, discutitur. Gravior autem, quæ febre intensa & sævis symptomatibus de vehementia non remittentibus slipatur, septimo, nono, vel etiam undecimo sæpe die necat, superveniente maxime purpura alba, quæ pessimum semper præbet omen, atque ex corrupto, putrido, vappescente sero ac sanguine, in uteri latibulis hærente, ortum ducit, immo de corrupto jam & sphacelato utero testatur.

§. IV.

Causa varia. Causa inflammati uteri materialis proxima est inæqualis sanguinis per uterina vasa circulus. Ob oppleta scilicet, coarctata a spasmō & obstructa minima vascula, sanguis majori cum impetu ac celeritate fertur per vascula vicina, eorumque ramos laterales, qui cruorem alias non capiunt, unde tumor, rubor & ardor fit, cum pressione & irritatione tunicae nervosæ. Ad hoc autem vitium concipiendum in genere disponunt lésiones, contusiones & vulnerationes externæ, status plethoricus, cacochymicus, mensium & lochiorum suppressio, copiosior sanguinis ad uterum allapsus atque decubitus, partus laboriosus, a-

nimi affectus, ira maxime & terror, vomitus enormis, vel nifus impensior ad hunc, motus & labor corporis plethorici fortior cum subsequente refrigeratione imi ventris, balnearum calidorum abusus, abdominis & uteri refrigeratio externa, potus frigidus, fluentibus inprimis menibus, lochiis, aut hæmorrhoidibus, colica quoque convulsiva, nec non affectio spastico-hysterica gravior.

§. V.

In puerperio cur frangens sit. Nunquam vero magis hæc periculosa affectio infestat feminas, quam si in puerperio sunt constitutæ. Post partum enim uterus ab onere levatus, elastica, qua pollet, virtute iterum in arctius spatium coit, & sensim sensimque sese contrahit. Hinc diducta uteri vasa angustantur, contentus in iis sanguis per oscula aperta, secundinis prius continua, exprimitur, ac sub nomine lochiorum foras prodit, eum sanitatis emolumento. Simul vero etiam hac angustatione motus & cursus sanguinis aliter dirigitur, & quidem ab utero & inferioribus ad superiora ipsasque mammæ, quod circa tertium plerumque diem accidit, non sine febrili commotione, & Germanis propterea audit *das Milch-Fieber*. Quod si igitur lochialis sanguinis exitus per stricturas uteri spasticas impeditur, non modo in ipso utero periculosam inflammatoriam Aasin concitat, sed & ordinarius ille sanguinis ab inferioribus ad superiora impetus, tam ratione vehementiæ, quam molis sanguinis validius increvit. Tum enim spasticæ, & dolorificæ in abdomine urgent stricturæ, sanguinis vel mucidi humoris ex utero fluxus restit, alvus clausa est, pedes frigidi, ad urinam stimulus, dolorosa mictio, caput rubet, tumet, oculi fulgent, nares nunquam guttulas quasdam stillant, animus est inquietus, somnus nullus, vel insomniis terrificis turbatus, ac gravia illa symptomata, respiratio difficillima, lipothymia, convulsiones & delirium phreneticum, de-

num subito sepius puerperis accidunt funesta.

§. VI.

quibus
solennis

Luculentis verbis hæc ita evenire testatur Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. §. 72. ita tradens: si inflammata fuerint puerperæ uteri, venter ardet, & magnus fit, & ad præcordia suffocatio habet, & uterus, ubi puerperis purgamenta intus manserunt a frigore, occulte distenditur. Nec non lib. 2. de morb. mulier. p. m. 489. si, inquiens, ignis sacer in uteris sit, etiam pectus id percipit, venter intumescit, perfrigeratur, febris habet magna, & rigor supervenit, & spiritus densus, & animi deliquium, & debilitas, & dolor totius corporis; & tristatur, & mente variatur, & affectio ascendit ex inferno ventre ad lumbos, & ad dorsum, & præcordia, & pectora, & collum, caput & stomachum, & mortua esse videtur. Experientia autem teste, feminæ teneræ, exquisitioris sensus, in vehementes animi commotiones pronæ, pathematibus spasmodicis & flatulentis obnoxix, mensium inordinato successu affectæ, alvi adstrictioris, si gravidæ sunt, post partum quam facile in loquiorum suppressionem cum febre uteri acuta incidunt, non sine summo vitæ discrimine. Interdum etiam inflammatio uteri nascitur, a secundinarum vel totali, vel tantum quoad partem retentione. Hac enim resistente, non tantum sanguinis ex utero exclusio prohibetur, verum etiam succedens putredo febrem movet, vel si hæc jam adest, deteriore reddat.

§. VII.

Fr. spha-
celum
abit aut
ulcera-
tionem.

Jam sicuti in omni inflammatione, ille subsistens humor, si non discutitur, putrescit & in corruptionem transit, vel sphacelofam, vel ulcerofam; ita idem etiam accidit in ea, quæ uterum infestat. Quæ in sphacelum abit, brevi necat, & solennis maxime est puerperis, in quibus post sectionem uterus ut plurimum cum vagina durus, color is ex atro brunni depre-

henditur. Quæ autem suppuratur & ulceratur, diutius trahit, & accidit quam maxime extra puerperium. Patent inflammationi huic suppurationi & feminæ sanguineæ, mollioris & spongiosioris habitus, præsertim si fluori albo sanguinolento fuerint affectæ, isque adstringentibus intempestive cohibitus. Frequentius etiam eandem incurrunt, quæ impurum & crassum in venis alunt sanguinem, dictam insalubrem sectantur, fructibus horæis, duleibus & lacticiis indulgent, inferiora subinde refrigerant, corpore præsertim æstuante, quæ tristitia anguntur, veneris stimulos concubitu obtundere impediuntur, suetam sanguinis missionem intermittunt, aut seniores quietam & ærumnosam vitam ducunt. Ac in his quidem frequentior est inflammatio in collo & orificio interno, quod ex multis fibris nerveis spiraliter est contextum, quam in ipso fundo, eaque propter dolor acerbis & ardens est in pube cum mixtu difficili. Signa autem abscessus uteri sic in compendio Hippocrates lib. 1. de morb. mulier. exhibet: si, ait, uteri fuerint ulcerati, sanguis & pus purgatur, & fætor gravis oboritur, & dolor acutus corripit lumbos ac inguina & imum ventrem, & dolor sursum procedit ad laterum mollitudinem, costas & scapulas, aliquando etiam ad claviculas pervenit, & caput vehementer dolet deliratque, processu vero temporis intumescit, & debilitas ipsum corripit, & animi deliquium, & febris tenuis, & perfrigeratio, intumescunt autem maxime crura. Morbus autem corripit ex abortu, si qua corrupto humore ac putrescente intus non fuerit expurgatus, & calor totum corpus tenet. Corripit etiam ex fluxibus, si in ipsis acris fuerint, & biliosa mordeant. Sed plerumque ulcus uteri tandem etiam in gangrænam & sphacelum abit ac interficit. Interdum tamen accidit, ut apostema in utero prognatum interne rumpatur, & copiose effluat sanies alba minime

foetida & ægra evadat, qua de re legi-
meretur *Forestus lib. XXVIII. obs.*
XLIV. pag. 693.

S. VIII.

*Necnon
in can-
cerum in-
sanabi-
lem.*

Quod si autem exterior uteri pars
inflammata, ob frigus externum,
quam facile abit in scirrhum, qui ul-
ceratus, cancer uteri recte dicitur, ac
est insanabilis. Neque adeo infrequens
est, glandulas copiosiores circa collum
uteri, & maxime orificium ejus inter-
num confidentes, mutari in scirrhum,
tandemque abire in inflammationem
ulcerosam, quæ, haud secus ac cancer
exulceratus, medicationem admittit
plane nullam. Recentiores quidem pa-
rum hanc uteri affectionem nota-
runt; ego vero aliquoties observavi,
eadem omnino ratione, iisdemque
symptomatibus, ac pridem jam exacte
prodidit *Aræus lib. 2. cap. 67.* ita per-
hibens: *caneri in utero, partim cum,*
partim sine ulceratione sunt, tumor re-
peritur circa uteri osculum durus, inæ-
qualis, præeminens, colore seculentus,
rubicundus, quandoque etiam sublivir-
idus, & dolent vehementer inguina ad
supernum ventrem & pectinem ac lum-
bos, ægreque ferunt contactum & va-
riegatorem medicationem. Si vero ul-
ceratus est cancer, ad dolores, durities,
& tumorem, erosa etiam & inæqualia
ulcera conspiciuntur, plerumque qui-
dem sordida oris tumida albicantia,
turpes crustas indutas habentia. Que
vero pura videntur, seculenta, livida,
rubicunda & cruenta apparent. Excer-
nitur autem assidue ab ipso sanies te-
nuis, aquosa, nigra, aut fulva, graveo-
lens, aliquando etiam sanguis fertur, &
alia signa ad inflammatum uterum re-
lata. Affectio igitur ipsa incurabilis est,
veluti alicubi etiam dixit Hippocra-
tes, mitigare tamen oportet, per infusus
ex sænu græco, malva & per cataplas-
mata similia.

Curatio.

S. I.

Uteri inflammatio, quum nunquam

frequentius occurrat, quam in puer-
peris, & post abortum, dum vel ab
improvida obstetricum in partu diffi-
cili tractatione & contrestatione vio-
lenta, vel a violento nisu sub partus
laboribus, sanguinem præsertim im-
purum ad uterum pellente, vel a lo-
chiorum per dolores & spasmos hyste-
ricos, terrorem, aut refrigerationem
fluxu impedito, inducitur; necessa-
rium omnino est, ad præsertionem
æque ac curationem, ut Medicus om-
nes has causas probe noscat, atque
discernat. Quia autem facilius longe
est periculosum hunc morbum immi-
nentem arcere, quam præsentem per-
sanare; hinc medens etiam primo
omnium eo eniti debet, ut eundem
tempestive præscindat, ejusque in-
cursum avertat.

S. II.

Jam missis illis læsionibus, quæ ab
externis & violentis causis inducun-
tur, frequentissimum in artis exerci-
tio est, inflammatoriam hanc febrem,
post partum, ob excretionem sangui-
nis lochialis vel plane deficientem,
vel non sufficientem induci. Quare id
inprimis agendum artifice, ut conse-
cto partu, primis statim diebus lochia
rite secedant. Quod ut ex voto perfici-
atur, ad causas fluxus lochialis in-
tercepti removendas medicatio perite
dirigenda. Notum autem est, sub diutur-
nis & gravioribus partus laboribus, tã
vehementem fieri partium, & solidarum,
& fluidarum, commotionem
& exagitationem, ut quisque ex pul-
sum celeritate, totius corporis ardore,
siti & inquietudine vix aliter
judicare possit, quam adesse febrem,
sub quo impetu parum etiam vel ni-
hil recrementorum putridorum &
cruentorum utero effertur. Igitur o-
pera danda, ut impetuosus hic post
partum motus placide componatur.
Fit hoc commodissime, si puerperæ
in quiete & temperato regimine dia-
phoretico servantur, iisdemque dili-
gentia ac blande æstum sedantia pro-
pinantur. Quia tamen sub partu,
qui

*Curatio
& præ-
serva-
tio cau-
sis ac-
commo-
danda.*

*Post
partum
spasmi
rela-
tandis.*

qui nonnisi stricturis spasticis & convulsivis ex spinali medulla absolvitur, per consensum spasmī & dolorificæ stricturæ ad intestina transeunt, quæ superato partu adhuc aliquamdiu persistunt, atque etiam eandem ob consensionem uteri fibras musculosas & nerveas stringendo, liberum sanguinis cursum præcludunt; merito etiam curandum, ut eadem sedentur placide. Hunc in finem utilis pulvis, ex pulveris Marchionis, lapidum cancrorum ana drachma, antimonii diaphoretici drachma dimidia, natri puri granis 16. cujus quarta pars pro dosi, adjectis nonnunquam, si spasmī hysterici simul impensus urgent, granis sex, vel quatuor pulveris castorei, cum aqua flosum chamomillæ vulgaris, destillata cum cerevisia triticea, sumenda. Conducit quoque oleum amygdalarum dulcium, ex recentibus, sine igne paratum, quod vel solum, vel cum quarta parte spermatis ceti remixtum, quotidie ad unam vel dimidiam unciam, cum jussulo pulli gallinacei, aut decocto avenaceo, usurpandum. Externe vero totum abdomen inungendum oleo ex anethini, chamæmelini & liliorum alborum ana uncia, olei carvi drachmis duabus, vel camphoræ drachma, superposita mappula complicata calefacta.

§. III.

*Lochia
promovenda.*

Composito sic tumultu, ad promovendum lochiorum fluxum, vix præstabilius huc usque innotuit remedium, quam pilularum massa, quæ ad imitationem *Becheri*, ex amaris extractis, gummatibus resinosis temperatis, & aloe probe correctæ concinnata est. Secundo igitur statim die, ceteris paribus, quindecim grana pilulari forma, mane, vel vespere exhibeantur, & pro circumstantiarum ratione, per quinque vel octo dies continuentur. Est enim hoc evacuans elementum maxime & accommodum. Nam roborando, tam intestinorum, quam ipsius uteri, per extensionem nimiam robore exuti, tonum, blan-

de simul stimulando, imum ventrem ac intestina a fordibus, ipsum quoque uterum a stagnante corrupto sanguine repurgat, eoque quam optime & inflammationem, & febrem, aliaque sæva a recrementis retentis oriunda pathemata, arcet. Quin eadem hæc curandi ratio apprime ex usu est, quando secundina, vel ipsius pars, aut aliud quoddam exturbandum concretum in utero restitat.

§. IV.

Quod si tamen medentis scopus hic expediri nequit, sed febris impetit assidua, venter flatibus attollitur, uteri purgamenta retinentur, & spasmī ad superiora vergunt infesti, alia ineunda est medenti via. Scilicet sanguinis copia, sub graviditate iusto plus accumulata, minuenda per venæ sectionem, non in superioribus, sed pede institutam. Sæpe enim a nimia vasorum distensione fiunt spasmī, & sanguinis exsuperans moles uteri compagem nimium distendendo, ejusdem systolicam & expulsi-
*In febre
sanguis
mittendus.*

vam potentiam minuit ac impedit. Hinc venæ sectionis remedium omnino maximi, ad promovendum fluxum & inflammationem arcendam, est usus. Quod sicuti in Gallia hunc in finem frequentius quam par est adhibetur; ita perperam in nostra Germania rejicitur, ut plures inflammatoria uteri febre correptæ pereant, quæ tempestiva sanguinis missione potuissent servari.

§. V.

Præter venæ sectionem, ubi jam præsens est inflammatoria febris, id quam maxime agendum, ut sanguis stagnans in motum cieatur, humores spissi fluxiles reddantur, & stasis discutiat. Quod ut obtineatur, conducit mixtura hæc: recipe aquæ charæfolii, cardui benedicti, scordii, flos-
*Es sanguis
stagnans
discutendus.*

rum sambuci, acaciæ, aceti destillati ana unciam unam semis, lapidum cancrorum drachmam unam semis, antimonii diaphoretici, vel bezoar-
zincus

riti & nitri dulcis sive liquoris anodynii mineralis guttas 20. syrupi cardui bened. drachmas duas, M. de qua binis quibusvis horis, duo vel tria cochlearia porrigenda. Tum etiam pro potu exhibeatur tenue jusculum ex pullo gallinaceo, cum radice scorzonerae, cichorei & rasura cornu cervi confectum, addito ad gratiam succo pomorum aurantiorum. Præbeatur quoque tubinde infusum theiforme ex herba veronicae, scabiosae, sonchi, floribus hormini, chamomillæ vulgaris, semine fœniculi. Nec omittantur pulveres temperantes ac resolventes, ex lapidibus cancrorum, solutione oculorum cancri, nitro & sale polichresto compositi. Quales præterea Becherianis, vel ad harum exemplar paratis pilulis, ad lochialem fluxum promovendum & sanguinis a capite impetum divertendum, commode interponuntur. Sint demum in usu clysteres ex sero lactis dulci, vel decocto florum chamomillæ vulgaris, herbæ artemisiæ, salviæ, hormini, mercurialis, addito melle, nitro & pinguedine gallinarum.

§. VI.

Extra
puerperium
utendū
externis.

Quando vero extra puerperium in corporibus impuris variis ex causis accidit inflammatio uteri, non tam in fundo, quam potius in collo, cervicæ, atque vagina, præter jam memorata interna, simul in auxilium vocanda præsidia externa, epithemata scilicet pubis regioni admota, injectiones uterinæ ex accommodis paratæ, nec non pessi, item ob loci vicinitatem suppositoria in anum trusa. Epithema egregium est, quod ex aquæ sic dictæ d'arqueboulade, (quæ non nisi vinum Rhenanum ab herbis vulnerariis in balneo maris ad siccitatem abstractum,) unciis quatuor, essentia croci, spiritus vini camphorati ana unciis duabus, nitri in aqua florum sambuci soluti, drachma, paratur, ac pro circumstantiarum ratione cum aceto rutaceo, aut scordii remixtum, linteis duplicatis sæpius applicatur.

Ad injectionem vero commendo solum lac, vel asininum, vel muliebre, cum floribus sambuci, myrrha & croco, adjecto nitro decoctum. Molestissimum demum hujus passionis symptoma tenesmus, præter infusus emollientes, egregie lenit oleum amygdalarum dulcium, vel mucilago seminis psyllii, aut fœnu græci, ad uncias duas, cum duodecim extracti croci granis ano injecta. Et eadem hæc remedia semper etiam ex usu sunt, quando inflammatio abiit in suppurationem.

§. VII.

Porro non adeo infrequens est, ex *Quibus medendum si ex fluxu albo.* fluore albo diuturno, præsertim si simul sanguinolentus, male tractato, vel imprudenter cohibito uterum ejusque partes tumore affici cum dolore, & febre inflammatoria, immo in suppurationem abire & exulcerationem. Tum vero cura admodum perplexa est atque difficilis, inprimis, quando fluor non e glandulis externis, sed interna uteri substantia venit. Ego, si passio chronica, nil præstabilius novi, quam usum thermarum Emsensium, & Carolinarum mitiorum, quippe quæ humores subsistentes efficaciter dissolvunt partemque affectam simul roborant. Sed cavendum a balneis adstringentibus, ipsi etiam Carolinis fortioribus, quæ propter terram calcaream & martialem, adstringente & repellente virtute polent. Infusus vero ex herbis uterinis & aromaticis, cum aqua dulci decoctis profunt utique. Sic laxatis ductibus, & humoribus dilutis, cum fructu postea pilulæ dantur Becherianæ, quæ inter specifica uterina locum tuentur præcipuum. Nec rejicienda videtur Hippocratis hæc uteri ulcus curandi methodus, quam lib. 1. de morb. mul. §. 88. sic tradit: si hic morbus incidit, multa calida lavato & tepesactoria adhibeto, qua parte fuerit dolor. Et si quidem superne fuerint dolores, & mulier fortis est, totam so- mentato, & pharmacum deorsum purgans.

gans bibendum dato, & ubi tempus anni fuerit, serum coctum insuper bibendum prabeto, per dies quinque, si id facere poterit. Si vero non adsuerit serum, lac asinum coquito, & per dies tres, aut quatuor bibendum dato. Post lactis autem potum, cum aquis ipsam reficito & cum cibis commodis, carnis ovillis, teneris recentibus, & volucrum, & beta, & cucurbita. Abstineat autem a salsis, & acerbis, & marinis omnibus ac caprinis. Et certe lactis serum & asinum lac egregie proficit, non modo ad obtundendam humorum acrimoniam, sed & contemperandum calorem hecticum, qui aegros graviter ut plurimum urit.

§. VIII.

Inflam-
matio-
nis a
causa
externa
medica-
tio.

Quæ demum a violentia externa inducitur uteri inflammatio, cum febre, dolore inguinum, mejendi difficultate, & spasmis in remotis etiam partibus, nec non alvi adstrictione, poscit quam maxime venæsectionem, non modo maturam, sed & repetitam, primo in brachio, ac dein in pede institutam. Opus in hac etiam, ut alvus subducatur clystere, in uterinis morbis nunquam non singularis plane utilitatis. Et exterius imponendum emplastrum ex emplatri de meliloto uncis duabus, spermatis ceti uncia dimidia, gummi ammoniaci drachmis duabus, croci drachma, camphoræ drachma dimidia. Non omittis internis blandis diaphoreticis, & discutientibus.

Cautela & Observationes
clinica.

§. I.

Preser-
vatio.

Quum puerperæ plurimæ in puerperio ex febre inflammatoria uterina moriantur, præsertim si multum sanguinis crassi & impuri in venis alant; hinc optimum certe ad præscribendas capitales ejusmodi affectiones est consilium, quando gravidæ partim salubri diætæ & vitæ regimine, partim

etiam aptis & congruis præfidiis, tam solidas, quam fluidas partes, in debita temperie, quantitate, & motu æquilibrio servare student. Nam qualis natura ægotantium, etiam puerperarum, talis etiam est viæ medicatrix, pugna adversus morbum, quin ipsa medicatio, in qua omnino plus præstat natura, quam ipsius ministrars. Igitur ad antevertendum hoc malum quam maxime necessarium est, ut tempore graviditatis sanitati consulatur tam opportunis sanguinis missionibus, quam debitis laxationibus, per rhabarbarina potissimum, ut etiam gravidæ modicam & laudabilem diætam sectentur, animi temperantiæ studeant, & potus diluentes perspirationem simul sustinentes bibant. Deinceps quum haud raro inflammati in puerperis uteri causam præbeat potus nimius calidorum & spirituosorum, vini aromatici, crocati &c. ad partum facilitandum datus, præsertim in sanguineis, & quæ non ultimis mensibus sanguinem miserunt: serio omnino monendæ sunt & obstetrices, & uterum gerentes, ut ab ejusmodi sanguinem exagitantibus remediis abstineant, ac potius venæsectione in pede, item balneis, novissime ante partum duabus vel tribus hebdomadibus, rite usurpatis liberiores sanguinis per uterum commeatum, & facilem post partum effluxum procurent.

§. II.

In nullo morbo tam infensa & perniciosa animi commotio, per terrorem potissimum ac iram, quam in uteri inflammatorio. Nunquam etiam nocentior abdominis & inguinum perfrigeratio, quam post abortum & partum. Puerperæ enim, ob continui quæ ipsis accidit solutionem, fibrarum & vasorum dilacerationem, humorumque extravasationem, haud aliter sunt considerandæ, quam graviter vulneratæ. Quam facile autem diætæ causæ læsis & vulneratis partibus, adeoque etiam utero, inflammatio

nem

Omissenda

nem inferre queant, res est nota etiam in vulgus. Quare, ut puerperæ, nec non quæ labem in utero gerunt, solcite sibi ab his caveant, iterum inculcamus iterumque.

§. III.

*Cautela
de pellē-
sibus.*

Ad emovendum lochiorum fluxum subsistentem, nunquam danda pellen-
tia fortiora, crocata, myrrhata, suc-
cinata, aloetica, vel calida aromati-
ca, nec non salina stimulantia, tan-
to minus, si mox post partum adhuc
præsto est motuum impetus. Hæc
enim febrem magis accendunt, spas-
mum intendunt, sanguinem in lati-
bulis uteri hærentem, humido ab-
sumto, plus densant & ad effluxum
reddunt ineptum, vias quoque &
emunctoria magis siccant atque occlu-
dunt. Sed quando spasmus laxari, do-
lores remittere, viæ patescere inci-
piunt, & sanguis ex utero ferri, tum
dum moderate pellen-
tia, & toni-
ca propinare expedit. Inter quæ solu-
tio succini, myrrhæ, rhabarbari,
croci, non cum spiritu vini, sed aqueo
lixivioso menstruo parata, nec non
aqua melissæ, aut artemissæ leviter
spirituosa, qualis est, quæ cum cerevi-
sia triticea destillatur, omnibus pal-
mam præripiunt fere, si crebris &
parcis dosibus offerantur.

§. IV.

*Venæse-
ctione.*

Ex præcipuis etiam lochiorum fluxum revocantibus auxiliis est venæse-
ctio. Nec deterreri se patiatur artifex
symptomatum gravitate, neq; etiam
ipsa purpura efflorescente, sed confi-
denter admittat, si indicationes ad-
sunt, uti jam pluribus superius Sect. I.
cap. 9. de febre purpurata obs. 6. pag.
118. monui. Quando autem provida,
ut ita loquar, natura, cessantem aut
insufficientem lochiorum evacuatio-
nem liberali sudore, aut alvi fluxu
compensat, abstinendum ab iis, quæ
lochiiis proritandis alias servantur.

§. V.

*Ulceræ-
tionis
medica-
tio.*

Quando autem humor ex utero fer-
tur viscidus, flavus & sanguinolentus, haud obscurum præbet indicium

laxæ uterinæ substantiæ & imminen-
tis inflammationis atque ulcerationis.
Ad hanc igitur arcendam, vel si jam
præsens est, persanandam, tuta quam
maxime est ac necessaria crebrior pur-
gatio ex rhabarbaro, tamarindis &
manna, quæ frequenter iteranda est,
quo vitiosi ab utero humores diver-
tantur. Tanti enim hæc ad curatio-
nem est momenti, ut *Forestus lib. 29.
obs. 48.* fidem faciat, quandam Am-
stelodamensem nobilem matronam
ab ulcere uteri sanitati reddidisse, cui
dederat de quarto in quartum diem
uncias quinque decocti sennæ, epi-
thymi, rosarum rubrarum, myroba-
lanorum Indorum, saccharo dulco-
rati, & abstergentia decocta in uterum
injicere iusserat. Si ulcus adhuc curan-
dum est, post lenes aliquot dierum
purgationes, decoctum ex santalo,
lentisco, sarsaparilla, mentha, epi-
thymo, radice liquiritiæ & ligno
Rhodio, per viginti quinque dies cum
regimine sudorifero bibitur cum fru-
ctu, qua de re pluribus consuli potest
Sylvaticus Cent. IV. obs. 68.

§. VI.

Ulcus uteri cancri ulcerati naturam *Cancvi
auxilia*
æmulatur, tumque sanies putrida &
lacinia corruptæ uterinæ substantiæ
cum magno foetore, summo dolore,
gravibulq; symptomatibus prodeunt,
& malum fere est incurabile. Quic-
quid autem agendum, nonnisi de-
mulcentibus & lenientibus perficien-
dum. Si spes sanationis adhuc super-
est, ego quidem habeo quod laudem
potum lactis, potissimum asinini, nec
non usum temperatarum mineralium
aquarum, Wildungensium maxime,
vel Selteranarum, interposito mane
& vesperi balneo aque dulcis cum fur-
furibus triticeis, in quo per horam &
longius desidendum. Vicissim absti-
nendum ab omnibus acris internis
& stimulantibus calidis. Caute etiam
in uteri abscessu ac ulcere adstringen-
tibus & repellentibus utendum, quia
iisdem facile scirrhus inducitur. Opti-
mæ injectiones ex lacte caprillo, cro-
co

eo & aqua florum sambuci. Hippocrates brassicæ usum commendat, sed præstat betæ rubræ succus, crebrius calide injectus.

§. VII.

Dolores
comple-
candi.

Immanis sæpe dolor exulcerato uteri cancro jungitur, qui vires penitus pessundat, omnemque somnum adimit. Ad hunc leniendum optimum solatium in anodynis, cujus generis sunt extractum croci & papaveris, massa pilularum de styrace, de cynoglossa, Wildegansii, Matthiæ, Starckii. Notabilis enim hanc in rem Riverii Prax. c. 10. pag. 332. locus: hæc tamen omnia, inquietis, aliquando non sufficiunt ad immanissimum dolorem placandum, qui interdum nullum quieti & somno relinquit locum. Unde cogitur non raro ad narcotica recurrere, quæ in hoc affectu propter intensum humorum fervorem minus nocent. Et vidimus nos mulierem, cancro in mamma laborantem, quæ singulis noctibus, per quatuor menses, laudani grana duo, vel tria innoxie, cum magno solatio sumebat.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Uteri la-
tes ex
hemor-
rhagia
cohibita.

Laborarat per aliquot menses largo sanguinis ex utero profluvio foemina sexaginta sex annorum, cholericæ, macilenta & in iram prona, multos in consilium adsciverat medicos, & variis etiam usæ fuerat medicamentis, sed incassum. Tandem accedens junior quidam medicus practicus, suavit ex-terna, partim calida & acria, partim adstringentia & aluminosa. His fluxus quidem cohibitus, sed dolores oborti atrocissimi, ac brevi post loco sanguinis materia saniosa foetidissima effluxit, accessit lenta febris, corporis tabes, summaque imbecillitas. Notabile in primis fuit, quod ægra, quando aliquid de pilulis Anglicanis Matthiæ, quas etiam Starckianas vocant, deglutivit, doloris intolerandi senserit ali-

quod lenimen, hoc autem omisso, illico recruderint tormina acerbiora. Semper etiam aliquid materiæ foetidæ ex utero secessit, hac autem retenta, accesserunt protinus borborygmi in abdomine, spasmi flatulenti, hysterica pathemata, cardialgia & circa præcordia anxietates. Sic ægra per biennium miseram traduxit vitam, ac demum macie & febre confecta fatis cessit.

Epicrisis.

Imprudens medicationis hæmorrhagiæ uteri hoc est exemplum. Nunquam enim sanguinis profluvium, ubicunque fiat, siue internis, siue externis sistendum, sed potius roborantia cum discutientibus mixta exterius, si interna non succederint, parti affectæ laboranti sunt admovenda. Si secus sit, & stiptica constringentia in usum vocantur, aliter fieri nequit, quam ut sanguis in coagulum abeat, in vasis subsistat, ipsamque uteri substantiam labe inficiat. Anodynis autem dolores quidem tantisper sopiti, sed non in totum sublatis, quia putridæ corruptioni auferendæ non fuerunt idonea. Et quod ab impeditiori materiæ saniosæ effluxu pathemata hysterica oborta, argumento est, non tantum a sanguinis & humorum copia atque stagnatione, verum etiam a materia acri caustica, fibras uterinas irritante, pathemata ejusmodi spasmodico-hysterica suscitari posse.

OBSERVATIO II.

Fœmina quadragenaria, sanguinea, plethorica, quarto mense gravida, suavit mariti, ut vegetior esset, & insantem quoque robustum ac sanum ederet, sumit pulverem Monckii, Ramoneur dictum, qui nihil aliud est, quam antimonii regulus cum nitro in calcemustus. Successit autem effectus oppido infelix, ut plus quam vigesies vomeret, miramque experiretur debilitatem. Ex eo pessime semper habuit & post

Inflam-
matio
suppu-
rata u-
teri post
abortum.

& post quatuordecim dies accidit abortus, quem præcessit dolor in inguine atrocissimus, & sub ipso cum lochiis fecit materia gravolens. Passio abortu, perpetuos & fixos in abdomine ac inguine dolores experta est, pulsus semper fuit celer, interdum animi quandam defectionem incurrit, interdum etiam tussi & articularum dolore divexata. His symptomatibus per aliquot menses graviter detenta, nacta est tumorem in abdomine, cum dolore lancinatorio jugi & alvi fluxu torminoso. Sequuta est summa corporis imbecillitas, viriumque prostratio, extremorum refrigeratio, spirandi difficultas & frequentius syncope, donec tandem inter hæc vitam poneret. Dissecto post mortem cadavere, ingens puris ex albo viridescens copia ad aliquot libras ex abdominis cavo profluxit. Intestina utero propinqua erant erosa, eorumque tunica comparuerunt quasi abraße. Uterus fuit spongiosus & ita ampliatus, ut in longitudine ad decem, & in latitudine ad octo transversos digitos accederet. In ipso lacunæ fuerunt multæ, pure repletæ, ex quibus ingens illa puris quantitas in abdomen fluxerat. In vasis sanguiferis majoribus, nullus repertus sanguis, sed omnis fere in puris abierat materiam.

Epicrisis.

Quam perniciofa gravidis sint emetica & quidem validiora, ex hoc casu patet luculenter. Quæ enim uterum gerunt, sunt fere semper plethorica, eaque propter fortiori illo nisu & pressione diaphragmatis, & musculorum abdominis sub vomitu, sanguis cum magno impetu in uteri vasa urgetur, ibique impactus, inducit inflammationem in ulcus transeuntem. Hinc igitur abortus & reliqua gravia pathemata duxerunt ortum. Non tamen dubitandum, quin partu abacto, gravissimum illud malum, uteri apostema, potuisset præscindi, si mature discutientia, resolventia & roborantia in auxilium

fuisse vocata. Pus autem ex utero effusum in abdominis cavum, tunicas intestinales arrosit ac erodit, unde abortus alvi fluxus, cum intensis abdominis torminibus.

OBSERVATIO III.

Elapso anno vocabar ad mulierem tertium supra quadagesimum ætatis annum agentem, sanguineo-cholericam, quæ misere decumbebat, conquesta potissimum de dolore in regione pubis pressorio & elisorio quasi atrocissimo, partus dolores longe superante, stipato cum tenesmo, dorsi tensione, ructibus, vomitibus & alvi strictura, somni appetitusque defectu. Inquirenti in morbi causam & originem, dixit: se ante octodecim annos ultimo laborioso admodum partu esse perfunctam, tam male simul ab obstetrice tractatam, ut vestigia digitorum impressa adhuc in pube gerat. Tum menses, antea semper largos & ordinatos, post puerperium primum cum dolore aliquo stillasse, servasse tamen periodum, postea & sufficienter etiam fluxisse. Ante sex autem annos se mensium tempore cecidisse in itinere in torrentem: inde mox constituisse fluxum, & sequuta multa & varia pathemata spastico-hysterica, quin post aliquot menses corpus intumuisse totum, cum colore plumbeo. Discussum tamen congruis remediis esse post aliquod tempus tumorem, & mensium fluxum etiam repetiisse, excreto multo coagulato crasso & quasi concreto sanguine, ac postea viscida alba & flava materia. Ex eo, quotiescumque mensium accesserit periodus, se per triduum acerbis in abdomine afflictam esse doloribus, tamdiu insistentibus, donec sanguis prodierit grumosos primum & crassus, dein tenuior, tum aqua sanguinolenta, ac demum materia viscida flava. Sic transiisse quatuor fere annos, & adhibitis interea variis medicamentis, maxime pilulis Stahlianis, cum pulvere salino temperante, Ipem valetudinis

*Cancer
uteri
lethalis*

nis melioris fuisse irritam, malum potius increvisse magis. Jam a binis mensibus & dolorem & fluxum sanguinis emanasse, nunc vero eo esse gravio-rem, & spasmos quasi convulsivos. Hęc audiens & atrociam pathemata videns, male statim ominari cepi, ac scirrhum aut aliud immedicabile uteri vitium subesse sum suspicatus. Interim alvum valide strictam elystere oleoso emolliente cum asa foetida subducere, interius pulverem temperantem cum nitro, cinnabari & castoreo, nec non liquorem meum anodynum mineralem dedi, & exterius parti dolenti admove- re jussi vesicam decocto emolliente plenam. His dolorum atrociam primum frangi est visa, & elapsi nonnulli san- guinis grumi, subsequente liquore san- guinolento. Sed post aliquot dies ve- hementia recruduerunt eadem, ut æ- gra lamentabili voce uterum extror- sum trahi violenter, & jam vaginę im- minere clamaret. Advocata obstetrix, quę orificium uteri apertum esse, ei- que durum quoddam corpus incumbere dixit. Data priora remedia, sed frustra. Parati infessus, momentaneum levamen afferentes, imposita exterius, ex muliercularum etiam consilio, varia carminativa, spirituosa & acria, in- cassum tamen, & accessit capitis dolor. Optimum fuit solatium ex pilulis, quę pilulas aleophanginas ac de styrace cum croco & cinnabari habebant. Sub his doloribus iterum aliquot sanguinis grumi & postea sanguis floridus par- cus exiit, stillante postea liquore cru- ento. Sic decubuit aliquamdiu, dolori- bus, modo gravius, si fluxus resistebat, modo mitius, si excretis sanguinis gru- mis quibusdam serum manabat san- guinolentum, afflicta, simul quoque tu- morem sensit durum in latere sinistro supra inguina. Adhibita interea pro circumstantiarum ratione varia, tan- dem impositum emplastrum efficacius discutiens atque resolvens, quo admo- to, fornicationis quendam in regio- ne tumoris percepit sensum, dolores mitiores affligerunt, & post triduum

primum iterum sanguis grumofus, tum tenuis & serum non cruentum, sed magis flavescens ichorofum, ac post aliquot dies materia crassa seba- cea flavescens profluxit. Secessit hæc materia aliquamdiu, ac ægra tolerabi- lius decubuit, usa interius, infuso ex herbis vulnerariis cum lacte, balsamo quoque ad imitationem balsami Lo- catelli parati, axungia canis cum her- bis traumaticis confecta & exterius in- jectionibus modo lenientibus, modo abstergentibus & balsamicis. Nihilo minus tamen latius serpsit labes inter- na, pus & sanies foetida, quin non nun- quam lacinia quasi corrupta carnis prodierunt, vires morbi diuturnitate sensim collapsa, corpus contabuit, ap- petitus periit, calor hecticus increvit, urina per octiduum suppressa cathete- re fuit evocanda, somnus intercidit, accessit demum mentis alienatio, quam triduo post excepit mors, elapsis inter hæc tribus mensibus.

Epicrisis

Plurimi certe sunt morbi, etiam ip- sius Hippocratis effato, qui ex utero prodeunt. Hic enim propter plane sin- gularem vasorum fibrarumque stru- cturam, dispositionem & situm, ita a sapientissimo opifice est fabricatus, ut non solum ad generationis nego- tium aptus sit, sed etiam, ut superflui & effæti in corpore muliebri humo- res serosi, nec nō ipse sincerus nimium exundans sanguis salutari plane modo & motu, per ipsum foras ejiciantur. Huic scopo maxime quadrat tanta vasorum sanguiferorum copia & ser- pentinus ac inflexus eorum progressus ac cursus, quo scilicet propter paulo tardio-rem & difficiliorem sanguinis & humorum per uterum transitum, eo melius inutilis, & superflui hu- moris fiat se- & excretio. Interim propter eundem hunc difficilem ac se- gnum humorum comitatum, non secus ac in hepate, multæ stases & sta- gnationes, & inde obstructions, indu-

rationes, extravasationes, scirrhostates, foetidissima morborum matricis, gignuntur. Quin imo quia in hoc viscere remora & obitaculum sæpe ponitur universo sanguinis libero & æquabili circulo, fit, ut in aliis partibus, propter majorem sanguinis motum & impetum, functiones sæpe totius corporis labascant, & vitium contrahant, ut in pathematibus sic dictis hystericeis clarum est ac manifestum. Multum itaque ad sanitatem mulierum refert, ut hæc pars salva, sarta & tecta omnibus modis & artificiiis conservetur. Parva enim ibi consistens labes magnas perturbationes efficere potest. Clarissime id videmus, quando sub partu laborioso atque difficili, præsertim ab imprudenti obstetricum tractatione, labes in parte quadam uteri contracta fuit, quæ sæpius facit, ut ab eo tempore nunquam recte convalescant puerperæ. Atque etiam ea est natura vitiorum, quæ utero longius insident, ut demum post multos annos pernicialem suum effectum prodant, uti quidem etiam ex nostra morbi historia liquet. Morbus autem quo laboravit nostra recte pro cancro uteri, qui ex scirrho demum ulcerato productus fuit, haberi debet. Sed uti ego nunquam exulceratum cancrum, cujusunque partis fuerit, medicamentorum ope curatum vidi: ita eo magis uteri cancer incurabilis est, quia minus commode externorum topicorum applicationem admittit. Neque etiam aliis symptomatibus incedit uteri cancer, neque alio modo interficit, quam febre succedente lenta, eodem modo ac is, qui in mammis consistit. Præter dolores quippe immanes & putridas foetidas varii coloris & consistentiæ emanantes lordes, cum sanguine sæpe mixtas, totius corporis languor, prostratio virium, hæcticus & consumens calor, somni defectus & animi deliquia accedentia, vitales tandem motus extinguunt. Providendum igitur cum cura, ac eo annitendum, quo apto consilio

ejusmodi atrox & funestum malum arceatur. Jam ego certe non aptius ad roboranda uteri vasa & sanguinis cursum liberum & salvum tuendum, adeoque ad omnis generis morbos inde propullulantes præcindendos, maximeque etiam ad hujusmodi scirrhostates valde suspectas amovendas, præstantius & certius novi auxilium, quam post abortum, vel post partum, utum laxantium balsamicorum, uti nostræ sunt & aliorum balsamicæ pilulæ, item balnea ex herbis roborantibus & nervinis, vel etiam potum aquarum mineralium cum accuratiori diætæ & vitæ regimine. Quare ut medicus hæc remediorum genera multum, imo plurimum ad averruncandas morbosas, quæ ex puerperio oriuntur, affectiones, commendata sibi habeat, serio inculco.

OBSERVATIO V.

Generosæ foemina triginta annorum, sanguine & succis plenæ, quum feliciter peperisset, & secundinæ etiam prodissent integræ, subsistit mox sanguis lochialis, ac tenuis tantum materia profluit ex utero. Hinc ad emovenda lochia, & a medicis, & a mulierculis, multa calida & pellentia exhibita fuerant medicamenta. Sed frustra, spasmi enim ac dolores imi ventris, quin tertio die febris acuta & continua accesserunt & egram in magnum discrimen adduxerunt. Petito a me consilio, suasi, ut primo omnium vena pertunderetur in pede, ac clyster postea molliens injiceretur. Factum utrumque, & dolores mitigati, febris tamen cum pulsu duro & celeri persistit. Quum vero septimo die sudor erumperet & quatrinduum ex universo corpore manaret tam largus, ut lectus & linteamina aliquoties mutanda, vires quidem multum dejectæ, sed febris cum omnibus aliis symptomatibus sublata. Hinc sub sudore juscula tantum pullorum cum succo citri data, post eum vires analepticis, tam

*Febris
uterina
sudore
soluta.*

tam pharmaceuticis, quam diæticis refectæ, & sic sanitas rediit perfecta, ad quam confirmandam, elapsis quatuordecim diebus, uterum infuso laxante rhabarbarino, cum aliis congruis nupto, expurgare consului.

Epicrisis.

Notatu dignus ob id hic est casus, quod fere plane defecerit lochiorum fluxus, puerpera tamen servata. Ego vero notavi, difficiliorem semper esse lochiorum effluxum in fœminis, quæ vasa gerunt exilia, & habitum corporis spongiosum. Sunt tamen hæc proniores in sudorem. Hæc provido naturæ instituto factum est, ut febris cesserit in medicinam, cujus beneficio stagnantes in vasculosa uteri compage humores sanguinei, ut in aliis inflammatoriis febribus, resoluti atque discussi, simul etiam corpus per liberalem sudorem a superfluis humoribus repurgatum saluberrime. Nam recte scribit *Celsus li. 8. cap. 8. medicamentum sacri ignis fortissimum est febris, quæ humorem noxium absorbit.* Ita sæpius natura compensare solet defectum excretionis cuiusdam in certa parte, per eouberiorum in alio emunctorio succedentem. Igitur cautelæ loco servetur, nunquam invita natura, vi quadam urgentes esse & movendas excretiones.

OBSERVATIO V.

Febris uterina sine venæ sectione sanata.

Honestæ femina, tenera & macilentæ corpore, animo alacris, vigesimo secundo ætatis anno, feliciter enitebatur filiolum, altero statim die, post admissam ultimam venæ sectionem. Post partum parcius secesserunt lochia, graves in abdomine, dorso & inguinibus oborti dolores, quinto die accessit vehemens febris, cum inquietudine, præcordiorum anxietate, insomniis, magna impatientia & interveniente subinde delirio. Datum de venæ sectione consilium, sed quia haud ita pridem administrata, admittere noluit. Hinc ob alvum adstrictam injectus clyster emolliens, ex decocto a-

Tom. IV.

venaceo, cum floribus chamomillæ vulgaris, herba & floribus hormini, oleo chamomillæ cocto, addito nitro. Data postea quotidie, bis, vel ter, cum tenui iusculo dosis pulveris huius: recipe solutionis oculorum canceri, salis polychrestii, nitri puri, lapidum cancerorum ana drachmam. M. dividatur in XII. partes æquales. Circa noctem deglutitæ viginti pilularum harum & recipe pilularum marocostinarum drachmam, extracti rhabarbari scrupulum, extracti croci, castorei ana grana sex. M. f. pilulæ ex scrupulo uno no. 20. Hæc per quinque dies usurpatis, alvus soluta, & aliquot sedes quotidie motæ, nono quoque die fluxus humoris putridi & sanguinolenti ex utero adauditus, & successive ægra sanitati redita.

Epicrisis.

Quando natura ex variis, sæpe occultis causis, corruptum sanguinem & humorem ex utero vel plane non, vel insufficienter, post partum emovet, ac inde imminet periculum; medicus, si non per ordinarias vias potest, per alia congrua emunctoria, noxium expurgare debet humorem. Sed quia febris adest, minus tuta sunt evacuantia, præsertim per alvum. Hinc lenienda tantum hæc, quod optime fit per clysteres atque nitrosa. Stagnantes dein humores resolvendi, quem in finem utilissimus fuit pulvis ille ex neutris salibus, innocentis & tamen præstantissimæ virtutis. Demum tentanda lenior alvi stimulatio, per innoxia etiam & clementia balsamica laxantia. Quod si ex voto succedit & vires decumbentis respondent, aliquamdiu est continuandum. Tutius enim semper est puerperas purgare per alvum, quam sudorem. Quam in rem peculiarem laudem sibi vindicant pilulæ Becherianæ, vel ad earum exemplar paratæ correctæ, quæ certe in mulierum morbis, præsertim qui in puerperio accidunt, leni evacuante & simul roborante virtute, omnia reliqua antecellunt, si perite &

S cum

cum aliis congruis in usum vocantur.

OBSERVATIO VI.

Febris uterina secunda & lochiis recentis sanata. Fœmina acutioris sensus, macilentæ ac teneræ, viginti octo annos nata, pathematibus hypochondriaco-hystericiis obnoxia, & aliquoties abortum passa, pepererat novissime filiolum laborioso admodum ad tres dies extracto partu, post quem nec secundina eliminata, nec lochia evacuata. Sequenti hinc dolores abdominis totius, præsertim sinistri lateris, cum febre, vomitu, dyspnœa, inquietudine & cardialgia. Ego in consilium vocatus, tertio post partum die fecare iussi venam pedis, ad uncias minimum quinque, & injicere ex sola aqua pluviali tepida, cum una drachma pilularum Becherianarum, mellis cochleari, adjectis duabus olei chamomillæ costæ unciiis, & dimidia falis Ebshamensis. Sic alvus bis subducta, & cardialgici dolores cum vomitu depulsi. Ad æstum autem extinguendum pulveres nitrosi dati, & ad mulcendos dolores, sperma ceti cum extracto croci in jussculo avenaceo. Septimo die quum æstus defervesceret, lochialem fluxum per usum pilularum nostrarum balsamicarum, item sale aperitivo ex lapidibus cancrorum, terra foliata tartari & sale polychresto, nec non infuso theiformi ex melissa, pulegio, floribus cheiri, calendulæ & chamomillæ promoveri studui. Quibus male olens sanguinolentus humor eputrefacta secundina, quin integra hujus frustula excreta, & ægra præter omnium spem, intra tres hebdomades, sensim sanitati reddita. Quinta demum puerperii hebdomade infusum laxativum roborans uterinum, ex radice vincetoxici, pimpinellæ, rhabbaro, agarico trochiscato, semine levistici, herba melissa, floribus salvia, foliis fennæ sine stipitibus, passulis & tartaro crudo, ad aliquot dies bibendum obtulimus.

Epicrisis.

Fœminæ, quæ spasmodicis hypochondriaco-hystericiis & flatulentis passionibus obnoxia, sensibilibioris ut plurimum naturæ, difficulter pariunt, & gravius quoque in puerperio egrotant. Spasmi enim, ad quos naturæ jam dispositæ, non modo debitum sanguinis lochialis effluxum, sed & secundinarum exclusionem sæpe intercipiunt. Quin, dum per spasmos sanguis motu inverso ad superiora, caput, pectus & stomachum urgetur, accidunt illa symptomata gravia, dolor sinistri lateris in stomacho & coli flexura, cardialgia & vomitus. Tum itaque præstabilis non suppetit auxilium, quam venæ sectio in inferioribus instituta, & alvi subductio, quibus sanguinis motus ad inferiora revocatur, simulque materia, quæ oneri naturæ est, ac fovet & sustentat sæva illa symptomata, expurgatur. Quum vero pilulæ balsmicæ ad secundinarum & lochiorum emotionem virtutis sint celebratissimæ, propter dolores tamen & vomituritionem ore assumi nequiverint, optimum, ut sæpius expertus sum, fuit consilium, easdem dissolvere, & cum clystere per os inferius injicere. Sedato postea motuum impetu ac æstu, ipsa natura sponte materiæ putridæ ex secundina corrupta egressum est molita. Quem ductum sequi & molimen secundare fuit ex usu. Non tamen prætereundum, post septimum diem, nostram affectam fuisse horripilatione quadam & frigore, intercurrente æstu, ac in situ erectiori lipothymia, quod procul dubio ab incipiente corruptione secundinæ accidit. Necessarium autem, sicuti in omni post puerperium morbo, sic etiam in hoc fuit, uterum cum primis viis, ultimis hebdomadibus, quando vires redeunt, convenientibus laxantibus & roborantibus expurgare, non neglectis, pro circumstantiarum ratione, balneis ex herbis nervinis ac uterinis.

OBSERVATIO VII.

Febris
uterina
repetita
venese-
ctione &
sudori-
fero cu-
rata.

Puerpera habitior, plethorica, expo-
suerat quinto post partum die corpus
auræ frigidiori, simulque gravi terrore
propter exortum incendium fuerat
perculsa. Mox inde male habuit, lo-
chiorum fluxus subsistit, dyspnœa ac-
cessit, dolor acutus sinistri lateris tho-
racis, cum tussi sicca, pulsu duro, celeri,
& præcordiorum anxietate. Data mix-
tura diaphoretica & discutiens & pō-
stera die secta in talo vena est. His re-
spiratio quidem facta liberior, sed flu-
xus lochialis non revocatus. Hinc ex-
hibitum crebro infusum theiforme ex
herba veronicæ, cardui benedicti, flori-
bus salviæ & radice liquiritiæ, reperi-
ta quoque mixtura modo laudata. Nil
tamen profectum, pulsus mansit celer,
dolor persistit, mox fuit inquieta, le-
viter etiam deliravit, & nares aliquot
guttas stillarunt. Quare quum sangui-
ne redundaret foramina, iterum in cu-
bito vena pertusa, & postea datus li-
quor anodynus, cum quarta tincturæ
bezoardicæ parte & grano camphoræ.
Quo sudor per universum corpus vi-
ginti quatuor horas effulse manavit,
post quem alvus clystere molliente
subducta est. Demum rursus prodie-
runt uteri purgamenta, & ægra ex-
incipiti est laxata.

Epicrisis.

Puerperis nil certe perniciosius,
quam frigus & terror. His enim spasti-
ca infertur strictura, sanguinis motus
ad caput & pectus convertitur, lochio-
rum fluxus sistitur, pedes frigent, alvus
stringitur, caput rubet & tumet, som-
nus fit turbulentus, delirium leve in-
greditur, ac nullo succurritur, aut phre-
nitis, aut lipothymia graves, mortis
prodromi, accidunt. Hoc si evenit, præ-
stantius non est remedium venæ se-
ctione, etiam reiterata, & clysteribus
lenientibus iterato, si necessitas urget,
injectionibus. Post sanguinem autem mis-

sum conducit efficax sudoriferum cum
regimine congruo datum. In hoc casu,
ubi spasmus & dolores symptomatum
causa, liquor meus anodynus, qui tutis-
simæ virtutis sedative, cum sudorifero,
uti spiritu cornu cervi succinato, aut
spiritu bezoardico *Bussii* datus, ad su-
dorem movendum, & motum humo-
rum exterius vertendum, opimum
fuit præsidium. Sola enim anodyna
non suffecissent, neque etiam sola su-
dorifera, sed ambo mixta & quasi ad
temperamentum reducta. Ratio vero,
quare frigus tam pernicialia in puerpe-
ris inducat pathemata, est acutus sen-
sus orificii ipsius uteri, quod ex multis
fibris nerveis & musculosis contextū,
& quo a spasmō gravius affecto, uni-
versa œconomia motuum salutarium,
tam secretoriorum, quam excretorio-
rum potest inverti. Nam vere scribit
Hippocrates lib. 2. epid. post partum os
uteri sæpe contorqueri, & dolorem
fieri juxta coxam & crus, sed secta tali
vena liberari. Quem in locum *Mercuri-
alis præl. Bonon.* commentatur hunc
in sensum: contorsionem uteri esse af-
fectum, in quos os uteri discedat a pro-
pria regione. Tandem in nostra etiam
commemorabile, quod secunda venæ
sectio in cubito plus effecerit, quam
prima in talo. Est tamen hoc non per-
petuum. Quod si enim lochia subsi-
stunt, præstat semper in inferioribus
sanguinem post pediluvium subtrahere.
Sed quando sanguis jam cum im-
petu ad caput delatus, ad arcendam
phrenitidem, satius est, in loco propin-
quiori impetum derivare. Mihi certe
aliquot innotuerunt exempla, ubi lo-
chiis subsistentibus, purpurata febris
oborta, cum gravissimis symptomati-
bus, lipothymiis, præcordiorum an-
xietatibus, mortem ipsam minitantibus,
quæ tamen misso in brachio & de-
rivato a corde & appensis ipsi majori-
bus tubis sanguine, mox per Dei gra-
tiam discussa.

OBSERVATIO VIII.

Uteri
stille-
dium
perpe-
tuum
cum
gravi-
bus sym-
ptomati-
bus.

Illustrissima persona triginta aliquot annorum, habitu corporis laxo & pleno, sanguinea, antehac optima valetudine usa, sed ab aliquot annis, ob prematurum conjugis discessum, impento mœrore aliisque crebris animi commotionibus affecta, multis quoque arduis negotiis distenta, minusque salubrem victum colens, ante quadriennium incidit in pectoris oppressionem, & spasticam ventriculi inflationem, quæ tamen interno & externo Carolinarum mitiorum usu abacta, ut postea belle valeret, & mensium quoque successus legitimus esset atque sufficiens. Anno autem abhinc, post superatam febrem continuam & perpeffos diuturnos catarrhos, primum turbari cœpit mensium fluxus, modo maturius, modo serius, semperque cum exquisitis ventris torminibus ac dorsi tensione prodire. Recruduerunt quoque pathemata spastica hypochondriaco-hysterica, & accessit stillicidium muci rubicundi ex utero perpetuum, cum virium languore, appetitu prostrato, somno turbato, & plumbeo corporis aspectu. Quin, quum nuncio aduerso admodum percelleretur instante mensium periodo, præter superiora pathemata, dolor acutus in hypogastrio obortus, ac si omnia ex imo ventre vi quadam deorsum urgerentur, secedente simul cum difficultate urina turbida feculenta, intermixtis mox cruoris lenti grumis, mox fibris & filamentis cruentis. Potissimum dolor acerbissimus compunctorius consedit fixus in hypogastrio, supra os pubis, in circumscripta regione, magnitudine dimidii uncialis, ex qua antrorsum ad vesicam, retrorsum ad sacrum os, inferius versus femora excurrit, superior autem venter flatibus fuit cum molestia obsessus. Interim ad hypochondriaco-hysterica pathemata & stomachi vitium tollenda ad Carolinas iterum tendit, iisdemque sub debi-

to regimine interius usa est atque exterius. Quibus ventriculi & intestinorum dispositio morbosa emendata, uteri autem vitium nec in deterius interea, nec melius mutatum. Idem potius persistit, & interjecto aliquo tempore, eo processit morbus, ut post spasmus in infernis, semper mox sanguis sincerus, nunc spissior, nunc crassior, mox concrementum quoddam coagulatum & quasi membranaceum secederet, difficultates tenesmodos sub mictione & cacaturitione essent perpetuæ, per alvum mucositates globosæ ac teretes, modo cum, modo sine excrementis, evacuantur, urina excreta turbida cum sedimento limoso, subroseo & cuticula carulescente pituitosa, pulsus maximam partem esset exilis, debilis ac frequens, corporis & faciei habitus pallidus admodum, extenuatus, appetitus inconstans, tussicula sicca, agrypnia propter dolores in hypogastrio exquisitos parum cessantes ferme habitualis, post pastum phlogoses affligerent, refrigerationes artuum sæpe recurrerent, vires collaberentur, & quandoque deficerent plane.

Epicrisis.

Ad oppugnandum gravem hunc morbum in consilium vocati Medici multi, & plures forsan quam expediebat, in diversum plane abeuntes. Aliqui enim calculum & nephritidem esse volebant, alii malum hypochondriacum, alii scorbutum, alii affectum hypochondriaco-spasticum hystericum, alii orgasmum furiosum. Ego vero, cum ordinario & celeberrimis binis Medicis censui, vesicam, uterum, & rectum intestinum arctius invicem connexa & in cavitate pelvis comprehensa, a sanguine, & succis stagnantibus esse infarcta, eorumque vasa & glandulas relaxata partim esse nimiumque distenta, partim læsa, plane erosa atque exulcerata, & hinc prodire illum fluxum uteri perpetuum, & pressorium illum etiam sub al-

vi & urinæ excretionem dolorem atrocem. Dedi etiam consilium, ut adhiberentur ea, quæ partes affectas a spasmis & inflammatione defendant; quæ nimium humorum affluxum ab iisdem avertant, easdemque tam interi-
us, quam exterius mulceant, roborent, atque consolident, pulveres scilicet temperantes nitrosos, pilulas balsamicas, infusa theiformia, ex melissa & millefolio, potum ordinarium Selteranarum cum quarta vini parte, epithemata & emplastra discutientia & roborantia, injectiones quoque in uterum circumspecte factas demulcentes & balsamicas, & postremo omnium saluberrimum lactis asinini potum aliquandiu continuatum, interposito subinde balneo tepido, ex aqua dulci cum lacte & fursuribus triticeis. Sed uti fieri assolet in principibus personis, ut multi medici perdant ipsas, ita heic etiam, & multa, & varia, quin nonnunquam incongrua plane, usurpata sunt remedia, & quod præcipuum est in longis ejusmodi vitis rejectum, diu continuatus accommodorum medicamentorum leniorum usus. Hinc sensim, uti comperi, in pejus ruit malum, pathemata magis adaucta, corpus plane contabuit, vires exhaustæ, & vix alius eventus sperandus, quam quem in simili fere casu supra *observatione 2.* accidisse meminimus.

OBSERVATIO IX.

*Febris
uterina
nimia
venese-
ctione
lethalis.*

Illustris scemina, triginta & trium annorum, sana & vegeta, post partum conquerebatur altero statim die de insigni ardore, dolore & tumore in interioribus vaginæ, a rudi contrectatione obstetricis colli uteri interni, inducto. Exacerbatis postea symptomatibus, accedente febrili æstu, & lochiis etiam non rite fluentibus, advocabatur Archiater. Is venam secare jussit in brachio. Quo quum nil levaminis accederet, sed præcordiorum anxietates, cordis palpitaciones & inquietudo intenderentur, alvus quoque cum pedum l

Tom. IV.

frigore stringeretur, decoctum manna-
tum cum castia dedit, & spatio septem dierum, sexies misit, modo in brachio, modo pede, sanguinem. Sed quum postremo id fieret, ægræ oculi coeperunt obfuscar, ut candelam inferre juberet, quum tam dies esset quam lucidissima, quin brevi post lethali lypothymia correpta obiit. Die post sectum cadaver, nil autem repertum, præter tumorem vaginæ, cui infidebat macula nigra dimidii uncialis magnitudine, ad internum uteri orificium, ac in toto vasorum systemate vix aliquot restitabant sanguinis co-
chlearia.

Epicrisis.

De veritate hujus historiarum testis ego sum *ΕΥΘΕΤΗΣ*. Quilibet autem illico judicabit, temerarie & imprudenter tam crebro administratam esse venesectionem, a medico, qui in Gallia hoc artificium edoctus, & alias ob peculiarem variolas & petechiales febres curandi modum non est ignotus. Dolor enim & spasmus, ac inflammatio facili negotio, applicato parti dolenti epithemate discutiente & datis interius blandis diaphoreticis, potuissent abigi. Nimia vero sanguinis subtractione, & lypothymia inducta, & sphacelus contractus, licet unica non nocuisset venæ sectio. Nam ipsa inflammatio sufficienti & valido sanguinis appulsu discutienda, eodemque plus justo subtracto, necessario sequitur sphacelus. Igitur sicuti plures medici delinquant in eo, quod in inflammatoriis puerperarum affectibus sanguinis missionem repudient omnem; ita heic in excessu peccatum fuit graviter. Sed medium tenere beati.

CAPUT XI.

De inflammatione Oculorum cum & sine febre.

Theses Pathologicae.

§. I.

Ophthalmie descriptio.

Frequentissima est inflammatio membranarum oculum investientium, tunica praesertim adnata, sive albuginea, graeco nomine dicta ophthalmia. Jungitur haec cum dolore acuto, interdum & pressorio, ardore, rubore, tumore, & feri falsi ex oculis effluxu, nec non visu imminuto, vel plane deperdito. Oritur autem, quando vasa arteriolarum lateralia, quae secundum naturam pellucidum nulloque colore infectum liquorem vehunt, a sanguine valide ad caput congestio implentur, distenduntur, & visui sese offerunt. Hanc enim causam esse, patet experimento, quo injecto per siphonem in carotidis ramum liquore spissiusculo rubicundo, adnata oculi tunica, per omnem sui ambitum rufescens & inflammata comparer.

§. II.

Levior est, gravior, vel gravissima.

Est autem ophthalmia, levior, vel gravior, vel etiam gravissima. Levior albuginea tantum tunica insidet, nec tam late diffunditur, facilius discutitur, & oritur potissimum a causa externa leviori, insperso pulvere, appulso asperioris, plaga aut allisu leniori, aura liberius admissa frigida, & sudore subito represso, nec non ab administrata cataractae depositione. Gravior, praeter adnatam, etiam confines palpebras infestat, totumque oculum exquisito ardore & dolore afficit, qui ad levem lucis accessum exacerbatur. Enascitur haec maxime a causis internis, feri nempe impuritate & salutaribus excretionibus cohibitis, ac uti ego observavi, a suppresso solenni matutino sudore, a scabie, nec non tinea capitis intempestive abacta, a cohibitis mensibus, ul-

ceribus & fistulis consolidatis, item repulsa rosacea gutta, & propterea agrius, nec nisi internis & externis adhibitis, discedit. Gravissima demum profundior est, ad ima oculi & interiores tunicas penetrat. Comitatur hanc dolor acerbissimus cum febre, quandoque etiam cum delirio, sequitur suppuration & humorum effluxus, remanente caecitate perfecta. Rarius tamen a causis internis, sed plerumque a contusione validiori inducitur. Vidi ego suppurationem excidere lente crystallina, post ictum fortem inter pugillandum oculo inflicto, vidi vero etiam talem casum a tinea capitis inveterata, subito externis siccata.

§. III.

Deinceps alia ophthalmia est vera, *Vera* alia notha, sive spuria. Vera causa maxime interna & symptomata graviora, a sanguinis in tubulis stasi, agrius abigenda. Spuria a causa magis externa, uti pulvisculo in oculos illapso, a vapore acri cepearum & allii, symptomata hinc sunt mitiora, & facilius cedit ipsa. Alia sicca est, alia humida. Illa fit a *Sicca, vel humida,* sanguine calido, cum dolore acuto, pungitivo, ac nil ex oculo effluit. Haec mitiori quidem stipatur dolore & ardore, sed palpebrae tument & multum feri acris effluit, ut oculi noctu conglutinentur. Illa frequens sanguineo-cholestericis, juvenibus, ac aestivo tempore, haec pueris & infantibus, nec non feminis & phlegmaticis.

§. IV.

Datur quoque ophthalmia epidemica & periodica. Epidemica enascitur certis anni temporibus a diuturna humida & frigida aeris constitutione, postquam ophthalmicum morbum plures invadere saepius observavi, ac idem testatur *Amatus Lusitanus Cent. VII. obs. 80.* Quae autem certo quodam tempore, vel quotannis, vel circa aequinoctium, vel singulis mensibus infestat, solen-

Epidemica & periodica.

lennis est, quādo sueta sanguinis missio intermittitur, menses non rite fluunt, aut retinentur, quando hypochondriacus affectus subest, & sanguis in vasis hæmorrhoidalibus stagnans flatus & spasmos concitat in abdomine, quibus sanguis cum impetu ad caput & oculos urgetur.

S. V.

Cause ophthalmie.

Præterea vero quæ jam de causis ophthalmiæ passim diximus, ad eandem maxime disponunt crapula, venus & vigilia immodica, lucubrationes cum intemperantia studiorum, ventus borealis, crebrior aspectus ignis, solis, & colorum splendorum. Idem faciunt fumi acres & metallici, alvus diu & multum adstricta, refrigerationes extremorum immoderate, in primis mensium tempore, item præcedentes oculorum morbi debilitatem quandam relinquentes, ophthalmia ipsa, nec non quam maxime variolarum & morbillorum morbus, qui maximam ad oculorum affectus inducit dispositionem. Quando autem, uti haud raro fit, hemicrania, interdum etiam odontalgia, jungitur ophthalmia, serum acre scorbuticum subest, idque aliquoties contigisse novi, a podagra retro pulsa, ejusdemque materia non modo ad pericranium, sed & oculorum tunicas & periostium maxillæ superioris delata.

S. VI.

Eventus. Levem illam ophthalmiam facile dispelli, gravissimam in oculi suppurationem cum cœcitate transire, etiam jam monitum. Gravior autem est contumacior, durat sæpius per mensem & longius, ac haud raro maculas in cornea relinquit, splendorem oculorum obfuscat, humores turbidos tunicaeque corneam crassiores, glaucam, minusque pellucidam reddit. Semper etiam difficilior curatu in pueris, necnon in senibus, in illis ob succorum lymphaticorum abundantiam, & partium teneritudinem; in his vero ob humorum impuritatem.

Curatio.

S. I.

In medicatione ophthalmiæ tria hæc *Humores derivandi* perficienda: I. sanguinis, vel etiam seris acris motus a capite derivandus; II. stasis inflammatoria discutienda; III. symptomata graviora arcenda, & oculus a recidiva defendendus. Inter ea, quæ humores a capite divertunt, est maxime sanguinis missio, quam ex jugulari institutam mire laudat *Hildanus Cent. 4. obs. 13.* Alii sublingualium commendant sectionem, sed ante hanc, si sanguis redundat, in brachio aut pede prius pertundenda vena. Sunt qui cucurbitulas cum scarificatione in nucha & pone aures suadent, & veteres appositis hirudinibus multum detulerunt. Dein divertunt efficaciter pediluvia, quibus ter intra viginti quatuor horas usurpatis, potò simul liberaliter infuso theiformi, feliciter discussam esse ophthalmiam, aliquoties vidi. Serum porro acre falsum valide ab oculis revocant vesicatoria, nec non si malum inveteratum, setacea; profunt quoque sinapismi, ex semine erucæ sacculis incluso, in vino costeo ac in nucha, vel sub axillis ad moti. Præterea optime caput ab humorum affluxu liberant laxantia, vel etiam pro circumstantiarum ratione purgantia. Sponte enim purgatione sæpe solvi ophthalmiam notavit *Hippocrates Sect. 6. aph. 17.* Et *Galenus Meth. med. lib. 13. cap. 2.* gravis testis est, nonnullos, quibus oculi inflammati, sola purgatione per alvum una die sanatos.

S. II.

Divertens simulque discutiens egre: *Stasis discutienda* virtus inest diaphoreticis, quæ liberam perspirationem procurando, non modo ab oculis & capite ad corporis ambitum humores agunt, sed & succos ab acrimonia falsa repurgant. In ipsa autem parte affecta inflammatoria stasis & internis & externis discutienda est. Ex illis omnibus præsta-

rendum infusum theiforme ex radice valerianæ, liquiritiæ, floribus sambuci & semine fœniculi, quod largius potandum, & ante potum vapor ipsius consulto sub tecto capite ad oculum admittendus. Inter externa efficax & securum hoc collyrium: recipe aquæ florum sambuci, sclopetariæ ana unciam unam, camphoræ grana tria, sacchari saturni grana decem. M. quod cum linteo triplicato crebrius tepide oculis applicandum. Quando autem nimis mordens adest acrimonia, mucilaginem corticis mediæ florum tiliæ, item seminis cydoniorum, cum aqua rosarum, addito pauxillo croci, sine, vel cum opio, admoveere expedit. De symptomatum medicatione dicetur in cautelis.

*Cautela & Observationes
Clinicæ.*

§. I.

*Curatio
gravita-
ti malè
accom-
modan-
da.*

Quia ophthalmia gravitate differt, diversa etiam ineunda medendi methodus. Quam levem diximus, optime fert frigida & repellentia, ac solum albumen ovi, cum aqua rosarum & pauxillo aluminis conquassatum, sufficit, omnibusque aliis palmam præripit. Gravior non solis externis cedit, sed internæ efficacia exigit remedia, quæ serum recrementitium ab oculis divertant, falsos & acres humores diluant atque contemperent, eosdemque successive per congrua emunctoria eliminant. Proficua hunc in finem infusa theiformia, serum lactis dulce, aquæ minerales, tam martiatæ, quam alcalinæ, temperantes & diaphoretici pulveres, non omisiss laxantibus, pediluviiis, nec non urgente plethora & suppressis criticis sanguinis evacuationibus, venæsectione tempestiva. In gravissima cum febre, & ubi periculum est, ne in suppurationem transeant interiora, e re est, ut repetita venæsectio instituat, aut liberaliter sanguis subtrahatur, & hoc quidem omnium opti-

me per venam sectam jugularem. Interius pugnandum diaphoreticis, demulcentibus & solventibus, inter quæ salubritate antecellunt pulveres bezoardici, cinnabarini, leniter nitrosi & camphorati, pota simul loco ordinarii potus ptisana. Exterius vero abstinendum a collyriis refrigerantibus & potius aqua sic dicta sclopetaria, cum aqua rosarum & florum sambuci, adjecto pauxillo croci & camphoræ, tepesfacta, cum linteo duplicato admoveenda.

§. II.

Non in omni ophthalmia necessaria sanguinis missio, sed tantum ubi plethora eminens, venæsectio aut scarificatio omisita, vel etiam critica quædam hæmorrhagia intercepta. Interim si mali origo a sanguinis redundantia, præstat prius venam brachii, pedis, aut jugularem aperire, ac postea, si opus est, scarificare pone aures, vel in nucha. Setacea & vesicatoria non facile applicanda in plethoricis, nisi soluta prius plethora, & alvo, præsertim in caco-chymicis subducta. Neque, si vesicatoria necessaria, ea semel tantum apponere sufficit, sed sæpius, in locis sensibilibus, uti nucha, olecrano, carpis manuum. Hinc præfertur setaceum, cui tamen, quia & dolorosum, & molestum nimis, nos anteponimus vesicatorium temperatum minus, grossi magnitudine, per mensem & longius in nucha gestatum.

§. III.

De purgantium usu tenendum, corporum & naturarum diversitati eundem esse accommodandum. Si res mannat, tamarindinatis & tartareis expediri potest, non confugiendum ad acriora. Alias in torpidioribus & phlegmaticis, pilulæ efficaciores, uti tartaræ & de succino Cratonis, vel tutius nostræ balsamicæ, aliquoties porrigendæ. Diaphoretica egregii usus, sed diutius adhibenda, quando magis serum acre falsum, quam sanguis im-

*De Venæ
sectione
& vesica-
toriis.*

*Purgan-
tibus &
diapho-
reticis.*

vicio

vicio eſt, tanto magis ſi ophthalmia ſymptomatica alii morbo ſupervenit, aut jungitur hemicrania.

§. IV.

Regimen & victus. Quemadmodum in omnibus oculorum morbis; ita maxime in eorum inflammatione abſtinendum eſt, ab omnibus ſpirituofis, ſpiritu vini, vino, fumo tabaci, etiam ſternutatoriis. Arcendi fumi, cęparum & alii vapor, cum ignis, radiatorum ſolis, lucis & colorum fulgidorum aſpectu. Vitandus corporis exaſtuans motus & nimius craſſuſque victus. Potus ſit aqua pura, vel piſana, aut decoctum ex ſemine ſceniculi, raſura cornu cervi & hordeo. Colenda ſobrietas, victu molli & temperato utendum, ac quiete in loco tenebricoſo commodandum.

§. V.

Topica noxia.

In adminiſtratione topicorum, ſive collyriorum, magna opus eſt cautione. Plures enim, notante etiam *Septalio*, imperito horum uſu, coſcitae affectos novimus. Scilicet ut plurimum aut acria nimis ſunt, ex aqua calcis vivę, fale ammoniaco, cum vitriolo albo, vel Cyprio; aut nimis adſtringentia, cum alumine, ſanguine draconis, bolo Armena, lapide calaminari, tutia & albamine ovi; aut nimis refrigerantia, quę aquam ſpermatis ranarum, roſarum, plantaginis, adjecto ſaturni ſaccharo habent; aut nimis exſiccantia, ut quę cum cornu cervi uſto, lapide calaminari & tutia conſecta; aut etiam nimis laxantia, ex mucilagine ſeminis pſyllii, cydoniorum, ſœnu gręci, tragacantha & butyro inſuſo. Omnia autem hæc, licet in aliis oculorum affectibus præſtanti non careant uſu: in inflammatione tamen, præſertim ſanguinea, tantum abeſt ut proſint, ut potius nocent. Inde enim non modo pejor & profundior redditur ſtaſis, ſed & ipſi humores uclorum pellucidi ſunt turbidi, ſequitur oculi tabes, corruptio, ſuffuſio, epiphora chronica,

rubens, ſicca & aſpera, quin & palpebrarum exulceratio.

§. VI.

Ego potius auctor ſum, ut ſeponantur topica omnia ante tertium diem, & antequam convenientia interna jam uſurpata, exceptis ſolis ſacculis ex paregoricis & demulcentibus compoſitis. Poſtea vero omnium optima, quę ſupra commendata. Neque tamen etiam in chronica ophthalmia, ubi continuum lymphę ſalſę, acris eſt ſtillicidium, inglorium eſt *Hæcheſterii* medicamentum ophthalmicum, ex butyri recentis inſuſi drachmis duabus, & vitrioli albi ſcrupulo, de quo granum piſi majoris magnitudine in oculi canthum ſubinde indendum.

§. VII.

Quando, quod ſæpius fit, ophthalmia tandem diſcedens relinquit ſpeciem maculę & viſum imminutum, tunc nihil præſtantius eſt axungia viperarum recenti ex Italia allata, & crebrius ad aliquot guttas oculo inſillata. Egregie etiam viſum turbatum & imminutum reſtituit ſal volatile ſalis ammoniaci ſiccum, oleo majoranę imbutum & odore crebrius naribus ſuſceptum. Ejuſdem virtutis vapor ex decocto radicis valerianę, ſorum ſambuci, ſeminis ſceniculi, ad oculos, recto prius linteo capite, admiſſus. Sed opus eſt, ut hæc auxilia mature ac tempeſtively adhibeantur. Si enim inveteravit & radices egit vitium, difficillime ſaneſcit. Novi tamen, viſum ſere deperditum ex ophthalmico morbo, linimento mercatoriali genubus & poplitibus illito, interpoſitisque balneis aquę dulcis, redditum fuiſſe. Neque minus potenter viſcidos & coagulatos humores diſſolvit, ac ſudorem movet, ſulphur noſtrum antimonii fixatum, eaque propter in oculorum vitiis egregie conducit.

Enarrationes morborum.

OBSERVATIO I.

Ophthalmia ex ictu suppurata.

Juvenis sanguineus, in palæstra gladiatoria æstuans, acceperat forte inter pugillandum ictum cum gladio palæstrico, quem vocant *ein-Rappier*, in oculum sinistrum, subsequente mox rubore ac dolore. Ille tamen penitus hæc habens, vespere largiter ingurgitavit vinum, rixas quoque acres cum sodalibus movit. Inde die post magnus tumor oculum ejusque vicinas partes occupavit, cum dolore pulsatorio, cephalalgia, præcordiorum anxietate ac pulsu celeri. Chirurgus advocatus, non adeo magni momenti esse putans, applicuit collyrium frigidum, quo symptomata adeo exacerbata, ut somnum abigerent omnem. Hinc medicus in consilium vocatus, qui sanguinem mittere, & pedibus bursam pastoris admoveere jussit. Sed incassum. Inflammatio potius abiit in suppurationem, & quinto ab inflicto ictu die, ingens puris quantitas ex oculo fluxit, quam ipsi humores sequuti, & sic oculus cum omni visu perivit. Quin postea summa cura enitendum fuit, ne hæc inflammatio & exulceratio in sphacelum degeneraret, quod etiam a medico applicatione spiritus vini camphorati cum essentia croci, & dara interius tinctura bezoardica, præstitum est.

Epicrisis.

Nunquam periculo vacat oculi inflammatio profundior, qualis exurgere solet a graviore contusione, vel vulnere, quia ejusmodi inflammatio non facile discutitur, sed in suppurationem, non sine sphaceli ipsiusque vitæ discrimine, abit. Nostro quidem judicio averti potuissent gravia hæc symptomata, si æger non largiori vini potu sanguinem commovisset, majoremque ad partem jam affectam proritasset affluxum; si dein statim post contusionem sanguis e bra-

chio missus fuisset, & cataplasma, sive facculus ex discutientibus, uti radice sigilli Salomonis, ireos Florentinæ, rosarum rubrarum, anthos, lavedulæ, sambuci, chamomillæ, camphora & croco in vino coctis, fuisset admotus, nec chirurgus instillatione frigidi collyrii inflammationem reddidisset deteriorem.

OBSERVATIO II.

Fœmina 42. annorum, sanguinea, *Ophthalmia periodica.* obesa, scorbutica, & glandulas in collo tumefactas gerens, post retentum mensium fluxum, corripiebatur oculi sinistri dolore ac rubore, cum ejusdem lateris cephalalgia admodum vehementi. Liberata primum, annum postea semper, mense Octobri, hujus mali experta est recursus, sub quo appetentia erat prostrata, lucem ferre non poterat, & seri ex oculis copiosum stillicidium semper experiebatur, quod per aliquot menses persistebat. Pluribus usæ remediis, sed incassum, & notabile erat, quod quoties sal volatile oleosum sumeret, toties soporem & torporem ingentem capitis pateretur. Ut itaque hic affectus, qui per triennium ægram mirum affligerat, radicitus extirparetur, acidulas Pyramontanas ætate sub debito regimine potabat, quibus etiam alvus & urina optime secessit, & ipsa postea a contumaci malo est liberata.

Epicrisis.

Periodica hæc est ophthalmia, ex mensibus suppressis in plethorica fœmina oborta, mense maxime Octobri, quo alias solennes sunt sanguinis excretiones, commotiones, & molimina ad excernendum, præsertim per hæmorrhoides. Quare impensis hoc tempore sanguis regurgitavit ad caput, ac non tantum oculum, sed etiam membranas capitis ejusdem lateris male affectæ, unde dolores. Sopor vero & torpor ille, qui ex usu salinis volatilissimum assumti accidit, inde derivan-

vandus, quod hoc remedio, congestus in capite sanguis magis rarefactus, sicque recurſus ipſius per venas interceptus. Dein notabile eſt, quod morbi, qui ſtatas ſervant periodos, plerumque fundamentum habeant in abdominis viſceribus, unde optimo conſilio ad eradicandos eos, commendari ſolet uſus aquarum medicatarum, thermarum & acidularum, ad removenda viſcerum vitia efficaciffimus.

OBSERVATIO III.

Subita
inflam-
matio a
feſtuca
ferrea.

Vir quadragenarius ſanguineo-chole-ricus, ſubito affectus eſt dolore oculi ac rubore, quem ſibi accidiſſe putavit, a feſtuca minima ferri, ſub iſtu clavi cum malleo in oculum ſaliente, licet nihil omnino de ea in oculo comparet. Ipſe igitur ad tollendam paſſionem oculo ſubinde inſtillavit collyrium frigidum, ex aquis ophthalmicis, quo quidem calor & ardor delinitus, ſed bulbus turbidus & obſcurus comparuit, ac omnis viſus periit. Me hinc vocavit in auxilium, qui, ne cœcitas ingrueret perfecta, obviam ivi hiſce; ſal volatile ammoniacum ſiccum, oleo majoranæ imbutum, crebrius naribus admovere, fronti & temporibus emplaſtrum ex gummi elemi, animæ, maſtiches, olei nu-ciſtæ ana drachmis duabus, camphoræ & baſami Peruviani ana drachma, applicare, & frequentius ac copioſe bibere juſſi inſuſum ſeminis fœniculi cum aqua. Quibus intra aliquot hebdomades oculus recepit ſplendorem & viſus aciem.

Epicriſis.

Si inflammatio ſubito oculum ad-ritur, non injuſta eſt cauſæ externæ ſuſpicio, licet eadem non ſemper in conſpectum veniat, quia interdum adeo ſubtilis, ut viſum fugiat, ut ſit, ſi a fumo acri membranæ oculi male af-ficiuntur. Diſcimus vero etiam, quam nocens ſit inſtillatio frigidi in oculum ardentem, nec non quo pacto qui-buſque remediis oculorum humori-

bus turbidis reddenda ſit perſpicuitas.

OBSERVATIO IV.

Juvenis literarum ſtudia intempe-<sup>Ophthalmia no-
tha ven-
bellis.</sup> rantius tractans, indulſerat a longo tempore nimium lucubrationibus, & inde ſibi inſignem contraxerat viſus debilitatem. Poſt annum invaſit oculos dolor gravativus preſſorius, non ſine ardore, adeo ut nec lumen aſpicere, nec citra moleſtiam legere poſſet, ſed ſtatim largum oculorum ſtillicidium experiretur. Medici ſuaſerunt purgantia, tabaci ſumum, oculi cum baſamo Peruviano inunctio- nem externam, nec non fonticulum in nucha. Fruſtra tamen. Quin licet purgantia poſtea fortiora, decocta ſanguinem purificantia, venæ ſectio- nem in pede, pediluvia cum accurato in diætâ & viſtu regimine adhiberent, nihil tamen aliud omnibus effectum, quam ut ventriculus debilitaretur in-ſigniter. Alii de ſcarificatione admi- niſtranda, fonticulo brachio inuren- do & pinguedine viperarum inſtillan- da oculo dederunt conſilium, ſed eo- dem fruſtraneo effectû. Addit etiam æger Pyrmontanas acidulas, quibus labes & infirmitas oculi adaucta, & nubeculæ viſui oblatae, ut cataractæ plane metus eſſet. Pariter in vanum laboravit medicus, qui decoctis ſan- guinem purificantibus, velicatoriis, ſternuta-oriis, variis que collyriis perti- nax malum abigere molitus eſt. Tan- dem vero ſolo uſu pilularum mercurialium cum gummatibus & extractis baſamicis amaris, item inſuſo thei- formi, ex ſemine fœniculi, cum ana- ticalactis parte, nec non externo ca- taplaſmate, ex mica panis ſimilagi- nei, cum cremore lactis, croco & flo- ribus ſambuci, allatum miſero leva- men, dolor preſſorius diſceſſit, reman- ſit vero quardam viſus imbecillitas.

Epicriſis.

Hic oculorum affectus non quidem ad veram & exquisitam ophthalmiam referendus, ſed magis ad notham, quæ

quæ ex stagnatione lymphaticorum humorum in oculis & sanguinis circuitu libero impedito, ortum traxit. Hæc autem causa, quia chirurgos & medicos latuit, adhibita præpostere medicamenta nihil profecerunt. Erant enim non tanti, ut vasculorum tenuissimorum obstructionem expedire potuissent. Illa vero postremo usurpata efficacia resolutiva, pilulæ mercuriales, nec non exterius cataplasma, accommodata utique fuerunt atque proficua. Igitur multitudo, & varietas medicamentorum, prodiit ut plurimum medici ignorantiam, qui, si causam morbi rite intelligit, nec adeo multis, nec variis opus habet remediis, sed paucis, usu probatis, sæpe simplicibus, diutius tamen usurpandis.

OBSERVATIO V.

Ophthalmia gravissima cum ruptura corneæ.

Viro 30. annorum inopinato pauxillum succi illius acris, quo capillorum concinnatores, capillos atro colore inficere solent, in oculum ceciderat. Hinc sequutus rubor oculi & dolor acerbissimus, ut patiens nec cibum, nec somnum capere posset, ac ferendo cruciatui fere esset impar. Chirurgus in consilium vocatus, collyrium ex aqua rosarum, plantaginis & tutia, frigide instillandum suavit, hocque nihil plane proficiente, faccharum saturni in aqua rosarum solutum crebrius cum linteo dolenti oculo admoveere iussit. Sed nihil his dolorum atrocitas mitigata, oculi potius bulbus quasi decrevit & minor factus, humores turbati, & visus plane periit, in cornea quoque tumor instar pisi durus apparuit. Admota quidem nuchæ vesicatoria, usurpata quoque purgantia, sed malum plus in deterius, quam melius versum. Hinc chirurgus desperabundus deseruit agrum, omnesque adstantes de visu unquam recuperando dubitare coeperunt, imprimis quum præterea palpebra oculi affecti elevari non posset, sed

semper clausa & elevata manu sensus expers esset, quin vesiculosus tumor in internis palpebræ compareret, aspectum oculi fere intercipiens.

Epicrisis.

Ophthalmia hæc fuit gravissima, cum ruptura corneæ, oborta a succo acris in oculum illabente, qui arrosione effluxum sanguinis ac humorum tunicarumque distensionem fecit. Multum vero etiam ad grave malum contulit collyrium frigide admotum, eo quod statim & stagnationem humorum firmiorem reddidit & graviorem. Nos sequentibus ivimus obviam: spiritus vini camphoratus cum balsamo Peruviano, exhalato prius spiritu, cum linteo duplicato crebrius oculo fuit admotus. Alvus pilulis ex mercurio dulci, gummi ammoniaco, extracto panchymagogo *Crollii*, balsamo Peruviano & sale succini subducta. Adhibita pediluvia. Potum copiose infusum theiforme ex veronica & somine sceniculi. Datum interius diascordium *Fracastorii*, cum lapidibus cancrorum & nitro. Et exterius cataplasma, ex pomo assato, croco, mica panis similaginei cum lacte coctum, oculo impositum. His dolor & rubor cum ardore sublatus, palpebræ quoque tumor discussus, sed visus, ob corneam ruptam & humores incrassatos, rediit nunquam. Ut adeo pateat, quantum damni ab improvida collyriorum applicatione sit metuendum.

OBSERVATIO VI.

Juvenis generosus, viginti aliquot annorum, constitutionis teneræ & a scorbuticis parentibus genitus, capitis dolores & narium hæmorrhagias crebrius expertus, detluxionibus etiam catarrhalibus & coryzæ sæpius obnoxius, vitæque sedentariæ, litterarum amore ductus, nimium indulgens, incidit in cephalalgiam gravem, cum atroci oculorum dolore, alvo

Febris ophthalmico-cephalica.

alvo simul adstricta. Dolor hic erat periodicus, ita ut matutino quotidie tempore cum rubore & feri salsi effluxu, præcedente refrigeratione & subsequente pulsu celeri accederet, per sex circiter horas insisteret, ac postea sensim discederet, die post rediturus, ægro interim nec in somno, nec appetitu vitium observante, nisi quod subinde post cibos ructus experiretur. Detinebat singularis hic affectus per mensem ægrum, & frustra adhibita fuerunt præsidia varia, collyria, errhina, evacuantia, cephalica, neenon cucurbitulæ, tandem vero a me abactus est hisce. Ter scilicet alternis diebus dedi pilularum harum 20. recipe extracti panchymagogi *Crollii*, gummi ammoniaci, mercurii dulcis, cinnabaris nativæ preparatæ ana drachmam semis, extracti croci, castorei ana grana sex M. f. c. balsamo Peruviano pilulæ ex scrupulo no. 20. Una ante accessionem hora pedes immittere iussi ad genua usque pediluvio ex aqua fluviali, cineribus clavellatis imbuta, ac dum sic in balneo pedes servabantur, ad mensuram unam bibere infusum theiforme, ex herba melissæ, floribus tilix, radice valerianæ & semine fœniculi, quo sudor prolektus copiosus. Vesperis exhibui per aliquot dies pulverem ex pulveris Marchionis drachma dimidia, succini, nitri puri, cinnabaris, antimonii rectificati ana granis octo. Oculo exterius applicare præcepi aquam Reginæ Hungariæ, cum dupla parte aquæ rosarum & camphoræ momento. Crinibus quoque quotidie inspersus pulvis ex succino præparato, radice ireos Florentinæ, caryophyllis aromaticis & cardamomo. Quibus per octiduum usurpatis, discessit malum, sed restitit nubecula quædam, visum quodammodo interceptans, quæ tamen crebriori instillatione pinguedinis viperinæ recentis, etiam sublata.

Epicrisis.

Febris hæc recte dici potest cephalico-ophthalmica, cujus causa fuit non

tantum capitis debilitas a longo tempore contracta, verum etiam alvi obvitam sedentariam adstrictio, qua spasmi in primis viis inducti, quibus ferofus sanguis ad caput impetuosius actus. Hinc primo omnium in medicatione fuit subducenda alvus, ac postea recte ante accessionem pediluvii & potu infusi theiformis roborantis copioso sudor prolektus per universum corpus. Sudor enim & aucta perspiratio egregie serviunt spasms & doloribus periodice certis statisque temporibus redeuntibus discutiendis & abigendis. Deinde quoque in pertinacibus ejusmodi capitis oculorumq; doloribus cinnabarina, & ipse mercurius dulcis, serum lentescens stagnans fundendo & obstructions expediendo, opem ferunt præsentissimam. Errhina vero & sternutatoria, plus nocent, quam prosunt, quia humores magis ad oculorum confinia convocant. Varii etiam generis collyria, nisi simul discutiente virtute polleant, in ejusmodi oculorum affectibus plus nocementi, quàm emolumenti afferre, multoties observavi. Tandem ad maculas oculorum & nubeculas delendas, pinguedine viperarum efficacius nihil, quam etiam *Ludovici* & *Wedelii* passim miris ornant encomiis. Habet enim acrimoniam subtilem, blande detergentem. Sed præstat in fine illam exhibere, non in principio, si ardor adhuc & dolor impensius urgent. Ceterum plura tum de ophthalmico, tum aliis oculorum affectibus commentatus sum in dissertatione, de morbis oculorum præcipuis recta medendi ratione, nec non in *Medicinæ consultatoriæ Tomo 2. Dec. 4. Cas. 2. pag. 163. seqq.* de dolore & imbecillitate oculorum cum suffusione incipiente.

OBSERVATIO VII.

Generosus vir, sexagenarius, macilentus, victui duro & crasso salso assuetus, aliquot per annos singulis sere tribus mensibus, erysipelatis in pede

Ophthalmica hæmicrania.

pede dextro cum horrore & vehemēti dolore insultum expertus est, quod tandem in suppurationem & ulcus desit, ac per annum & ultra ipsum detinuit, postea vero a chirurgo perito consolidatum fuit. Ex eo tempore singulis fere mensibus, circa novilunium, incidit in hemicraniam dextri lateris, quæ simul gravi dolore, profundius in orbita hærente, cum feri salsi effluxu stipata, qui circa noctem exacerbatus fuit, & paroxysmus semper invasit cum horripilatione & extremorum refrigeratione, pulsu postea alterato & auctiori facto. Malum autem solvebatur post quartum diem facta crisi, mediante sudore largiore, agro alias etiam sueto. Mali pertæsus, nostro ex consilio usus est Pyramontanis acidulis, quas olim usurparat, hacque cura absoluta fuasi, ut loco potus ordinarii decoctum ex radice scorzonerae, china, sarsaparilla, liquiritia & passulis, biberet, & singulis mensibus infusum ex manna, rhabarbaro & cremore tartari, assumeret, victum durum, salsum, aromaticum vitaret, & fonticulum etiam dextro brachio inuri permitteret. Quibus remediis quum omni adhibita cura uteretur, liber non modo ab erysipellate, sed & ab hemicrania ophthalmica degit; scabie tamen sicca pruriente divexatus, sicque septuagesimum ætatis annum excessit.

Epicrisis.

Ophthalmica hæc est hemicrania, in qua notabile, quod cessante erysipellate & ulcere consolidato in pede dextro, materia scorbutica ad dextrum latus capitis & oculum fuerit conversa & certis statisque periodis hunc excitaverit morbum. Quum vero scaturigo tanq. erysipelatis, quam hemicrania & ophthalmia, sit querenda in sanguinis & lymphæ dyscrasia scorbutica, utique potu acidularum, decoctorum & congruorum laxantium usu, universam sanguinis & humorum massam perpurgare expedit, & hac ratione corpus potius ab ejus-

modi vitii defendere, quam eadem, si adsunt, abigere.

CAPUT XII.

De Febre Intestinalium, inflammatoria ex Mesenterio.

Theses Pathologicae.

§. I.

Intestina, tam tenuia, quam crassa, quæ membranosa fere tota, ex tunica prima a peritonæo, altera musculari, cum fibris longitudinalibus & circularibus, nervosa & villosa contexta innumeris nervorum & vasorum surculis perfusa & exquisito sensu ac motu instructa, & multis, & gravibus morbis patent, e quibus haud postremus inflammatorius, qui ipsis ex variis causis accidit. Nam atrocissima & lethalia quandoque pathemata, quæ assumpta venena, emetica validiora, & drastica purgantia excipiunt, ab inflammatione in sphacelum transiente ortum ducunt. Vulnera ac læsiones intestinalium, non aliter, quam inflammatione necant. Febres synochas & ardentes, maxime cholericas, dysentericas, item plurimas malignas, neque minus exanthematicas, in primis variolas, lethalem sæpe inducere inflammationem, uberius testatur dissectio his morbis defunctorum. Convulsivam etiam colicam, maximeque eam, quæ a podagra retrocedente, ac subsistente, ex cohibito, aut sufflaminato hæmorrhoidali fluxu, sanguine inducitur, iliacam, quoque ex hernia incarcerata, aut intestinalium convoluzione, passionem, non alia ratione, quam intestinalium inflammatione, lethum inferre, incomperto est. Nihil quippe vitalibus motibus adeo est infensum, quam putredo, quæ excipit inflammationem, ac in nervosis, exquisito motu ac sensu pollentibus partibus, consistit.

§. II.

§. II.

Minus
notae quae
ex mesen-
terio.

Sed quia de intestinorum inflammationibus symptomaticis, eisdemque complicatis febribus, jam supra actum, & adhuc congruo loco agetur; nunc dumtaxat pauca tradere libet de inflammatoria febre illa intestinali, quae proficiscitur ex mesenterio. Jam apud medicos in confesso est, plures morbosas affectiones, praesertim hekticas, lentas, errantesque febres, nec non apostemata, in mesenterio sedem habere fixam; sed diarrhoeas, dysenterias, immo inflammatorias febres intestinorum, pullulare ex mesenterio, id non aequae omnibus patet. Verum qui ex physiologicis novit, sanguinis progressum, in mesenterio & mesocolo, quibus annexa intestina, esse tardissimum, tum quod tunicis nervo-musculosis, sanguinem urgentibus destituantur, tum quod vena portae, pulsu carens, recipiat sanguinem ex intestinis, & tardo flumine vehat ad hepar; is ultro ferebitur, promptam ibi esse genesin stagnationum, & stasium, & amplissimum nidum ad excludendas materiales morborum causas. Quin quum intestina arctius mesenterio sint connexa, ut ab ipso etiam fortiantur membranam, fibrarum quoque in intestinis annularium tendo juxta Willisium, sit mesenterium, & vasa ac nervi utriusque sint communia, magnam inter has partes esse communionem, quoad morbosas affectiones, utique certum.

§. III.

Quae acuta, vel chronica.

Ipsae tamen febres, quae ex mesenterio veniunt, & nobis cum Baglivio audiunt mesentericae, in duo merito genera sunt dividendae, acutae scilicet & lentae, sive chronicae. Utrumque materialis causa ejusdemque sedes in mesenterio, sed febrium & symptomatum generatio quaerenda in annexis intestinis membranaceis, ita quidem, ut acutae & inflammatoriae in tunicis magis consistant, & ibi tyrannidem suam exercent. Licet enim mesenterium, quod ex duplica-

ta constat membrana, cui interpositi innumeri arteriarum & venarum rami, vasa lymphatica & lactea, glandulae quoque copiosae magnitudinis variae, nec non nervorum propagines, non omni careat motu ac sensu: hic tamen admodum obtusus ac magis gravativus est, quam acutus, qualis ad concipiendam inflammationem requiritur.

§. IV.

Quare si in infimo ventre ardor, dolor cum praeternaturali totius corporis aestu, pulsu celeri, virium prostratione, anxietate & inquietudine sese prodit, in intestinis haec considerare, merito judicandum. Sed pro diversitate locorum, quae haec pathemata occupant, varias & certas affectas esse partes, merito concludendum. Scilicet si dolor acutus est supra umbilicum & sub ventriculo, cum febre, nausea & vomendi conatu, indicium praebet, laborare eum coli tractum, qui infra stomachum a dextro ad sinistrum latus porrigitur. Qui in dextro hypochondrio sub costis spuriis urget doloris sensus, praeter naturam affectum & inflammatum esse coli principium, ubi ileo committitur, arguit, quod etiam Spigelius in defunctis reperit sphacelatum. Acuti cum febre cruciatus in sinistro latere sub lumbis, ubi psoas musculus, in colo & mesocolo, praesertim ubi peritonaeo adharet, mali esse sedem produnt. Quando vero medium abdomen circa umbilicum cum febre gravius dolet, tenuia utique intestina inflammatione laborare, certum est indicium.

§. V.

Febres etiam, quae cum dolore, ardore, nec non tumore imi ventris junctae, & tandem per alvi fluxus putridos & copiosos, vel etiam purulentos solvuntur, cum magna intestinorum difficultate, ex mesenterio provenire, nil dubii est. In cachecticis & scorbuticis corporibus, qui proveniunt diuturni alvi fluxus, cum lenta febre, vires & cor-

Signa
tumor &
sympto-
mata.

Varii
sunt ge-
nera.

corpus consumente, & qui non tam facile curationem recipiunt, ex eodem fonte scaturire, non sine ratione censendum. Febres quoque quæ epidemice & certis temporibus invadunt, cum diarrhœis, immo cruentis sedibus, non ex ingestorum alimentorum vitio, sed ex præternaturali aeris, præsertim nimis calidi & sicci, constitutione oriuntur, quales biennio abhinc ob insolitum diuturnum, ad medium fere autumnum productum calorem, universam propemodum Germaniam sunt pervagatæ; simul etiam grassantes tunc intermittentes anomalæ, vix aliam habent originem, quam quod in mesenterio multi acres & corrupti humores accumulati.

§. VI.

Eorum
origo &
causæ.

Ad ingignendas autem infestas ejusmodi primis in viis inflammatorias febres, præcipuum momentum habet plethora, vel simplex, vel cacochymica, a suppressis aut deficientibus salutaribus excretionibus oborta. Promte etiam inducuntur ab intentata per fortiora pellentia, hæmorrhoidum, mensium aut lochiorum provocatione, ab usu copioso validiorum purgantium ad superandam contumacem alvi stricturam, nec non, uti observavi, a purgantium & emeticorum acriorum assumptione ad abortum provocandum. Idem facit intensior animi corporisque commotio, ac vicissim improvida abdominis & corporis, præsertim æstuantis, refrigeratio, potus perfrigeratus, & qui opulentioribus in more est, glaciatus. His enim humorum ad interiora, maximeque primam regionem, convocatur partim, partim urgetur affluxus, omniumque facillime ad eas fertur partes, quæ imbecilliores, quibusque ob defectum sufficientis potentie motricis systalticæ, vel perpendicularem vasorum tractum, difficilior est humorum progressus, quarum in numero potissimum sunt mesenterium, mesocolon, & omentum. Quando igitur his in

nicis cum mesenterio continuis, inclusus hæret sanguis, aut humor acris, febrem ciet inflammatoriam continuam, alvi vero cruētus etiam fluxus, vel ex nimium ampliatis, vel ex eis plane & disruptis vasorum osculis, succedit. Hæc enim omnia ita omnino evenire uberius testatur dissectio ejusmodi febribus interfectorum, in quibus *Spigelius de semitert. cap. 8.* se invenisse prodidit, venas hepatis majores sanguine vacuas, ventriculi tunicam interiorem leviori erysipelate inflammata, venas mesaraicas, & quæ ad ventriculū atque omentum tendunt, distentas & crassiori sanguine fartas, omentum consumtum & semiputrefactum, durum quoque pancreas & ductum cholodochum obstruētum. Idem confirmat *Chiffletius* notabili observatione, de mesenterii inflammatione cum dolore umbilici.

§. VII.

Merito tamen consistentes his in sedibus inflammationes in leviores & graviores sunt distinguendæ. Leviores exterioribus tantum intestinorum tunicis, quæ maxime membranarum mesenterii productiones insident; graviores vero altius ipsam intestinorum substantiam pervadunt, eorundemque interiora ipsasque glandulas tangunt, ideoque & profundiores sunt, & ampliores. Quæ superficiem occupant, non tantum periculi alunt, sed adhibito laudabili regimine & congrua medicina, intra quartum, vel septimum diem, discutiuntur. Quæ autem interiora profundius obsident, nisi per diarrhœam aut sanguinis fluxum solvantur, longius extrahuntur, quin in suppurationem ruunt, & in hæticam desinunt. Ex mesenterio quoque ibique stagnantibus corruptis humoribus prodeunt hemitritæ sic dictæ, sive semitertianæ febres, quæ ex continua inflammatoria & intermittente tertiana sunt compositæ, periculi non expertes. Notæ hæc jam fuerunt *Hippocrati* & *Galeno*, eadem nitide & accurate *Spigelius*

*Distin-
guenda
in levia-
res &
gravia-
res.*

peculiari libello descripsit. Discrepant tamen a nostris in eo, quod quotidie circa vesperam, & alternis quoque diebus, levi accedente horrore, ingravescant, junctum habeant abdominis dolorem ventrisque tumorem, & quandoque ad aliquot hebdomades protrahantur, & nonnunquam in febrem lentam & hecticam concedant. Sed quia de harum ortu, decursu & curatione jam supra Sect. I. cap. 5. uberius actum, heic plura dicere non attinet.

CURATIO

Cum Cautelis, & Observationibus Clinicis.

§. I.

Morbi præservatio.

Quum febres ventriculi & intestinorum inflammatoriæ, propter horum summam sensibilitatem & conspirationem cum nobilissimis corporis partibus, atrocissimis symptomatibus stipatæ, & subinde funestæ sint; medentis cogitationem & intensionem quam maxime ad eas avertendas dirigere expedit. Igitur serio & cum cura sibi commissis medicus inculcet, ut vitent omnia, quæ superius §. VI. ad easdem ingignendas facere diximus. Et quia præterea sæpius observavi, febribus ardentibus, item biliosis, dysentericis, nec non puerperarum acutis cum purpura, a vehemēti ira, vel gravi terrore, accessisse mox gravem intestinorum inflammationem, & sphacelationem, ac lethum brevi tempore attulisse; in primis necessarium, ut occasiones sævorum affectuum fideli consilio & monito præscindat artifex peritus.

§. II.

In cura sanguinis affluxus derivandus.

Si vero jam adest inflammatoria stasis sanguinis, omnibus modis lenior est discutienda, & gravior avertenda. Primus igitur recte medentis erit scopus, ut vehementiorem sanguinis motum ad partem affectam impediatur, & hac ratione graviorem inflammationem avertat. Obtinetur id commodissime in plethoricis sanguinis missio-

Tom. IV.

ne, ex venis in superioribus partibus, amplo satis foramine facto, pertulis, qua in colica convulsiva, in diarrhœa & dysenteria, in acuto dolore venarum sedis, gravior inflammatio utique potest averti. Post sectam venam divertunt sanguinis affluxum a loco affecto pediluvia tēperata, sed diutius usurpata, quæ solvendo & laxando strictas inferiorum partium fibras, affluxum ad pedes divertunt & invitant.

§. III.

Ad discutiendam dein inflammato- *Et stasis discutienda.* riam stasin, serviunt quam maxime, quæ dolores & spasmos sistunt, antispasmodica, humectantia & blanda sedativa, clysteres ex oleosis, gelatinosis & dulcibus compositis, item exterius regioni abdominis applicata epithemata, sacculi, vesicæ olei expressis, vel pinguedinibus animantium, aut decoctis emollientibus repletæ, pinguedo cati sylvestris, mixta præsertim cum camphora & pauxillo olei hyoscyami. Interne vero discutiunt & inflammationem arcent quam optime diaphoretica cum anodynis mixta, pauca, sed crebriori dosi per aliquot dies data, quæ inter ciminet spiritus carminativus de tribus, aut spiritus tartari, vel bezoardicus *Bussi*, cum liquore anodyno minerali, aut spiritu nitri dulci mixtus. Item mixturæ ex aqua cardui benedicti, florum sambuci, aceto sambuci, rob sambuci, antimonio diaphoretico, nitro & syrupo papaveris rhœados confectæ, nec non pulveres temperantes nitrosi & diaphoretici, cum momento camphoræ & pauxillo laudani. Neque minus huc spectat cautus pilularum Wildegansianarum usus. Quæ remedia, cum prudentia, certo tempore & ordine usurpata, etiam in passione iliaca & spastica tunicarum intestinalium corrugatione, quam Græci chordapsum vocant, lenimen afferunt exoptatissimum.

§. IV.

In dolore, spasmo & febre inflam-

T

ma-

matoria intestinorum, omnia acra stimulantia, etiam salina majori copia data, calida, & purgantia, ceu perniciosissima vitanda. Et culpandus hic communis & detestabilis practico- rum error, qui alvo pertinacius adstricta, unum post alterum purgans ingerunt, eoque malum non tantum exacerbant, verum etiam reddunt mortiferum. Neque etiam clysteribus admiscenda salia acrius stimulantia, ut sal gemmae, vel purgantia, ut extractum colocynthidis, vel catholiconis, sed ex solis emollientibus sunt parandi. Sic enim balnei aut foci instar, crassa eluunt intestina, & in colo tenuibus circumvoluto contenta, ceu vesica decocto emolliente plena, eadem mulcent, foveant & laxant. Parari igitur possunt ex solo lacte, mixto cum nitro, vel aqua pluviali, nupta cum syrupo violarum, de althæa *Fernelii*, rosarum solutivo, aut melle mercuriali. Hæc tamen circa usum clysterum addenda observatio, ut bihorio fere quovis, si necessitas urgeat, injiciantur, & paulo diutius retineantur, quod maxime necessarium, si flatus per os eruantur, & crebrae adsunt vomitiones.

§. V.

Præmissa, si vasorum plenitudo urget, venæ sectione, laxata etiam clysteribus admissis alvo, si atrox dolor cedere nolit, optimo consilio, sine omni metu, anodynum ex opio proficit, quo tormina conquiescunt, & spasmi ac sudor sequitur. Sed quiescente & sedata dolorum & spasmodorum cum febre ferocia, si summa debilitas corporis viriumque imbecillitas excipit, non ulterius insistendum superius laudatis diluentibus, laxantibus & humectantibus, sed potius nervina & roborantia in usum vocanda, quorum in numero sunt maxime essentia aut spiritus succini, aut mastiches, extracta cum hoc essentia chaccarillæ, elixir nostrum stomachale, pulvis solaris Zellenis, balsamum nostrum vitæ cum liquore anodyno mixtum, quod

balsamum etiam exterius applicatum, levamen insigne affert, tonum resuscitando & robur addendo.

§. VI.

Quando vero inflammationes & dolores alvi fluxu simplici, aut cruento, maxime hæmorrhoidali, aut etiam, uti quandoque accidit, purulento solvuntur, laxantia leniora, ut pasta rhabarbarina & clysteres, item infusa theiformia, ex speciebus traumaticis & sanguinem purificantibus, scabiosa, veronica, alchymilla, agrimonia, consolidida Saracenica & summitatibus millefolii confecta & cum lacte pota, nec non pulveres roborantes, ex cornu cervi philosophice preparato, usto, cortice cascarillæ & succino, in usum vocantur commodissime.

§. VII.

Quum diarrhœa & dysenteria epidemica sæpe cum vehementi inflammatoria febre invadat juvenilia corpora, non infructuosa est medico-practica questio: an conducatur venæ sectio? Communis quidem medicorum, *Hippocratis* & *Galenii* auctoritate confirmata est sententia: alvo fluente, non esse subtrahendum sanguinem, ne vires prosterantur. Neque etiam ego aliter sentio, quum per ipsam experientiam constet, multos, tam lienterico, quam dysenterico alvi fluxu laborantes sanari, sine sanguinis missione; sed jam de illa tantum dysenteria sermo est, quæ cum febre acuta, præsertim synocha inflammatoria, conjuncta. In hac utilem & necessariam esse venæ sectionem, affirmo utique. Notum enim est, non facile quempiam alvi fluxu, etiam dysenterico diuturno perire, nisi ex inflammatione & sphacelatione intestinorum, quam semper antecedit & comitatur vehemens acuta febris, ex pulsu magno & celeri, ardore & siccitate corporis, linguæ ariditate, & ingenti inquietudine cognoscenda. Et licet omni dysenteria lenta quædam & levis, quasi erysipela-

Sanguinis missio in dysenteria cum febre acuta.

In dolore opiata, post cum roborantia proficiunt.

cea inflammatio, sit juncta; multum tamen hæc ipsa differt a synocha inflammatoria febre, in qua proficuum esse sanguinis subtractionem assevero, & consentientes habeo viros amplissima & felicissima praxi celeberrimos. Sane *Sydenhamus* in *opp.* cordate affirmat pag. 111. se semper fere curam dysentericæ cum venæ sectione auspiciari, quin pag. 115. seq. habet exemplum dysentericæ rebellis, quæ nullis plane remediis cedere voluit, sed sola venæ sectione tandem curata. Idem hoc auxilium mire dilaudat *Riverius*, qui *Cent. 2. obs. 57.* fidem facit, se in dysenteria cum febre acuta, octavo demum die, cum fructu quinque sanguinis ūcias e brachii vena extraxisse; & *obs. 64.* testatur, se venæ sectionem, in muliere dysenteria cum febre graviter decumbente, septimo & octavo die cum emolumento instituisse. *Amatus* quoque *Lusitanus Cent. 2. obs. 48.* consignavit exemplum Abbatissæ, sanguine pleni & multo vini potui dediti, dysenterici & simulacut febricitantis, qui secta vena longe melius habuit, & paucis subjunctis remediis, plenarie convaluit. Maxime omnium vero multus est in adstruenda hujus remedii singulari utilitate *Borallus*, qui *cap. 4.* plus quam decem exempla narrat, ubi nil ex omni remediis censu, præter venæ sectionem, attulerit levamen.

ENARRATIONES MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Passio
Spasmodico in-
flammasoria,
iliacæ
minitanti
curata.*

Fœmina, quadragenaria major, ob vitam sedentariam & tacitum animi profundum cum iracundia mœrorem, pathematibus colicis & spasmodicis affecta, quum omisisset vere hoc fuerat quotannis circa æquinoctium vernale & autumnale sanguinis missionem, Martio mense vehementi commota fuerat ira ad tremorem usque omnium corporis partium, & summat postea vesperti pilulas consuetas

purgantes. Hinc noctem transegit inquietam, & die post nulla post pilulas sequuta purgatio, alvus potius firmissime clausa mansit, & ipsa æstuositas anxietatibus circa præcordia atque etiam eructationibus continuus ex ore fuit afflicta, & vomitu fere omnia assumpta tum medicamenta, tum alimenta rejecit. Injunctus ad alvum aperiendam clyster domesticus, qui per horam retentus, integer, nec flatibus, nec stercorebus stipatus, rediit, etiam sine symptomatum levamento. Adhibitum decoctum manatum cum salibus aperitivis & rhabarbaro, sed mox vomitu rejectum. Medicus etiam ordinarius, flatum in causa esse putans, dedit carminativa: irrita tamen fuerunt omnia. Perstiterunt potius symptomata, firma nempe alvi adstrictio, eructatio crebra & vomitus, magna debilitas, inappetentia & somni defectus, tantum quod circa vespertinam gravius, circa auroram vero mitius affligerent, cum crebriori ad urinam stimulo, quæ tamen parca & turbida emittebatur. Tercio die vocatus ego, mox venam pedis secare jussi, & emissis, sine ulla virium jactura, ob vasa sanguine valde distenta, octo uncias, mox meliuscule habuit ægra, conquieverunt anxietates æstuosæ & eructationes, ut etiam extractum versari potuerit. Nihilominus pertinax ventris adstrictio & dolores tensivi abdominis in hypochondrio dextro perstiterunt. Injunctus igitur clyster & datæ pilulæ nostræ balsamicæ polychrestæ, sed his nihil è motum; quin quum ad septimum usque diem alvus esset obstipata, & eructationes, & anxietates nocturnæ æstuosæ, cum febricula & dorsi doloribus redierunt. Hinc demum consilium dedi, ut singulis tribus horis clyster injiceretur, ex aquæ pluvialis uncias 12. syrupide althææ *Fernelii* uncia semis, nitri puri drachma, & abdomini vesica emolliente decocto plena admoveretur. Sic cly-

T 2 steres

steres, injecti semper per horam retinebantur, & postquam quartus esset infusus, flatus primum elisi, per aliquot dies coerciti, & post sextum fecerunt etiam faeces, quibus evacuat, ructus atque anxietates in abdomine discesserunt, mistio etiam melius successit. Interius vero simul data essentia carminativa, cum liquore anodyno ad unciam dimidiam remixta, instillatis laudani liquidi guttis 15. inductus somnus, sequutus sudor ex cute ante sicca & arida, pulsus antea durus & celer mollior factus, & urinæ fluxus liber redditus. Hoc facto, ex mixtura remotum laudanum, & sola essentia cum liquore anodyno oblata, donec perfecte convalesceret.

Epicrisis.

Affectio hæc fuit spasmodico-inflammatory intestinorum, iliacam minitans passionem. A sanguine quippe, ob venæ sectionem consuetam omissam, nimium redundante, & vehementi ira, quæ insensibilissima intestinis, nec non purgante assumpto, ortum duxit hæc passio, & inde etiam omnia, quæ jungebantur symptomata, derivanda. Ad discutiendam itaque inflammatoriam stasim & avertendam hujus pedissequam, passionem miserere mei, ante omnia necessarium duxi, ut sanguinis quantitas subtraheretur, quod etiam quoddam attulit levamen. Sed quum spasmus intestina inferiora fortiter stringens adhuc permaneret, consilium cepi, quod me tali in casu non destituit, de clysteribus pure demulcentibus & humectantibus, paullo frequentius injiciendis, qui quasi instar balnei interni sunt, fibras spasmis contractas temperato humido relaxantes, cui fini etiam exterius apposui emolliens remedium. Interius vero discutiens, sive carminativum, cum blando anodyno permiscui, & ita spasmis soluti, discussa sanguinis & humorum inflammatoria stasis, & excretiones per alvum & cutem adstrictæ, jam liberius & largius sequutæ.

OBSERVATIO II.

Præfectus militum, natione Gallus, *Inflammatio* quadragesimum ætatis annum jam *intestini* emensus, vir constitutionis alias robustæ, vitæ genus laboriosum & agile cum quieto & sedentario permutarat, interea largiter comedens, & liberaliter quoque vinum Gallicum, quod vocant Pontack, bibens, hinc primum alvi factus adstrictioris & somni inquietioris, post aliquod tempus vero, dolorem lancinatorium in abdomine toto atque etiam lumbari regione expertus est, cum phlogosi, eructatione, pulsuum celeritate & deficiente somno. Medicus primis diebus colicum dolorem esse judicans, carminativa fortiora & spirituosa elixiria, cum oleis destillatis remixta, una cum clysteribus usurpavit, sed inde potius exasperata symptomata, & febre, & inquiete, & dolorum facibus magis accensis. A me quum peteret opem, & conquereretur de dolore tensivo circa os sacrum acuto, quævisi: an hæmorrhoidali antea fuit obnoxius fluxui? respondit: semel tantum ante aliquot annos, sed parciore, cum prægressis lumborum & ossis sacri doloribus. Hinc quum venæ sectionem penitus respueret, mutavi tantum medendi methodum, & loco calidorum, interne dedi humectantia & refrigerantia, pulveres nempe diaphoretico-nitrosos, demulcentes & lenientes clysteres, copiosius applicare jussi, largiter simul & temperate calida sumta ptisana. Levata inde quidem fuerunt symptomata, nihilo minus remansit dolor in imo ventre, ab osse sacro ad inguina sese extendens lancinatorius, multum incommodi faciens. Exhibui igitur essentiam carminativam, cum liquore anodyno & pauxillo laudani opiat, ad mulcendos dolores, & postea dedi drachmam magnesiæ albæ cum drachma dimidia nitri in decocto mannato, inde alvus aliquoties soluta, & quod mirabile.

le, larga portio sanguinis atri, corrupti, foetidi excreta, ita ut intra sex dies aliquot libræ secederent, remittentibus inde mox doloribus & sævis pathematibus. Demum assumptæ pilulæ nostræ balsamicæ, cum pulvere roborante, cujus basis chaccarillæ cortex & succinum. His tum perfecte convaluit, sed vertente anno, adulto jam vere, eundem in morbum cum gravissimis doloribus & intolerandis cruciatibus ad dorsum usque excurrentibus, febre & purpura rubra stipatis, idem hic vir est correptus. Data iterum omnia, quæ levando huic malo antea cum fructu adhibita, administrata etiam in dorso scarificatio, sed frustra. Sexta enim hebdomade, ob somnum plane deficientem, viribus omnibus exutus, vivere desit.

Epicrisis.

Sine ullo dubio vir hic, animo & corpore fortis, intestinorum inflammatione periit. Causa hujus morbi in statum plethoricum, sine sanguinis missione & ommissa simul consueta corporis exercitatione, & in potum copiosum vini rubri, quod adstrictivæ est virtutis, conjicienda, quum alias sanguine & humoribus abundantes, qui corpus nec satis labore exercent, nec sanguinem mittunt, si alvum paulo largius solutam habent, liberi permanere possunt a passionibus ex plethora oriundis. Si vero hæc etiam excretio deficit, grave imminet sanitatis periculum. Prior morbus fluxu sanguinis nigri & coagulati, procul dubio in vena hæmorrhoidali interna congesti, feliciter fuit solutus, id quod etiam in aliis similibus casibus notavi. Contra ea vidi etiam, quod febres intestinales, cum doloribus & spasms abdominis, aliquot jam per hebdomades durantibus, subinde post excretum putridum & corruptum nigrum sanguinem, brevi mors sequuta fuerit. Cæterum non possum non hoc loco hanc observationem de vini rubri Gallici, austeri potissimum, noxa adjicere, quod ipsius frequentiori potui causa multo-

Tom, IV.

rum morborum, quibus Galli inter nos degentes occumbunt, merito sit adscribenda.

OBSERVATIO III.

Ruricola habitior & quadratus, pro-
nus cum ventre ceciderat in truncum
acuminatum, & ex eo exquisitum in
abdomine, paulo supra umbilicum,
perfererat dolorem, cum animi deli-
quio, accensa simul, præcedente hor-
ripilatione & refrigeratione, febre.
Post aliquot dies sanguinolentam &
saniosam per superius & inferius os
ejecit materiam multam, eoque fa-
cto, siluit febris, remansit tamen
languor & appetentiæ prostratio.
Quum vero elapsis circiter 14. die-
bus, domesticis laboribus manum
admoveere inciperet, denuo recruduit
abdominis dolor, animi defectione,
horrore & febre stipatus, cum extre-
morum frigido sudore, ut animam a-
gere videretur. Sequuta tamen diar-
rhœa cruenta & saniosa per aliquot
dies, symptomata iterum mitiora fa-
cta ac remiserunt. Sed vix septem
dierum fuerunt induciæ, quibus cir-
cumactis, priora repetierunt sympto-
mata cum febre, obortoque alvi flu-
xu, conquieverunt rursus. Implora-
tum igitur meum auxilium, qui cre-
briorem decocti avenacei usum, cum
humana, vel canis axungia, butyro
rubro potabili & balsamo Locatelli,
suasi, ac demum decocto herbarum
vulnerariarum, alchymillæ, agrimo-
niæ, saniculæ, pyrolæ, fragariæ, vero-
nicæ, florum bellidis, hyperici aliorum-
que, ex cerevisia, ægrum hunc ad sa-
nitatem, fortunante Deo, traduxi.

Epicrisis.

Celebris ille Italorum Medicus *Ben-
nedictus Sylvaticus*, abscessus subinde
in mesenterio succrescere notavit, &
notatu inprimis digna, quæ habet *Cent.
2. obs. 86.* ubi sic scribit: *mesenterium sæ-
pe fit sentina multorum excrementorum.
Ac obtusi sensus quum sit, diuturnas to-
lerat affectiones, & in quo non raro sub-*

*Diarr-
rhœa pa-
rulentæ
cum fe-
bre ex
lapsæ.*

oriuntur apostemata suppurantia, quæ frequentissime a me fuerunt observata, quæ tandem subsidebant per dejectiones purulentas, iterum statim temporibus recurrebant, & oblitesciebant denuo per similes dejectiones, non raro cruentas, ita ut imposuerint quibusdam, illas pro dysentericis habentibus. In nostro certe ægro, lapsu illo in stipitem acuminatum, quassatus forsitan fuit excurrentis infra ventriculum supra umbilicum coli tractus, quo inductus dolor, raptis etiam in consensum reliquis intestinis, febrem ciens, & per spasmodicam simul stricturam in mesenterii canalibus sanguinem detinens, qui in purulentam postea corruptionem abiit, perrupit & alvo exiit. Latius vero semper serpsit malum, & relicta iterumque commota vicina arrodens materia, mali recursum iterato induxit, donec acrimonia ipsius obrunderetur, abscessus abstergeretur, demumque post semestris spatium, in robusto & agresti corpore consolidationem reciperet.

OBSERVATIO IV.

Febris
iliaca in-
flamma-
toria.

Adolescens 15. annorum, constitutione tener, indole alacris, Bacchanaliū tempore, quotidie duas, vel tres, siccās & duriusculas spiras ingesserat, sub pilæ lusu cum sodalibus admodum incaluerat, & postea, depositis vestibus, ad fluvii ripam confidens, corpus perfrigerarat. Inde paullo post atrocia ventris incurrit tormina, cum alvi pertinaci ad aliquot dies strictura. Implorato nostro auxilio, causam a liberali esu spirarum & corporis refrigeratione duximus, in primis quum in sinistro abdominis latere eminentia quedam dura tactui sese offerret. Suasimus igitur, ut alvus ocyus duceretur clystere emolliente, quo bis alvus stercora dura dimisit; postea dedimus infusum nostrum usitatum manatum, cum oleo amygdalino, quo sex sedes motæ, tumor subsidere & dolorum vehementia remittere visa. Sed sequenti die tormina cum duro in hypogastrio tumore redierunt, licet fla-

tus multi eliderentur; accessit præternaturalis æstus, cum pulsu celeritate, somnus inquietus, oris siccitas & ardor, cum lenta pituita. Hinc fauces gargarismatibus elotæ, & ad æstum inflammatorium restinguendum oblata emulsio ex seminibus quatuor frigidis, cum pulvere nitroso, interposito ad perspirationem secundandam, liquoris anodynici cum momento bezoardici remixti usu. Æstu autem incrementum, an os adeo fuit occlusum, ut clysteris tubulum plane non admitteret, & a crebriori molimine potius læderetur, circa vesperam tamen calor semper fuit intensior ad mediam noctem durans. Adhibuimus pulveres nitrosos cum salibus digestivis, quibus calor mitigatus, & scybala cum flatibus multa emota. Sic decubuit ad duodecimum usque diem, quo tanta anxietas, inquietudo, æstus & virium jactura accidit, ut morti videretur proximus, conquerens maxime de atroci dolore in abdomine, ibi potissimum, ubi durities illa consistebat. Igitur ad arcendam funestam inflammationem potio discutienti ex aqua cardui benedicti, cum aceto, rhabarbaro, antimonio diaphoretico & cancrorum lapidibus data, qua aliquoties usurpata, dolores complacati & sudor proleptus. Imposita etiam ad emolliendum tumorem vesica decocto emolliente plena & clysteres aliquot injecti atque retenti. Hinc ingens stercorum copia quotidie secessit cum emolumento & successive ad sanitatem factus est transitus.

Epicrisis.

Febris hæc recte dici potest iliaca inflammatoria. In ileo enim confedit obstructio, ab esu spirarum siccarum contracta, quæ dolorificos spasmos non tantum in abdomine, sed ad ipsam etiam vesicam excurrentes fecit, ut urina per totum morbi decursum parca & rubicunda tantum cum dolore secederet. Non tam prompte autem extenui hoc intestinum materiam tenacem obstruentem everrere licet, quia clysteres eo non pertingunt & nec laxan-

ria sufficiunt, nec potus diluentes. Hinc morbus diutius protractus. Interea ut intestinorum inflammatio arceretur, data mixtura & inuncta. diaphoresis continua. Quia tamen intestinorum inflammatio quam facile recrudescit, hinc suasi demum, ut non modo exacta servaret diætā, ab omnibus constringentibus abstinere, animum tranquilum haberet, nec frigidum, sed calidum potum assumeret, verum etiam ad tempus aliquod mane infusum accommodum theiforme potaret in lecto, & sudorem blandum expectaret.

C A P U T XIII.

De Febris Lentis, & Hæcticis.

Theses. Pathologicae.

§. I.

*Hæctica
& lenta
que di-
cantur.*

HÆCTICÆ febris apud Hippocratem, Aretæum, veteresque Græcos æque ac Latinos, ipsumque Cornelium Celsum, mentio nulla. Neque lentæ febris nomen in primorum medicinæ parentum monumentis obvium, sed Celsus demum lentarum curationem primus tradidit. Quæ autem postea lentæ & hæcticæ appellatæ, priscis, longæ, tabidæ, marasmi audiunt. Hippocrates, in primis lentas febres Sect. 5. ap. 64. vocat febres longas, iisque affectos non valde multum febrientes, hæcticam vero sub nomine tabis passim describit. Nostro tempore lentæ & hæcticæ febres dicuntur eæ, quæ diuturnæ sunt & continuæ, licet leniori ac remittente, æstu præternaturali, succos corporis consumendo, tabem inferunt viresque debilitant.

§. II.

*Utriusque
differen-
tiæ &
sympto-
mata.*

Magna tamen harum est varietas & differentia, ratione vehementiæ symptomatum & periculi. Strictè nimirum lentæ febres appellantur illæ, quæ mitiora habent symptomata, æstum leniorem, sudorem sub somno largum, pulsum post somnum & ante meridiem naturalem, non tantam ap-

petitus & virium prostrationem, corporisq; ariditatem & urinam livescentem, neque etiam tantum periculi. In hæctica autem æstus est continuus, pulsus sæpe durus, debilis, celer, licet post cibum & vesperi calor, celeritas atq; durities increpant, cutis cum lingua sicca, dura & arida, genæ rubent, totum corpus est imbecillum flaccidum, somnus reficiens nullus, urina rubicunda, inferius cum sedimento, superius cum cuticula cærulescente pinguedinosa, corpus contabescit totum, adeo ut ossa ubiq; prominent. Deinceps eminens est lentarum & hæcticarum differentia respectu utriusq; causæ. In illis enim vitium magis in fluidis & incipiente mala dispositione solidæ cuiusdam partis; in his vero solidæ potius patiuntur, & ipsa jam labes, aut magna corruptela, adest visceris. Hinc lentæ etiam accommodata medicina adhuc possunt abigi, earumque causæ vinci, sed hæcticæ difficillime, vel plane non sanationem recipiunt. Hæcticæ quippe sunt magis symptomaticæ, & gravioribus ulcerationibus, vomitis, abscessibus & viscerum corruptionib; superveniunt. Unde qui phthisi, abscessu, vomica, aut exulceratione pulmonum, mesenterii, renum, uteri, & gravioribus suppurationibus in internis, musculis quoq; abdominis latentibus, qui cancro genitalium, mammarum, uteri, item qui cachexia & hydrope, ex induratione, scirrho, corruptione & putredine hepatis, lienis, omenti, pancreatis & glandularum mesenterii, moriuntur, hæctica febre pereunt omnes.

§. III.

Causa caloris continui his in febribus, nulla alia, quam humor quidam corruptus & putridus. Hic enim temperatæ & naturali sanguinis & humorum vitalium mixtionem penitus adversus, eandemque intestino alieno motu turbat, immutat atq; dissolvit. Idem hic putris succus infestus, plane ac alienus est nervorum fluido nervosisque partibus, & sensibiles has atque motrices partes ad intensiorem contractionem, quæ febris essentiam

absolvit, exstimulat. Igitur quo uberior & diuturnior putridorum & corruptorum ejusmodi succorum ex viscerum vitio insanabili est proventus, eo vehementior febris, eoque graviora symptomata.

§. IV.

*Lente ex
debilita-
se corpo-
ris.*

Lente, sive diurne, mitiores tamen febres, sunt frequentissima, neque ulli ætati, aut temperamento, sexui, regioni, aut loco parcent. Origo vero illarum & causa varia est; sæpissime ex morbo præcedente, & corpus cum viribus nimium debilitante. Experientiæ scilicet testimonio in comperto est, qui per contumaces intermittentes, vel continuas, item variolas & morbillos, effusiora sanguinis per uterum, anum & nares profuvia, per diuturnum alvi fluxum, simplicem æque ac dysentericum, nec non nimiam salivationem, gonorrhœam & fluorem album diuturnum vires perdidere, qui etiam mēre, curis, vigiliis, & assiduis lucubrationibus & studiorum intemperantia, nec non per famem, labores graves & continuos, veneris etiam crebrius exercitium, corporis robur attriverunt & exhauserunt, in lentescences & longas ejusmodi febres delabi facillime. Ratio hujus generationis in proclivi: corpora his perfuncta benignis sanguinis & alibilis humoris succis, sufficienti etiam purissimi & nobilissimi nervorum liquidi copia destituantur, post morbum autem ciborum impensior succedit appetentia, succi tamen intimæ ingestorum dissolutioni fervientes spirituosius, fermentescibiles & salivales, nec non biliosius, a naturali habitu descivere, nec adeo sunt efficaces, vigor quoque motus peristaltici in ventriculo & canali intestinorum languidus est: hinc ciborum liberalius ingestorum non exacta perficitur solutio, concoctio atque digestio, sed succus chylosus crassus, rudis minusque subactus elaboratur, ad sanguinis massam truditur, & aliena sua natura fluidorum crasin temperatam & solidorum æquabilem naturalem mo-

tum turbat atque pervertit.

§. V.

Deinceps perpetua & uberius confirmata observationis est, tabificas ejusmodi febres succedere quam maxime evacuationibus criticis solennibus deficientibus, aut perperam cohibitis. Nihil certe frequentius, quam ut ii, quibus vacuationes acutos morbos & febres solventes, sudor inprimis & aucta perspiratio, intercepte, vel non sufficienter successerunt, quibus sudor consuetus nocturnus siccatus, quibus fonticuli & ulcera antiqua consolidata, quibus catarrhi aliæque per uterum ceteraque organa defluxiones acres repulsæ, quibus alvi fluxus cohibitus intempestive, febribus lentis postea tabescant. Sic enim vitiosi, impuri, inutiles ac superflui humores, cum salute foras excernendi, intus manent, vitales temperatos & nutritios succos inquinant, ut omnis horum massa reddatur intemperata, omnesque in corpore motus ac functiones vitium capiant.

§. VI.

Porro lentarum & hecticarum febrium nidum frequentissime esse in mesenterio, & ratione, & experientia habemus confirmatum. Recte enim jam pridem notavit *Fernel*, & ex eo *Senner*, in nulla universi corporis parte, tã plurimos, latentes etiam morbos, lætas febres, errantes, diarrhœas, choleras, scorbutum, melancholiam, cachexiam, hydropem, intermittentes quoque contumaces, figere sedem, quam in mesenterio. Causa autem magnæ hujus ad morbos concipiendos dispositionis nulla alia, quam quia tardus & impeditus admodum per viscera hoc succorum & sanguinis progressus, stagnationes & stases facillime inducens. Nam vena portæ, pulsu destituta, sanguinem ex mesenterio reducem recipit, ac vice arteriæ fungens, eundem vehit ad hepar, quod quum lentius fiat, in mesaraicis etiam vasis ponitur obex, gignuntur stagnationes, infarctus, quin quandoque plane extravasationes. Dein hæ-

*Ex sup.
pressis
excreti-
onibus.*

Hecticarum & lentarum cur frequens nidorus mesenterium.

larem

larem ductum & longius ab exortu remotum situm, tarde admodum reducit sanguinem ad portæ venam, ac facit, ut is sapius in mesocolo, crassus intestinis, maximeque recto, stagnet, vasaque cum dolore distendat. Ipso in mesenterio propter nervosarum & musculosarum tunicarum defectum, sanguinis cursus plane non adjuvatur & urgetur, sed vasa potius inter duplicatam cellulofam membranam discurrentia, pinguedine tecta, perpetua relaxatione, tæni sunt remissioris, & facile cedunt sanguini in ipsis accumulato. Chylosa etiam lymphæ dum per lactiferos sic dictos canales innumeros, in capillares tubulos circa glandulas fissos, impeditius fertur, ac in ipsis glandulis ab exilissimis venulis recipitur, his in angustiis facile hæret, nec ea propter mirum, mesenterii glandulas sæpe infarciri, intumescere, indurari, ac in scirrhus plane degenerare.

§. VII.

Propter humorum in eo stagnationem & impuritatem.

Licet autem ipse hic tardior succorum per mesenterii compagem meatus, hanc corporis præstet utilitatem, ut humorum, & mole, & intemperie peccantium excretioni serviat, & quidem sanguinis per hæmorrhoides internas, ac serosarum, mucidarum ac fermentescibilium sordium, per intestinorum glandulas innumeras; eandem tamen ob causam accidit, ut quævis fere humorum, tam quoad quantitatem & qualitatem, quam etiam motum vitia, in mesenterium redundent, idque male afficiant. Inprimis plethora nullam partem gravius lædit, quam mesenterium, ac nimia distensione, vasorum tonum & elatorem debilitando, ibi stagnat, & cum detrimento plus justo coacervatur. Nam quo major in mesenterio sanguinis stagnatio, eo magis increfcit ipsius impuritas; quo major vero sanguinis & lymphæ sordities, eo magis functiones in corpore labefactantur, nutritio imminuitur, vires elanguescunt, intestinus in succis motus augetur, as-

teria cum corde ad auctiorem & celeriore motum exstimulantur, & sic febris accenditur.

§. VIII.

Quæ quum ita sint, ratio est in proclivi, quare suppresso, aut deficiente mensium in foeminis fluxu, notante Hippocrate lib. 2. prædict. §. XIII. periculosa tabida, id est, heclicæ febres emergant, chloroseos, aut febris ictericæ albæ nomine, passim obvia; quare porro in viris subsistit, insufficiente, aut plane præpostere cohibito hæmorrhoidum stillicidio, juxta eundem Hippocratem Sect. 6. aph. 12. tabes, id est hectica, generetur. Cur etiam, ut supra jam meminimus, constipatis salutaribus alvi profluviis, quibus sæpe acuti morbi finiuntur, & quæ crebro critice certis anni temporibus naturæ beneficio succedunt, tabidæ & periculosa febres subnascantur. Neque minus causa patescit, cur tam perniciosum, & ad chronicas, lentas etiam & heclicas febres ingignendas nihil sit aptius, quam, si quando, in corporibus præsertim plethoricis, cacochymicis item & hypochondriacis, ubi jam admodum tarda & impedita sanguinis per mesenterium & connexa viscera progressio, intempestive adstringentibus, etiam famigeratissimo chinæ cortice sistuntur febres intermittentes, quæ in his salutarem ad superfluum consumptionem, vasorum obstructions expediendas, & liberum sanguinis progressum reddendum habent facultatem, quibusque oppressis, infarctus in mesenterii tubulis, oppilationes, humorum stagnatio & impuritas increfcunt, ac postea liberale chronicis & assiduus febribus aliisque morbosis passionibus pabulum præbent.

§. IX.

Neque vero tantum ad stagnationes & obstructions dispositum admodum est mesenterium, verum etiam ad suppurationes & abscessus concipiendos, quibus perpetuo fere accedit intem-

A suppressis mensibus, hæmorrhoidibus, diarrhæis & febribus.

Abscessus in mesenterio formati.

temperies quædam febrilis. Sunt quidem plures, qui autumant, inflammationes, sine quibus nulla suppuratio, nullusque abscessus fieri potest, in mesenterio non habere locum, quia in eo nec dolor acutus, nec ardor, perpetui inflammationum comites, observantur. Verum essentialis inflammationis ratio non ardore & dolore continetur, sed stasi humoris sanguinei in vasis alienis facta, & staseos potius productus est dolor cum ardore, si illa in parte nervosa, exquisitoris sensus consistit. Stases autem & extravasationes humorum cum oriundis inde suppurationibus, perquam commode fieri possunt in mesenterio, ob decubitus ibi solennem, dum vel ex arteriolarum minimis ramulis sanguis sæpe cum impetu in laterales tubulos, e quorum numero etiam pinguedinosi, urgetur, vel etiam ipsa hæc lateralia vascula ab impetu humorum rumpuntur, & contentum liquidum effundunt. Ne dicam, nullibi facilius & commodius pus gigni, quam in partibus pinguedine uberius obsessis, eo quod ipsa pinguedo, motu intestino & putrido humoris extravasati, promissime in liquamen saniosum convertitur.

S. X.

Eorum signa & causa. Igitur frequentiores, ut vulgo putatur, in mesenterio sunt abscessus, cognoscendi ex febre continua hectica, dolore gravativo & fixo in abdomine, & saniosa materiæ per alvum cum intestinorum dolore & ardore excretionis: quæ autem ad ingignendos hos faciunt, notavi multa. Observavi frequentius, in plethoricis, plethorico-cachymicis, necnon hypochondriacis, a vehementi ira, præsertim paulo ante, vel post cibum, tanto magis accedente simul refrigeratione, corpus languore fuisse affectum universali, & successisse febres tabificas exitiosas. Idem vidi in iis, quæ validioribus pelilentibus abortum procurare intendunt, quando medici mensum suppressi-

sione laborantes calidis & fortioribus emmenagogis, vel purgantibus exceperunt, nec non in viris, quando hæmorrhoidalem fluxum, natura repugnante minusque proclivi, aloeticis aliisque calidis pellentibus emovere fuerunt conati. Novi etiam, crebrius subortas esse has ex abscessu febres, in sanguine & succis plenis, a vehementiori insueta corporis ad validum usque sudorem exercitatione, subsequente postea improvida refrigeratione corporis totius, ac in primis pedum, quorum ingens cum abdomine consensio.

S. XI.

Nimirum tam validus & vehementi, sive per animi affectus, sive pharmaca, sive corporis exercitationem, motu, sanguis in minima mesenterii vascula cum impetu urgetur, stagnat ibi, in alienos tubulos vadit, subsistit ibi atque corrumpitur. Hinc prima origo suppurationis, quæ dein propter motum intestinum latius serpit, vicina arrodit, exedit, ut ex abscessu minori fiat major, ampla cavitas, magnumque apostema. Quia materia saniosa corrupta, a venis resorpta, & sanguini infusa, sæpe etiam ad alia emunctoria, glandulas tracheales, necnon renes, fertur. Unde amplo in mesenterio apostemati jungitur sæpe urinæ fluxus purulentus, vel etiam sputum purulentum, integris renibus salvoque pulmone. Quandoque ipsum pus pondere suo per mesenterii poros descendit ad intestina connexa, cavum ipsorum subit, sicque alvo expurgatur. Quandoque etiam apostema majus dehiscit tandem, & præcedente horrore, interdum etiam rigore, cum superveniente aestu, perrupto involucri effunditur. Quod si in loco excretioni minus idoneo contingit, atrocia quasi colica tormina oboriuntur, si in cavum abdominis, interna quæ tangit, male afficit, rodit & gangrænam eiusdem inducit, si vero in intestinorum cavitatem, pus copiosum simul & semel per alvum exit.

Generatio
ratio
decur-
sus.

exit. De qua puris excretionē historias consignarunt *Horstius lib. 14. observ. 25. & 26. Bartholinus Cent. 2. epist. 23. Cent. 6. epist. pag. 490. Cent. 4. hist. pag. 96. necnon Tulpus lib. 2. obs. 36.*

§. XII.

Symptomata.

Febres autem quæ grandes ejusmodi abscessus in mesenterio æque ac aliis visceribus, hepate, pancreate, renibus vesica & utero, comitantur & sequuntur, non sunt mites & lenes, sed graves, quæ vires & succos corporis consumunt omnes, hectica lethales. Quæ quomodo incipiant, decurrant, & quibus symptomatibus stipentur, accurate & ex vero prodidit *Hippocrates li. de intern. affect. pag. 209. febris*, inquit, *debilis invadere incipit & rigor, dolent pectora ad dorsum, aliquando etiam tussis premit acuta, & expuit salivam multam liquidam & salsam. Et hæc quidem in principio morbi: in progressu vero corpus attenuatur, cruribus exceptis. Hæc enim intumescunt, & pedes, & ungues contrahuntur, ex humeris autem tenuis & debilis est, & fauces velut lanugine implentur, & velut per arundinem sibilat, & fortiter sitis per totum morbum & multa impotentia corpus habet. Hic quum sic habuerit, in anno corruptus male perit, verum studium quam maxime adhibere oportet ac reficere.*

§. XIII.

Lenta infantili.

Aliud lentæ remissioris & occultæ febris genus est infantibus familiarissimum. Jungitur cum insigni abdominis tumore, superiorum marcore, tussi sicca, virium prostratione, inappetentia & vago æstu, post cibum sumtum & circa vespertinam ingravescente, alvo interdum adstricta, interdum etiam fluxa, alba multa & mucida dimittente. Nasceitur hæc febris quandoque a succo chyloso nimis viscido, tenaci, villosa intestinorum tunica & minima lacteorum oscula obstruente, quo inflatio intestinorum & chylosa diarrhæa inducitur. Nonnunquam ortum trahit a lymphâ nimis viscida, lentâ, quæ

glandulas mesenterii farcit, obstruit, magis magisque accumulata mirum distendit. Occasionem autem ad gliscientes has febres potissimum præbent nimia infantum voracitas, cibi, qui chylum reddunt crassum, defectus tenuis potus, corporisque refrigeratio. Quæ vero corripuerunt, diu detinent corpora, nec sicuti omnes, quæ ex obstructione & glandularum nervæ substantiæ nimia expansione oboriuntur febres, periculo carent, sed nisi convenienti medicina occurratur cum vivendi ratione, infantes perimunt, inventis post mortem plerumque glandulis mesenterii ingentis magnitudinis, intestinis inflatis & tumidis, ac pulmonibus corruptis.

§. XIV.

Quæ senibus solennis atque fatalis est hectica, græco nomine dicitur *μαρasmus*. In hoc lente attenuatur corpus, appetitus perit, vires sensim consumuntur, ossa carne privantur, ut instar sceleti pelle induti appareant, os siccum est, saliva glutinosa, exterior cutis cortex friget, riget, arefcit, interiora ardent, pulsus durus & frequens est, somnus parvus & non reficiens, spiritus ægre ducitur, vox rauca fit, lingua exsueca, & salsa lenta pituita incrustata sæpe, ac omnia hæc sensim que ingravescunt, donec post dimidium circiter anni vitam ipsam eripiant. Generatio senilis hujus hecticæ sic nobis concipienda videtur: senes ob vitam motus expertem & excretionem in omnibus emunctoriis, præsertim subcutaneo, languescunt, alvumque tardiozem, omisam etiam ex vano metu haud raro suetam sanguinis missionem, ingentem subinde sanguinis & impurorum humorum sibi colligunt copiam; hæc præsentem, tardissima fit succorum per mesenterium, omentum, per hepar quoque, lienem & intestina progressus, vasa farciantur, obstruuntur, sequuntur indurationes, & demum corruptiones, febrium chro-

Marasmus senum.

chronicarum pernicialium genetrices paratissimæ.

§. XV.

*Hæctica
stomachica &
intestinalis.*

Demum lentæ febris species adhuc superest, parum ab auctoribus notata, quæ nobis stomachica audit & intestinalis. Ortum hæc ducit a tunicarum ventriculi & intestinorum erosione, inducta vel ab acri bilioso mordaci succo, in ipso corpore genito, vel ab assumptis acrioribus, rosiua virtute præditis. Testatur enim experientia, post choleram, vel vehementem iracundiam, item dysentericum morbum, longas sæpe & exitiales succrescere febres. Venena assumpta stomachum cum intestinis corrødere, novit nemo non. De exulcerato stomacho a forti purgante, cum maximo post cibum dolore, testis est *Bartholinus Cent. 6. hist. 21.* Idem faciunt emetica improvide data, ipsa salia amara purgantia, vel sola liberalius exquisitius sentiētib; oblata, vel, uti imprudens quorundam consilium, acidulis indita adhuc & sumta. Sed difficulter hæ febres, quoad suas causas & sedem, dignoscuntur, & difficulter etiam sanationem admittunt. Nam læsis arrosisque ex parte intestinorum tunicis, omne quod assumitur, præsertim salsedine, aut acore imbutum, vel etiam mole nimium eadem male afficit, spasmos, eructationes, tormina facit, alvus interdum laxa, interdum stricta est, corpus simul tabescit, mox horror & rigor, mox æstus, mox frigidus, mox calidus sudor tenet, cum celeri pulsu, ipsaque symptomata certis horis periodice redeunt & ingravescent, quin nisi congruis remediis tempestive occurratur, morbus fit longus & capitalis.

§. XVI.

*Signa
lethalia
& mor-
tis cau-
sæ.*

Cæterum lentæ hæ & tabificæ febres ex longis sunt morbis, qui ægros diu tenent, & pro constitutione corporis laborantis, modo citius, modo serius finem sortiuntur. Lenta quidem, si tempestive occurratur, medicationem admittit, hæctica autem raro & perfe-

cta plane non. Mortis autem indicium in lethali hæctica fuerunt, pulsuum continuo celeres & debiles ictus, summa appetitus & virium quoque maxima prostratio, ita ut laborantes nec corpus movere, nec in situ erecto permanere possint, facies Hippocratica, urina pauca, rubra, vel oleoginosa, sine sibilo emissæ, capillorum defluvium, alvi fluxus, sudor effusus, & pedum tumor, quippe quæ de succorum partim consumptione, partim colliquativa dissolutione testimonium præbent. Qui demum moriuntur, magnam & insuperabilem viscerum labem post mortem dissecti exhibent. Quandoque enim adsunt ingentes cum amplis cavitatibus in visceribus abscessus, in pulmone, mesenterio, hepate & pancreate, quandoque etiam in utero, ventriculo, renibus, nec non membranarum peritonæi, abscessus deprehenduntur, vel magni tumores scirrhusi, aut ingentis magnitudinis steatomata; quandoque etiam tumores glandularum in mesenterio, vel tubercula & vomica in pulmonibus, hepatis quoque lienis, vel pancreatis scirrhescentiæ, omenti & intestinorum sphacelationes & putrium humorum extravasationes in interaneis offenduntur.

C U R A T I O.

Cum

*Cautelis & Observationibus
clinicis.*

§. I.

Quum variæ tabidarum febrium *Curatio*
sint causæ, variæ sedes, hæ primo *lethæ*
omnium recte investigandæ, & iisdem *ex cru-*
medicatio accommodanda. Igitur *ditati-*
quando ex prava digestionem & inde *b;.*
enatis crudis ac lentis primarum viarum succis, post morbos febris ejusmodi succrescit, cognoscenda ex languore, interno æstu, continua ad iudandum proclivitate, in volis manuum

num præsertim ac plantis pedum, eo dirigenda curatio, ut prima regio a fordidibus, febris fomite, liberetur. Perfici potest hoc pro circumstantiarum ratione leni emetico, quale præbet radix hypecacuanhæ, in pulvere, aut infuso data, & testatur *Lindanus*, se uno vomitorio, & hinc cum elixir proprietatis, intra quatuor dies, curasse hecticam. Si autem præstat materiam vitiosam per os inferius educere, simulque digestionem prospicere, ex usu sunt scilicet foliata tartari, nitrum antimoniatum, sal polychrestum, tartarus vitriolatus, solutio oculorum cancri, sal Sedlicense, vel sola, vel cum dimidia parte pulveris rhabarbari electi mixta, parcius, sed crebrius, cum sufficienti vehiculo oblata. Eandem blande laxantem simulque egregie roborantem virtutem habent pilulæ balsamicæ, a *Bechero* dictæ, quæ ea propter utiliter aliquoties, sed minori dosi, deglutientur. Ex purgato autem alimentari canali, subjungenda postea analeptica & stomachica, inter quæ præ reliquis commendamus essentiam chaccarillæ & gentianæ rubræ, item elixir nostrum stomachale cum spiritu salis, aut nitri dulci, paullo ante cibum quotidie sumenda, non neglecto commodo corporis motu & salubri potu, præcipuo harum febrium præsidio.

§. II.

Post morbos & febres suppressas.
Eadem hæc medendi methodus ap-
prime est accommodata in principio il-
larum gliscentium febrium, quæ post
intempestive oppressas intermittentes,
aut suffocatas præpostere harum
recidivas obrepunt. Si autem his no-
lit discedere lenta febris, optimum est
consilium, ut ipsa prior febris resuscite-
tur, tanto magis si suspicio est infarctus
viscerum & mesenterii, ut in cachecti-
cis & hypochondriacis. Prisca jam hæc
fuit *Celsi* methodus, quam *lib. 3. cap. 9.*
describit: in hoc casu cura Medici esse
debet, ut morbum mutet. Fortasse enim

curationi opportunior fiet. Sæpe igitur
ex aqua frigida, cui oleum sit adjectum,
corpus ejus pertractandum est, quoniam
interdum sic evenit, ut horror oriatur, &
fiat initium quoddam novi motus. At,
pergit, si diu frigus est, & torpor, & ja-
ctatio corporis, non alienum est, in ipsa
febre dare mulsi tres aut quatuor cya-
thos, vel cum cibo vinum bene dilutum.
Intenditur enim sæpe ex eo febris, &
major ortus calor, simul & priora tollit
mala, & spem remissionis, inque ea cu-
rationis, ostendit. Sed, concludit, est cir-
cumpecti hominis, & novare interdum,
& augere morbum, & febres accendere,
quia curationem, ubi id, quod est non re-
cipit, potest recipere id, quod futurum est.
Nam sicuti auctior sanguinis circulus
in intermittente sæpius optima est
medicina causæ, quæ febrim efficit: sic
etiam lentæ febris causam, quæ fre-
quentissime latibulis partium solida-
rum, glandulis maxime & vasis me-
saraicis, altius infixæ est, expedit ac tol-
lit. Hinc si intermittentibus, præsertim
quotidianæ succedit lenta febris, inter-
mittens mox revocata, quod aliquoties
a vento boreali, a spero, lumbis liberius
admisso, accidisse novi, calor intensior
redditus, adhibitis simul congruis inci-
dentibus & temperantibus remediis,
morbum cum tempore ex voto solvit.

§. III.

Quando in plethorico-cacochymi-
cis, cachecticis scorbuticis, a mensum, *Ex vitiis*
vel hæmorrhoidum obstructione, ni- *hypo-*
mia voracitate, mala diætâ, potuum *chond-*
spirituosorum abusu corporisque re- *riticis.*
frigeratione, lentescentes hæc febres o-
boriuntur, alia medendi via incun-
da, & usurpanda ea, quæ viscera
sanguinea, hepar, lien, mesente-
rium, vasa & glandulas ab obstru-
ctione liberant, & expeditum sangui-
nis & humorum per abdomen, &
maxime mesenterii vasa, commea-
tum procurant. Hunc in finem spe-
ctatæ virtutis aquarum mineralium,
tam acidularum, quam thermalium,
usus.

usus. Ipse ego longo usu & experientia edoctus scribo, quod ad eradicandos ejusmodi lentos morbos, non certius deprehenderim auxilium, fontibus medicatis, & idem proprio exemplo confirmat *Thonerus observ. pag. 173.* Præ reliquis autem hoc nomine salubritatis laudem ferunt, ex thermis Emsenses & Wisbadenses, ex acidulis Schyvalbacenses & Selteranæ. Opus tamen est, ut debito ordine, tempore, ac docti usurpentur, junctis simul idoneis remediis, quæ digestionem juvant, spurcis corporis luccis temperatam balsamicam indolem reddunt, & sordium e corpore egressum secundant. Ubi autem salubrium harum aquarum copia non datur, surroganda alia similis virtutis præsidia. Ego quidem loco illarum sæpe cum fructu usus sum decocto ex jusculo carnis vitulinæ tenui, cum radice cichorei, sceniculi, asparagi, graminis, taraxaci & scorzonæræ, ita quidem, ut quotidie ejus mensuram, per aliquot hebdomades bibere jufferim, & ante potum assumere medicamentum martiale probe elaboratum, cujus generis suggerit tinctura martialis cum succo pomorum Borsdorsianorum, cynodiorum, nec non aurantiorum, item tinctura martis *Zwelferi*, ex vitriolo martis & terra foliata tartari cum spiritu vini extracta, nec non tinctura florum salis ammoniaci martialium, qui cum hæmatite parantur, si cum spiritu vini purissimo, vel melius corticibus aurantiorum imbuto, in tincturam aurei coloris, saporis gratissimi, virtutis præstantissimæ extrahantur. Sed necessarium est, ut tum sub horum, tum aquarum medicatarum usu, exquisita vivendi ratio & salubris diæta accedat, simulque corporis motus imperetur.

§. IV.

Ab erosione
ventriculi &
intestini
morum.

Quæ ab intestinorum & ventriculi erosione accidit febris lenta tabescens, omnia acra salsa, acida, stimulantia, seu venenum experitur, ipsum Rhena-

num vinum propter acorem non fert, dulcia etiam & fermentescibilia, nec non omnes difficilius solutionis cibi eandem exarcebant. Curatio vero difficillima est, nec alia poscit, quam demulcentia & roborantia. Ego aliquoties decoctum lactis cum ligno sassafras & cascarillæ cortice, aut floribus chamomillæ & summitatibus millefolii, quotidie ad mensuram potum profecisse novi. Tum quoque radices althææ & juscula cum oryza & lacte decocta proficiunt, tragacantha etiam cum aqua menthæ soluta. Conducunt præterea clysteres ex lacte, cum vitello ovi, terebinthina & melle, aut alii emollientes cum syrupo de althæa *Fernelii*. Et quando spasmi simul in abdomine urgent, egregie eosdem demulcent pilulæ nobis usitatæ, antispasmodicæ, ex extracto chamomillæ, millefolii, oleo nucistæ, extracto croci & castorei.

§. V.

Porro gliscens illa & tabifica febris, quæ oritur in iis, qui diuturno animi affectu, mœrore, cura, nimio labore, vigilia, inedia, crebro & intempestivo veneris exercitio, a nimia salivatione, a fluore albo & gonorrhœa diuturna, ab effusiori alvi profluvio, lactatione nimia, ulceribus multum purulentæ materiæ plorantibus, & vires & roscidos succos perdiderunt, omnia sanguinem commoventia, & alvum stimulantia, motum etiam corporis impensiores, alimenta quoque gravis materiæ nimiumque, ut ita dicam, substantifica, interdicit, & poscit potius animi corporisque quietem, alimenta & medicamenta temperatiora, quæ acrimoniam demulcent, calorem restringunt, blande nutriunt, & vires labascentes refocillant. Horum in numero sunt emulsiones. ex amygdalis dulcibus, pineis, seminibus quatuor frigidis majoribus, cum decocto cornu cervi, aqua rosarum & cinnamomi cydoniata confectæ, lac asininum &

mu-

muliebri solum, aut caprillum, vel vaccinum decoctum, cum succo cancrorum fluviatilium, jus pulli cum ptisana mixtum, ptisana decocta cum cancris fluviatilibus, vel etiam testudinibus remorosis contusis, ex commendatione potissimum *Amati Lusitani Cent. 2. cur. 53.* qui curavit hefticum per pullorum gallinaceorum testudinibus nemoralibus saginatarum usum, & lactis asinini potum. Sunt qui ostreas commendant, si stomachus fert, & confirmat hoc notabili exemplo virginis viginti annorum ex pulmonum labe heftica, *Lindanus, supra Hartmannum*, quæ largo & diuturno ostrearum usu, tam perfecte convaluit, ut postea diu supervixerit & octo liberos pepererit. Vinum non nisi modice concedatur, & hoc quidem Necarinum, aut Mosellanum, lymphatum. Accedat quoque motio corporis lenis, per gestationes & deambulationem lentam.

§. VI.

Quando harum febrium origo est a nimio abusu liquorum inebriantium, vini, spiritus vini, aquarum sic dictarum vitæ, vini adusti, cerevisiæ quoque spirituosioris, cum corporis contabescencia; tunc pariter vitentur omnia calefacientia, spirituosa, analeptica, incidentia pituitam & stomachica, cum cerevisiæ potu, sed usurpetur loco potus decoctum avenaceum, methodo Lovveriana paratum, ex avena, radice cichorei, floribus papaveris rhœados & paxillo nitri antimonijati. Tum quoque utile serum lactis, cum paxillo nitri, item lac ebutyratum, quibus multum tribuunt *Piens de febr. part. II. pag. 61. & Barbatus de sangu. & sero pag. 110.* His etiam conducunt ptisana cum hordeo & cichoreo, & affirmat *Borellus Cent. IV. obs. 89.* multos hefticos, tantum non desperatos, solo frequenti hordeatorum usu, fuisse restitutos. Neque minus locum habere possunt emulsiones dilutiores, ac gelatinosa, cum succo citri condita.

§. VII.

Si, uti frequentius incidit, harum febrium origo in fœminis est a subita mensium suppressione, per potum frigidum, refrigerationem, aut terrorem, ocysime vena pedis aperienda, & decoctum quoddam resolvens, ex radice cichorei, herba sonchi, floribus bellidis minoris & sambuci propinandum, & omittenda omnia fortiora emmenagoga. Quod si autem prognata ab hac causa lenta vel heftica febris diu jam corpus tæbe & fervore afflixit, neutiquam suadenda, sed potius interdicens est sanguinis missio, quia vires nimium debilitat. Ubi etiam a partus tempore menses plane subliterunt, & vera jam adest heftica, cum atrophia, tussi, diarrhæa, pectoris difficultate, universali corporis languore & calore lento consumente, non de remediis menses pellentibus cogitandum, sed symptomata contrarium potius indicant. Idem tenendum de illa tabifica debilitante febre, quæ a fluxu hæmorrhoidali retento, aut obstructo, ortum ducit. Tum quippe si vires & succi jam consumti, imprudens plane est molimen, ad evocandum fluxum evacuantibus & pellentibus aloeticis, aut sanguinis missione in pede uti. Observavi enim sanguinem valde fluidum & coccinei coloris fuisse evocatum, sed paullo post febrem accensam, vires prostratas, turbatum, & citius, quam quidem fieri potuisset, ad lethalem eventum mortuum promotum.

§. VIII.

Quæ senibus solennis heftica, marasmus dicta, melius avertitur, quam curatur. Quam vero attentam observatione constet, senes duplici ex causa tabifica febre implicari, scilicet vel ex plethora, sive potius sanguine & crasso, & copioso, abdominis viscera ipsaque mesenterium infarciens & obstruente, vel ex cacochymia, si copia feri impuri falsi, ob insufficientem ipsius, maxime per cutem, excretionem,

Ab in-
men-
tu,
Et hæ-
morrh-
oidum
successu

Maxi-
mi se-
nitatis
evacua-
tio.

Ab in-
ebrian-
ti um
spirituo-
sorum
abusu.

nem, ad binas has causas dirigenda utique cura præservatoria. Quod si itaque senex vitæ quietæ & sedentariæ addictus, appetitu tamen ciborum adhuc valens, omissa, vel plane neglecta sueta alias sanguinis missione, vel emanante etiam spontanea sanguinis excretionem, & metus est, ne incurrat in lentum, continuum, debilitantem & tabefacientem calorem; id quam maxime agendum medico, ut sanguinis plenitudinem, tempestiva venæsectione minuatur, diluentes salubres potus largius bibere suadeat, abstinentiam a cibis nimium nutrientibus ac convenientem corporis motum serio injungat. Si vero senum succi impuri & a blanda naturali indole alienis particulis scatent; nihil aliud agendum, quam ut per clementissima laxantia, rhabarbarina, mannata & passulata, sordes, spurcitiem humorum foveantes, evocentur, & temperati roscidi succi rursus ingenerentur, per usum gelatinarum & lacticinia, maximeque asinum lac, quod utique senili ætati, ob demulcentem, aperientem & leniter evacuantem facultatem, est saluberimum.

§. IX.

*Tabis
infanti
medica-
tio.*

Quæ infantili ac puerili ætati infesta est ac funesta lentescens febris, relinquatur potissimum post variolas & morbillos, ventre simul tumefacto, superioribus autem penitus contabescantibus, & in dissectis eadem defunctis, mesenterium plerumque tumoribus duris, scirrhis & steatomatibus, præsertim circa venas, quæ ad portam excurrunt, & pulmones tuberculis ac vomiciis conspiciuntur obsessi. In hac consultius etiam mali insultum avertere, quam præsens abigere, quod nunquam non irritum esse solet atque frustraneum. Quæ autem tabes in infantibus ortum trahit ex nimia voracitate, siue addiphagia & refrigeratione corporis, medicationem admittit. Ego quidem non certius in hac novi auxilium, quam externe usum balnearum

aquæ dulcis temperaturum, aliquandiu continuatum, & interne, ad expediendas obstructions glandularum, venarum mesaraicarum & lactearum, crebriorem, sed parciorum usum liquoris salini aperitivi, ex sale tartari, nitro arcano duplicato, æquali pondere mixtis, & addita dimidia parte salis ammoniaci, cerevisiæ potandæ insillati.

§. X.

In omni autem hectica haud possit. *Lac ut
sile est.* ma eo tendit indicatio, ut roscidum illud humidum, quod calor continuus non modo ex sanguine, sed etiam ex tubulis solidis, & una cum hoc ipsam tandem carnem atque pinguedinem absorbit, resarciatur. Huic scopo quam maxime satisfaciunt, alimenta medicinali simul virtute instructa, inter quæ palmam fert lac ipsum. Nam priscum est Hippocratis *Secl. 5. aph. 64.* præceptum: *convenit lac exhibere tabescentibus, non valde multum febrientibus, & in febribus longis, & debilibus, & præter rationem consumptis.* Optimum humanum, quod promptius consumptum restituit humidum & calorem extinguit, idque ex mammillis suctum, ne ab aere vitietur, quo hecticam curatam esse, fidem facit *Forestus lib. 5. obs. 10.* Asininum minus quidem nutrit, sed magis refrigerat, calorem temperat, abstergit, & aperit, ejusque præstabilem facultatem laudat mirifice *Ballonius lib. 1. pag. 236.* integro consilio pro illustri Principe, qui pronus erat ad tabem. *Cardanus fol. 323.* dubium non est, ait, *quin tota sanitas tabidi consistat in adhibitione lactis asinini.* Et *Areteus lib. 2. de cur. acut.* tabis curam ita instituiere suadet: *si quis in tabem prolabitur, tunc terendum tempus non ea quiete & victu tenui, sed æger ad motiones traducendus, per gestationes, frictiones, & lavacra, quo vitæ residuum a morte vindicetur, augeatur & recreetur. Propinandum vero etiam est lac, maxime*

xime mulieris, quæ proxime peperit puerumque nutrit. Hi namque alimento, ut nuper in lucem editi pueri, egent. Si lactis humani copia non datur, aſinæ, quæ non pridem peperit, lac accipito. Tenue eſt enim & fluxile huiusmodi lac. Efficacius nutrit caprillum & vaccinum, ſed gravius eſt, multumque caſeoſæ ſubſtantix habet, ideoque ne ventriculus male afficiat, corrigendum.

§. XI.

Qua me
thodo ſi
uſurpā
dum.

Mihi præ reliquis placuit Hippocratis lacte utendi methodus, quam de intern. affect. pag. 209. ſic tradidit: dandum eſt & lac aſinum coctum ad ſupurgationem, bibat etiam crudum lac bubulum, tertia aque mulſæ parte admixtum, per 45. dies, admixto etiam origano. Recte enim gravis hic auctor paſſim ad lenem purgationem commendat lac aſinum coctum, quia ſal ipſi ineſt dulce inſtar ſacchari, abſtergens leniter & laxans, quod coctione diſſato humido, concentratur magis. Origanum autem adjicere præcepit proculdubio ad roborandum ſtomachum & genus nervoſum debilitatum. Ego, ſi lac aſinum haberi nequit, ita lactis curam adornare ſoleo, ut præcipiam primum, per duos, vel tres dies mane potare lac e vaccis herbis recentibus & appropriatis paſtis multum, ad libræ unam, in qua uncia manna, aut ſacchari roſati, vel conſervæ roſarum diſſoluta. Dein menſuram ſolius lactis quotidie bibere præcipio, addendo ſacchari unciam dimidiam & nitri drachmam dimidiam. Pro circumſtantiarum ratione, præſertim ubi ſuſpicio labis in meſenterio, aut exulcerationis in viſcere interno, lacti confundo ad dimidias, vel tertias, aquam, aut puram fontanam, aut longe melius Selteranam mineralem. Hac vero deficiente, aquam communem infundere ſuadeo cum veronica, ſoncho, pulmonaria, hepatica, muſco pulmonario, tuſſilagine, hedera terreſtri, ſcolopendrio, capillis veneris, floribus hyperici & roſarum.

Tom. IV.

& infuſum hoc cum tantundem lactis, vel caprilli, vel bubuli calide bibere, adjecto ſaccharo, & pro meliori abſtentione, aliquot guttis olei tartari per deliquium. Cura hæc minimum per ſex hebdomades continuanda, ac interea vitanda omnia, quæ ſtomachum gravant, debilitant & lac coagulant. Vinum quoque ex toto circumcidendum, & non aliud ad ſtomachum fovendum concedendum, quam parvum Hungaricum, aut muſum ex melle Boruſſico conſectum.

§. XII.

Antequam tamen cura lactis inſtituatur, videndum eſt, an ventriculus illud ferre poſſit. Sunt enim nonnulli, qui lac a natura penitus averſantur. Notavi etiam, quod qui diutæ vinoſæ dediti, cereviſiam largius potant, lac commode ferre nequeant. Neque accommodum eſt hypochondriacis, neque ſi febris vehementiſſima & cephalalgia junctæ. Si ſtomachus languidus & obſtructa meſaraica vaſa, corrumpitur, facile in vappam abir, magnaſque creat incommoda. Videndum igitur, ne in ventriculo deſideat, ad quod advertendum, Galenus lib. 10. ſimpl. medic. præcipit, ut coquatur, & chalybs ignitus, aut ſilices candentes, injiciantur. Tutiffimum autem lac aſinum, ſero plus redundans, minusque caſeoſæ ſubſtantix habens, quod etiam Galenus in heſtica præfert; cujus ſaluberrimam virtutem peculiari diſſertatione, de mirabilis lactis aſinini uſu in medendo excuſſi. Quod ſi tamen aſinini lactis copia non eſt, ſubſtitui poteſt ſerum lactis dulce, methodo a nobis deſcripta in diſſertatione de ſeri lactis virtute longe ſaluberrima paratum. Sunt etiam, qui lactis ſerum in B. M. deſtillant, & proleſtam deſtillatione aquam mirifice dilaudant, tam potam, quam loco vehiculi aſſumendorum medicamentorum.

Et ſub
quibus
caute,
ſic.

V

§. XIII.

§. XIII.

*Adstrin-
gentia &
leniter
roboran-
tia pro
sunt.*

Porro in hisce suspectis febribus providendum, ut crasis & mixtio ipsius sanguinis, ab intima dissolutione & colliquatione elementorum, quam continuus calor minatur, vindicetur & æquilibrium inter calidum, & humidum conservetur. Hunc in finem salubria, a medicis passim laudata leniora adstringentia & roborantia. Celebres hoc nomine tincturæ, sive potius solutiones coralliorum, aut matris perlarum, cum acido subtili & naturæ amico, uti est succus citri, berberum, aurantium, vel pomorum Chinesium. Utilis quoque tinctura rosarum, cum aqua rosarum, & phlegmate vitrioli parata. Quæ leniter adstringunt & roborant, sunt species de hyacintho, quæ cum aliquot granis coralliorum, & nitri, colligativos sudores egregie compescunt. Magnæ etiam virtutis elixir nostrum balsamicum temperatum ex gummatibus resinosis temperatis, & extractis, sine vini spiritu paratum. Nec omittendus chaccarillæ, & ipse quoque chinæ cortex, si cum syrupo acetositate citri, aut nucis Indicæ, adjecto nitro, in electuarii formam redigitur. Proficit etiam bolus rubra fabrilis, cum conserva, vel julepo rosarum subacta. Hæc enim omnia ad levandas ejusmodi lentas febres, si prius humorum & viarum vitio prospectum, eximia virtutis, eorumque rectus usus merito commendandus. Quin novi plures, & hecticos, & phthisicos, his diu fuisse servatos.

§. XIV.

*Non sa-
turnina
metalli-
ca.*

Quæ autem a chymiatris ad hecticum calorem, & adversus sudores passim laudantur saturnina, encomia minus sustinent, sed propter metallicam, adstrictivam, nervis inimicam virtutem, tono ventriculi, & intestinorum sunt contraria, & certius ac plus nocent, quam prosunt. Hinc rejiciendum saturni saccharum, & quæ præ omnibus celebratur, parata ex hoc antiph-

thistica tinctura Græmmanni. Antihecticum vero Poterii, si rite ex stanno puro, nitro & antimonio paratur, & cum emulsionibus datur, non tam noxium est, ut quidam putant, sed ob blandam roborantem diaphoreticam virtutem, utile omnino. Neque enim stannum, propter blandum quod fovet sulphur, nervis est inimicum, nec adstrictivum, uti quidem plumbum. Gravis de salutari facultate antihectici hujus testis est Muraltus disertis verbis in *M.N.C. Dec. 2. An. 1. obs. 109.* ita scribens: *diaphoreticum joviale, sive antihecticum Poterii, ad demulcendam acritudinem humorum matricem, & nervos irritantium, mirum quantum valet. Idem iterum corroborat, sæpe ex emaciatiss & debilibus, quadratos & robustos facit.*

§. XV.

Balneorum in hecticis & lentis frequens, præsertim apud veteres, commendatio. Sennertus ex Galeno methodum ipsam utendi pluribus exhibet. Instat omnium vero de eorum vario usu locus est Alpini, de *Med. meth. lib. 6.* dignus, qui totus huc transcribatur. De externis, scribit, medicamentis balnea conveniunt, ex aqua dulci, aut ex aqua alterata althæa, malva, violis, & aliis similibus. In Ægypto ex lacte asinino & camelino, vel equino, balnea tepida instituunt pro Magnatibus, Epithemata itidem atque inunctiones commendantur. Ex balneis tepida conveniunt atque frigida. Illa humectant solidas partes, fuligines, fumidaque excrementa digerunt, corpusque recte transpirabile reddunt, & remissa caliditate, etiam calorem hebetant. Hæc refrigerant, cutim densant, virtutem, calorem augendo, roborant. Sed non in excarnibus corporibus & valde prælanguidis, tutum erit, uti admodum frigidis balneis, quando necdum hæc calorem augebunt sed quinimmo prælanguidum extinguunt. In robustis vero erunt utilissima. Robusti his in die, scilicet mane, & vespere, ante cibum, hisce balneis uten-

*Balne-
rum usus
atque
utilitas*

utentur, ſemel vero debiles. Nonnulli non vehementer frigida balnea, ſed le- niſſima frigiditatis, utiliora & magis tuta eſſe volunt. Ideoque primum ægro- tos in balneum temperate calidum du- cunt, & mox in leviter frigidum, ita ut tepidum potius ſit, ſive leviuſcule fri- gidum. Egyptii & Arabes uti ſolent balneis ex aqua Nili fluminis, ex lacte camelino, vel equino, aſinino, vel capri- no; item thoraci, hepati, ventriculo, reni- bus, ex lacte, oleo violato roſatoque tepi- do, aut ex ſucco lactuce, juncti, endivia, portulacæ, polygoni, lenticulæ paluſtris, nenupharis & ſimilium, cum modico la- ctis & croci, ad penetrationem, admo- vent epithemata. Sed tenendum omni- no in genere de balneis, eadem com- mode habere locum in principio mor- bi, & quando a viribus fractis pendet, necnon in lenta infantum febre, quia emolliunt, demulcent, rigidas fibras la- xant, & ſimul humectant; nihil autem proficiunt in progreſſu morbi, ſique putredo, abſceſſus, & exulceratio in- terna jam præſto ſunt.

§. XVI.

Morus
ſomni-
antur.

Ex præcipuis veteres & moleſtas has febres expugnandi præſidiis eſt motus corporiſque exercitatio. Veteres jam, Hippocrates, & Aretæus, in tabe curan- da mirifice commendarunt varia mo- tuum genera, deambulationem, veſtu- ram, geſtationem, peregrinationem & navigationem, quin Hippocrates lib. de intern. affect. §. 34. pag. 238. præcipit: ſi quis validus fuerit, per triginta dies ad ligna ſecanda ablegetur, & ſummis hu- meris luſtetur, & interdiu deambulet, & vesperti dormiat. Sed ſaluberrima & accommodiſſima motus ſpecies equi- ratio, aut veſtura in curru, quibus, per- petua corporis ſuccuſſatione, ſanguinis progreſſus per meſenterium egregie adjuvatur. Multi in primis ſunt in lau- danda equitationis utilitate celeberrimi Angli, Sydenham & Morton. Ille quidem opp. pag. 524. & 781. non vere- tur affirmare, equitationem eſſe in he-

ctica & phthiſi ſpecificum ſine pari, eo- que certius, quo neque mercurius in- lue venerea, neque cortex Peruvianus in febribus intermittentibus, efficacius aut certius. Et Morton. exercit. de phthiſ. pag. 26. ita graphice diſſerit: nullum magis conveniens remedium, quam quo- tidiana ad moderatos uſque ſudores pro- tracta equitatio eſt, in febribus lentis, hefticis, ex vitio maxime ventriculi, ex perversa ſorte febrium intermittentium tractatione, nimio intempeliſtivoque ſi- gentium, præcipitantium & adſtringen- tium abuſu, frigido potu calenti corpori ſuperfuſo &c. quorum præternaturalis æſtus corporis laudabiles ſuccos depa- ſcit, ex ventriculi, & inteſtinorum ſa- burra acida, lenta ſimul, & viſcida, meatus obſtruente præter naturam; utpo- te qua viſcoſus lentor, ſive effectus chy- lus, qui vaſa, & habitum corporis jam infarcit, æquabili ſuccuſſione diſconti- nuatur, excernitur ut appetitus iterum reſtituatur, novus chylus laudabilis & copioſior elaboretur. Expedit tamen innuere, in lentis auctam, & frequen- tem apprimè utilem eſſe, in hefticis vero ſtriſſe ſic dictis moderatior ſit.

§. XVII.

Tandem, quicquid in lentis his & tabidis præſtandum, id mature facien- dum omne. Neglecta enim hac oppor- tunitate, accedente medentis, vel la- borantis errore, & morbo diutius pro- tracto, irrita proſus atque fruſtranea eſt medicatio, & fere ſemper in heſti- cam tranſitus fit lethalem. Qui autem his febribus jam detinentur, autumno ſemper pejus habent, ob languidiorem naturæ in actibus ſecretoriis, & depu- ratoriis virtutem. Quin, quia circa æ- quinoctia ordinario ſubita inſalubres fiunt aeris & cœli mutationes, plerum- que tum non modo gravius ægrotant, ſed & decedunt heſtici incurabiles. I- gitur neceſſarium eſt, ut circa hæc tempora exactam victus ſervent ra- tionem, animum tranquillum habeant, aeris injurias vitent, & a medico quo- que conſilium petant.

Mature
ſubve-
niendū.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

*Lentis
febris in
bibulo
curata
repetens
in phthi-
sin tran-
sit le-
thalem.*

Vir quadragenario major, phlegmatico-sanguineus, a multis jam annis computationibus in seram usque noctem indulserat, modo cerevisiam, modo vinum, modo vini spiritum bibens, parum vero appetens. A duobus autem mensibus valida affectus erat tussi, somnum omnem arcente, cum intenso aestu vespere ingravescente, agra spiratione, virium dejectione & corporis consumptione, nec non copioso per tussim muci creatu. Meum per literas exquirebat consilium, sed nolui primum manum admoveere, uti non facile solea in longis ejusmodi & desperatis morbis, & qui jam varia medicorum artificia experti. Quum autem intercederet vir honoratus, mihi amicissimus, suasi, ut biberet cerevisiam medicatam hanc: recipe herba hepatica, pulmonaria, hederæ terrestris, scabiosa, cardui benedicti, veronica, agrimoniam, tussilaginis, musci pulmonarii, florum hyperici ana manipulos duos, rhabbarbari uncias duas. M. conc. indantur sacculo, & ad fermentationem suspendantur in quinquaginta mensuris cerevisiæ recentis. Exhibui quoque pulverem ex matre perlarum, antiheftico Poterii, lapidibus cancerorum & nitro, cum emulsione dilutiori ex amygdalis & pincis. Dedi porro consilium, ut largiter forbillaret iuscula tenuia, ex carne vitulina, cum radice scorzonera & eichorei decocta. His per aliquot hebdomades usurpatis, nunciatum mihi, egregium accessisse levamen. Hinc suasi, ut usui insisteret adhuc per mensem, quo etiam cum periculoso morbo in gratiam rediit. Sed quum fuetum vitæ genus bibulum nihilosecius sectaretur, multisque domesticis curis afficeretur, anno cir-

cumacto, post gravem iram incidit in hæmoptysin, quam sequuta phthisis, heftica, tandemque mors.

Epicrisis.

Qui ex nimio potu sibi phthificum & hefticum morbum contraxerunt, omne lactis genus fastidiunt. Hinc in nostro concessi quidem cerevisiam, sed medicatam, per herbas leniter roborantes, balsamicas, consolidantes & sanguinem purificantes. Hac igitur labes viscerum, maximeque pulmonum atonia sublata. Sæpe enim hefticum hoc malum in principio a sola atonia pendet, sub qua & secretiones, & excretiones rite succedere nequeunt impuritatum, largius ab ejusmodi bibulis heroibus collectarum. Et profecto ego restari possum, quod decocta ejusmodi specierum, ex aqua, vel cerevisia, addito quandoque melle, in chronicis ejusmodi lentis febribus præstiterint mira, si modo aliquamdiu continuata, quin longe plus, quam pretiosa, singulari arte & labore confecta. Sed promptus omnino mali recursus, nisi exacta vitæ victusque ratione arceatur, & viscerum imbecillitas penitus emendetur.

OBSERVATIO II.

Juvenis literarum studiosissimus, *Heftica
phthi-
ca in-
cipiens
curata.* ob teneram a natiuitate corporis constitutionem, in catarrhofas defluxiones, diarrhæas, tusses, phthisin etiam pronus, animo quoque admodum sensibilis, tempore vernali afficiebatur tussi ferina, tum epidemia, primum sicca, dein humida, cum interno aestu, intercurrente horripilatione, & accedente virium, ob somni defectum, prostratione. Dabantur leniora laxantia, mannata, rhabbarbarina, linctus pectorales, pulveres item & elixiria pectoralia, sed sine singulari levamine. Exactis sic sex & pluribus

ribus hebdomadibus, hectica imminere visa; hinc suasi ptisanæ, ex rasura cornu cervi, radice scorzonera, hordeo mundo ac semine feniculi, cum æquali parte lactis bubuli, potum quotidie ad mensuram, ita ut mane dimidiam, & pomeridie iterum dimidiam biberet. Sed æger, quo plus, eo melius, putans, quotidie vel duas mensuras ingurgitavit, ventriculo tamen adhuc firmo, haud male. Sumisit quoque subinde pulverem ex spermate ceti, lapidibus cancerorum, floribus sulphuris, saccharo & pauxillo nitri. His paucis & euporistis tantum profectum, ut notabile paulo post sentiret auxilium. Sensim postea symptomata discesserunt omnia, tussis placata, æstus restinctus, & appetitus cum somno rediit.

Epicrisis.

Non penitus, sicut in hydropico, sic etiam in hectico malo, desperandum est, si vitium fluidorum nondum transiit in labem & corruptionem ipsorum viscerum, inflammationem scilicet, ulcerationem, aut scirrhum. Felix igitur est medicus, qui hæc bene cognoscit. Sic enim curationem bonis avibus suscipere potest, quæ, si feliciter cedit, famam & gloriam inde reportat. Magna adversus difficiles & longos morbos facultas in ejusmodi temperatis, euporistis domesticis, diluentibus & humectantibus remediis, quin longe præstabilior, quam in pharmaceuticis cunctis. Medici in eo plerumque delinquant, quod si tussis humida valida adest, phthisin esse putant, eaque propter pectoralia multa adhibent, quum tamen sæpe sola humorum acrimonia, horumque ad pulmones remissos decubitus, causa sit tussis vehementioris cum scretu copioso, & dulcia pinguis relaxantia ob id plus noceant, quam prosint. Lactis autem cum aqua diu continuato usu, veteres jam, Hippocrates & Aretæus, tabem persanarunt. Extat quoque in *M.N.C. Dec. 2. An. 9. obs. 189.* de viro hectico desperato viso

Tom. IV.

solo potu aquæ frigida curato, observatio *Burgii*, qui parentis mei anno 1664. fuit discipulus, ipsiusque effigiem, clavi pharmaceuticæ præfixam, carmine decoravit.

OBSERVATIO III.

Miles quidam, facile lividus, corpore macilentus, & languidus, pulsus tamen celerem cum quadam duritie exhibens, conquerebatur de alvi fluxu per tres continuos menses ipsum adeo detinente, ut quotidie, osties, vel decies, desiderare cogeretur, secedentibus nonnunquam, ut naturaliter fieri solet, excrementis, nonnunquam vero saniosa, nonnunquam sanguinolenta materia, sine scybalis, appetentia ciborum simul imminuta faucibusque aridis. Inquirenti in tam chronici mali causam, respondit, se graviter aliquando in sinistro dorsi & thoracis latere verberibus esse percussus, ut locus etiam sugillatus comparuerit, & dolor successerit impensus, præterlapsis autem aliquot diebus, doluisse hypochondrium sinistrum, ibique supra os ilei protuberasse tumorem, aliquot hebdomades subsistentem, donec abortis in ventre torminibus, alvus sponte fuerit soluta, multaque saniosa, foetida, atro etiam sanguine tincta, copiosis secesserint dejectionibus. Ex eo quidem tumorem subsedisse, & dolorem quoque evanuisse, sed diarrhœam persistisse, & adhuc ipsum mirum exercere ac vires absumere. Dimissus igitur est consilio, ut serum lactis dulce, nostra methodo paratum quotidie ad mensuram unam, nec non infusum, ex scabiosa, veronica, sanicula, mentha, melissa, millesio, floribus hyperici & papaveris erratici frequentius potaret. Quibus etiam effectum, ut post aliquot hebdomadam decursum rediens, gratus profitetetur, parciore longe esse dejectiones, corpus vegetius, meliora omnia, nec de perfecta impetranda sanitate dubium.

*Mesen-
terii
abscessus
di-
arrhœa
saniosa
solutus.*

V 3

Epi.

Epicrisis.

Nullum certe est dubium, quin in hoc abscessus fuerit in mesenterii compage obortus, qui demum ruptus, effudit in intestinorum cavum saniem & cruorem, per ani secessum excretum. Qui vero factum, ut a superiorum percussione, in abdominis penetralibus inductum apostema, disquisitione omnino dignum. Nos quidem ab impedita sanguinis in partibus plagis graviorum contusis circulatione, mali ducimus natales, unde factum, ut in homine plethorico sanguis majori copia fuerit delatus ad mesenterii diverticulum, ibidemque collectus, demum putrescere coeperit, & in abscessum concesserit. In mesenterio enim sapius oboriri stagnationem, si in remotioribus partibus sanguinis progressus interceptus, non novum. Ipsi novimus, hoc facto, mesenterium cum omento putre & splacelarum fuisse inventum; vulnere lethali diaphragmati inflicto, cruorem vasa mesenterii perripisse, & abdomen inundasse; & in asthmate spasmodico, a polypo in appendis cordi canalibus, mesenterium iridem sanguine multo oppletum, vasa ipsius distenta partim, partim plane disrupta, compariuisse.

OBSERVATIO IV.

*Hectica
phthi-
sica len-
thalis.*

Vir erat macilentæ & cholericæ constitutionis, qui ex hæreditaria quadam & nativa dispositione pulmonum alebat vitium, ac præterea ob nimias lucubrationes vitamque nimis sedentariam, variasque animi ex ira commotiones, corporis & stomachi sibi contraxerat imbecillitatem. Hic ab aliquot jam annis magnam pituitæ viscidæ copiam sreatu ejecerat, hæcque ejectio mirum demum copia increvit, & per duos fere menses, cum lenta febre, spirandi difficultate, viriumque jactura, nec non exquisito sub urinæ emissionem ardore, duravit. Tum quidem æger emulsionibus, jusculis, medi-

catis & decoctis demulcentibus, interpositis elementarum alvum laxantibus, cum sanitate in gratiam rediit; exacto vero circiter anno, eidem malo denuo implicatus est. Alium igitur in consilium adscivit medicum, qui, licet semper adfuisset anxiosa respiratio, tussim tamen non phthysicam, sed ex stomacho æstuante & hypochondriacura symptoma esse judicavit, putavitque, cessatura omnia, si tempestivus prodiret hæmorrhoidum fluxus. Variis demum in cassum adhibitis, de vena secanda consilium dedit, floridumque e pede extraxit sanguinem. Sed eodem adhuc die vesperi ægrum horror per universum corpus incescit, subsequente intenso æstu, nocte in somni, virium jactura gravi, & perfecta accessit hectica, qua etiam e vita mense Martio discessit.

Epicrisis.

Qui ex parentibus phthysicis geniti sunt, iis per totam fere vitam semper debilis corporis constitutio, ut languescat ventriculi digestio, & ipsi in catarrhos, ex levi aeris vitio, lento cum calore, proni sint quin facillime, nisi regimen circa non naturalium rerum ulum exquisitè observent, in phthysin & hecticam incidunt. Hic æger, Collega & amicus noster, valetudinariam diu duxit vitam, & aliquoties circa æquinoctia phthysica tussim cum febre laboravit; Dei tamen auxilio, datorum a nobis remediorum ope, convaluit. Tandem vero se commisit medico, qui perfectam morbi curationem brevi pollicitus est. Et quum a plethora & hæmorrhoidum fluxu impedito omnia pathemata pullulare putaret, a venæ sectione cepit initium, sed male hæc cessit. Inde enim mox pessime habuit, & in phthysicam hecticamque incidit tussim lethalem, frustra omnibus datis remediis. Discant igitur, qui plethoram ubique crepant, in debili & hectico corpore nunquam utilem esse venæ sectionem & salutarem, quia per continuum calorem sanguis jam consumtus, & succi potius

ingignendi sunt, quam subtrahendi. Sed plura in similibus casibus notavi delicta. Obversatur adhuc animo exemplum serenissimæ personæ, vix vigesimum ætatis annum egressæ, quæ a matre phthisica genita & ipsa phthisi periit. Nimirum quum ex puerperio novissime superato admodum debilis, in curru aperto, incitato equorum cursu per aliquot horas vecta, aerem valde frigidum, vento agitarum, ad pectus admisisset, mox de catarrhis, tussi anhelosa, sicca, lassitudine corporis & sudore nocturno conqueſta est. Medicus catarrhalem febrem esse autumans, pectoralia opposuit dulcia, in dies vero hæc symptomata & calor consumens vires, creverunt. Hinc quia menses nondum iterum prodierant, venam incidere suasit, quo longe debilior facta, & placide haud ita multo post ex hac vita decessit. Errant igitur medici vehementer, qui nullum discrimen faciunt inter mensium obstructionem, quæ a copia sanguinis & infarctu viscerum est, ubi venæsectio juvat, & inter eam, quæ ex sanguinis defectu venit, ut sit in phthisi & hectica, ubi utique sanguinem detrudere, qui ordinarie deficit in hecticis, nil aliud est, ac mortem promoveri.

OBSERVATIO V.

Hectica ex mesenterii abscessu diarrhæa purulenta soluta. Vir illustis, Regi a consiliis, quadragenario major, statura longus & macilentus, hypochondriacis pathematibus, & pariori hæmorrhoidum fluxui obnoxius, post iram vehementiorem, persensit totius corporis languorem, cum dolore pressorio, circa primam lumborum vertebam, abdomine in istis torminibus, æstu interno, vespere in vaſcente, inappetentia, alvo simul clausa & flatibus ructibusque ad superiora regurgitantibus. Secta fuit vena, & dati pulveres digestivi, absorbentes atque nitrosi: nihil tamen opis allatum. Ventris potius dolores cum æstu interno increverunt, carnes

ac vires consumserunt, interdum abdomen mirum intumuit a flatibus, & præcordia tenuit anxietas summa. Sic duos exegit menses, multisque medicis & medicamentis usus, hecticus visus fuit, tantum non conclamatus. Ipsa tamen natura tandem curationis aperuit viam, secedente per alvum materia saniosa multa, quæ etiam apparuit in urina. Hoc facto, calor quidem & dolor factus mitior, appetitus quoque instauratus. Sed quia purulentus hic alvi fluxus, longius quam per tres menses successit, cum insigni virium debilitate corporisque marcore, indicium præbuit haud fallax grandis in mesenterio abscessus. Interim quum æger exquisitam dietam servaret, jussula gelatinosa, lac asinum, bubulum cum herbis vulnerariis coctum, & caprillum cum Selteranis mixtum, potaret, simulque pulverem ex semine lycopodii, musco pulmonario, urtica mortua, tussilagine, semine cymini, nucista & saccharo, in emulsione ex amygdalis & pineis subinde sumeret, factum est, ut sensim vires redirent, ejectio materiæ per alvum ac tussim minueretur, & ipse, præter spem omnium, convalesceret, inuncto postmodum victu exacto & regimine congruo.

Epicrisis.

Hypochondriaci & hæmorrhoidarii in mesenterii morbos, inflammationes & abscessus delabuntur facile. In his enim jam tum mæsenterica vasa sanguine farta, & humoribus sunt distenta, tardissimusque per eadem commectus. Nostro sine dubio, a gravi ira, accidit sanguinis extravasatio, inflammatio & inde suppuratio. Parva autem suppuratio brevi potest ampliari & latius progredi in mesenterii compage largiter obfessa pinguedine, quæ in liquamen saniosum facile liqueſcit. Quod vero purulenta materia alvo expurgata, tribuendum naturæ beneficio: & quod in urina comparuit pur-

a venis reſorptum, & per renale cribrum excretum, eodemque modo etiam ſucceſſit puris ſcreatus, integris pulmonibus reniſque. Quin novi, utero ulcerato, per aſperam arteriam rejeſtum fuiſſe pus, illaſis plane pulmonibus. Soli etiam naturæ debetur ſanitas recuperata; nec minus providentiæ divini, ſi tam periculose laborans invenit medicum, qui morbum perite & leniter tractare novit. Sed quia ejuſmodi abſceſſus perquam facile recrudescunt, exacte ad ſanitatis regulas vita inſtituenda, & vitanda cum cura cuncta, quæ ad mali recurſum facere poſſunt.

OBSERVATIO VI.

*Lenta
febris
poſt tertianam
curata.*

Fœmina triginta annorum, tenera, victum tenuem, mollem, per multos annos ſuetum, cum craſſo & duro permutarat, & carnes infumatas piſceſque ſalitos liberaliter ingeſſerat. Incidit hinc primum in tertianam notham, a qua poſt menſem liberata, ad ſtomachum fulciendum uſa eſt tinctura aperitiva *Mæbii*, ex ſpiritu ſalis, cum ſale tartari, torna ſolis tincta: hac adeo aucta appetentia, ut vix famem ſedare poſſet. Paulo poſt perſenſit virium lapſum appetituſque proſtrationem, cum æſtu interno ac phlogoſi, pulſu veſperi ac poſt cibum ſemper multum increbeſcente, ſucceſſit tandem languor univerſi corporis, pedumque tumor ac dolor contuſivus. Medicum igitur accivit: qui, quum primam regionem ſaburra acidorum humorum obſeſſam eſſe recte concluderet, lene dedit emeticum, ex tartari emetici uno & dimidio grano, aquæ menthæ uncia & julepi roſarum drachma. Aſſumpto hoc, ingens copia viſcidæ amurcæ viridiſſimæ, inſtar æruginiſ aris, vomitu rejeſta, quæ inſtillato oleo tartari per deliquium, flavum induit colorem, luculento indicio, ex bile & acido corroſivo eandem eſſe conſtatam. Mitior inde redditus calor, & moleſtus oſſium dolor complacatus, vires quoque repa-

rata. Nihilo minus, ad reliquum exturbandum, tertio die iterato datum hoc pharmacum, & evocata tam per ſuperius, quam inferius os, ſimilis indolis recrementa. Poſtea vero datum elixirium noſtrum baſſamicum ſtomachale & pulveres præcipitantes cum duplicato arcano, tam ſalutari effectu, ut brevi poſt febris hæc cum omnibus ſymptomatibus diſcederet, & ægra cum valetudine in gratiam rediret.

Epicriſis.

Ortum duxit lenta hæc febris ex primæ regionis cruditatibus, quas ingenuit voracitas, poſt febres ſuperatas ſolennis, & uſu ſpiritus ſalis adaucta. Licet enim aperitiva *Mæbii* tinctura ſtomachi vitiis appetitum excitando & digeſtionem facilitando egregie opituletur; ubi tamen ventriculus plus appetit, quam coquere poteſt, noxam potius aſſert, quam emolumentum. Recte igitur datum vomitorium, qua ſaburra acido-bilioſa, morbi cauſa exturbata, ſicque ſimul ſublata ſymptomata cuncta.

OBSERVATIO VII

Novi ſenem octuagenarium, robuſtæ naturæ, & ob nimiam ſanguinis redundantiã ſingulis menſibus hæmorrhoidum fluxui obnoxium, ceterum bene valentem & bene appetentem, in primis quum quotidie vini liberalem hauſtum biberet cum oblectamento. Hic tandem autumno, conſeſto itinere, & pota cereviſia minus deſcecata, ingeſtis quoque aliis fermentefcentibus, digeſtionis turbas & flatulentias expertus eſt; ſubſtitit paulo poſt hæmorrhoidum ſtillicidium, appetitus periit, vires ſucceſſive conſiderunt, ruſtus facti continui, cum conatu ad vomendum, os ſiccatum, alvus obſerata, pulſus celer redditus ac debilis. Hæc durarunt per duos menſes, & gravioreſ indies facta, tandem fruſtra adhibitis omnibus, vitæ attulerunt finem.

Epi.

Epicrisis.

Senes levi ex causa & errore commisso, in graves, immo funestas, ni mature succurratur, incidere possunt affectiones. Quando enim sanguis hæmorrhoidalis, evacuari solitus, retinetur, neque per tempestivam venæ sectionem ad liberum circuitum traducitur, stagnat in visceribus, & ad corruptionem vergens, putridam talem febrem, quæ in senibus marasmi nomine venit, insignit.

OBSERVATIO VIII.

Heñtica ex corruptione sphaçelosa interna lethalis.

Vir quadragenarius, tener constitutione, post longum animi mœrorem & vitam sedentariam, incidit in languorem virium, corporis marcorem, appetitus prostrationem, calorem præternaturalem, cum pulsu debili & frequenti, somno parco & interrupto, facie plumbea, oris siccitate perpetua & sudore matutino. Quum his per sex septimanas fuisset detentus, ob alvum adstrictam sum sit purgans, ex diagrydii sulphurati gr. 2. cum tartaro vitriolato, quomultum deiecit & diutius quam per ostiduum. Inde vires adeo conciderunt, ut animus facile deficeret in situ erectiori, calor etiam increbuit, & accessit tandem summa præcordiorum anxietas, ad quam levandam vena aperta, & aliquot unciaz emissæ sanguinis fluidi & floridi. Licet autem anxietates hoc facto levarentur, æger tamen, ob virium plenarium lapsum, animam haud ita multo post efflavir.

Epicrisis.

Heñtica hæc febris est, enata procul dubio a sphaçelosa visceris cuiusdam, acuti videtur hepatis, corruptione. Non enim novum est, quod in languidioribus & diuturno mœrore affectis, viscera ob sanguinem stagnantem abeant in putredinem, ac teste cadaverum sectione compareant nigra, tanto magis, si

vita accessit sedentaria. Signa ejusmodi corruptionis internæ sunt, plenaria appetitus & virium prostratio, somnus nunquam reficiens, facies livida plumbea, carnes flaccidæ, conatus ad vomendum & colliquativus sudor. In nostro notatu inprimis dignum, quod ab unica exigua purgantis dosi incompscibilis alvi fluxus inductus. Neque tamen effectus hic tam purgantis virtuti, quam potius intestinorum inflammationi & humorum acredini tribuendus. Caveat igitur medicus circumspectus, ne, ubi motu intestino continuo vires consumta, & massa sanguinis recrementitiis humoribus gravis, quippiam drastici purgantis præbeat & perversa incurrat judicia.

OBSERVATIO IX.

Fœmina sexaginta & trium annorum, tenera admodum, ante quinque menses terrore fuerat percussa gravi, & confestim molestanti tractionem & tensionem in artubus persequeratur. Antè tres menses supra claviculam sub musculo mastoideo in utroque latere exortus tumor, qui rebellis fuit, nec ullis cedere voluit remediis. Interea lenta & vires consumens febricula, ab aliquot jam mensibus ægram incessit, cum ardore, in volis manuum & plantis pedum, præsertim circa mediam noctem affligens. Accesserunt per intervalla capitis pulsantes & tensivi dolores, qui sub cute, modo huc, modo illuc discurrerunt, ad cervicem, quin ad gingivas usque. In artubus sæpe tractiones fibrarum musculosarum, oculis conspiciendæ, cum dolore lancinante adfuerunt. Nausea quoque cum anxietate, nec non tormina ventris obscura, nonnunquam affligerunt, alvi secessu ut plurimum soluta. Appetitus fuit prostratus, urina crassa, turbida, rubra cum sedimento & cuticula oleaginosa, præsertim paroxysmo finito secessit.

Lenta febris cum vata.

Om.

Omnia autem hæc symptomata, mox secundo, mox tertio die invaluerunt, cum pulsu celeriori, qui tamen frequens semper fuit, sed exiguus.

Epicrisis.

Affectus hic merito lenta consumens febris dicendus. Originem dubio procul traxit a vehementi terrore, cujus tanta vis est, ut, præsertim in cacochymico corpore, totam œconomiam motuum, tam vitalium, quam secretiorum & excretiorum, pervertat, nervosarum quoque & fibrosarum partium systema valde debilitet, & ad spasmos, contractiones & dolores disponat. Eidem terrori etiam debetur glandularum colli tumor, qui ad lentæ febris generationem multum contulit. Hippocrates enim jam eas febres, quæ glandularum tumoribus accedunt, lentas & periculi non expertes judicavit, tum quod sub musculo crasso siti sint intractabiles, tum quod nervos vicinos distendendo, febrilibus spasmodis subministrant occasionem. In curando hoc morbo primum fuit, ut primæ viæ a sordibus repurgarentur. Hinc magnesia cum sale Epsomienfi ad drachmam dimidiam data, cum lacte amygdalino mannato, & clyster injectus ex decocto avenaceo, manna & chamomillæ floribus. Mane jejuno ventriculo potum caponis brodium, cui incoctæ radices petroselinæ, fœniculi, cichorii, herba nasturtii aquatici, addito cancerum fluvialium succo. Oblatus tum quoque pulvis ex cancerorum lapillis, nitro & solutione oculorum canceri. Potui ordinario servivit pitana. Exterior glandulis tumidis & dolentibus impositum emplastrum diachylon simplex, cum spermate ceti, oleo hyoscyami, croco & camphora. Et ad artuum dolores complacandos, linimentum discutiens & antispasmodicum inunctum. His ægra per DEI gratiam, intra mensem, ex ancipiti levata, & febris persanata.

OBSERVATIO X.

Juvenis melancholico-cholericus, *Hæctica in juvene bibulo cura.* vigesimum annum egressus, compositionibus & ebrietati intemperantissime deditus, aliquoties hæmoptysin passus fuerat, cum pectoris angustia & quasi ebullientis sanguinis sensu circa præcordia, semper tamen liberatus tempestiva venæ sectione, pediluvii & congruis temperantibus atque nitrosis. Accidit vero, ut vehementi ira aliquoties commoveretur, quam sequuta notabilis virium & appetitus prostratio, spirandi difficultas, somnus inquietus, sudor matutinus, tussis vehemens, cum copioso ad libram minimum quotidie sreatu, pulsus celer, a meridie potissimum ad medium noctis, cum calore in plantis pedum & volis manuum, urina turbida rubra, interdum cum sedimento, interdum tenui, corpore simul contabescente. Sic per duos menses, varia Medicorum consilia expertus est & artificia ex pectoralibus, antifebrilibus & refrigerantibus, sed frustra. Tandem nostrum petiit consilium; vix tamen dubiam, rebus sic comparatis, salutis spem facere potuimus. Interim lactis suavis potum, quod quotidie bis cum decocto fabarum Coffee hausit; loco potus bibit decoctum ex radice scorzonæræ, cichorii & rasura cornu cervi, cum passulis minoribus, potavit quoque Selteranas cum lacte ad mensuram quotidie, sumsit subinde gelatinam cornu cervi, usurpavit pulverem ex radice ireos Florentinæ, liquiritiæ, lapidibus cancerorum, nitro & saccharo. His per mensem alternatim usurpatis, melius habere coepit, ætus mitior factus, & appetitus rediit. Hinc continuavit lactis potum & pulveris usum, subinde quoque julsula ex carne vitulina sumsit, simulque appetentior placentarum, ex iis, quæ minus graves & viscidæ, liberaliter quotidie comedit. Sic tandem præter omnium spem sympto-

mata.

mata complacata, & æger tantum non desperatus, binis menſibus exactis, ſurrexit, ſenſimque convaluit, ac biennium ſupervixit ſanus & integer. Sed quum poſtea antiquum obtineret, & liquores ſpirituofos, cereviſiam, vinum, maximeque ſpiritus ardentes, ingurgitaret effuſius, nocte intempeſta perquam frigida & comotatione ebrius domum tendens, in platea ſubito concidit, ac domum portatus, morte extinctus eſt ſubita.

Epicriſis .

Ex raris heſticæ curationibus eſt hæc : aderant enim omnia heſticæ febris ſigna. Sed quia primum acciti medici adverſus phthiſicum malum pectoralibus & dulcibus tantum pugnant, nec humidum deſiciens reſarcire, nec humorum acrimoniam demulcere laborant, parum potuerunt proficere. Ipſe enim eventus per remedia procuratus docuit, cauſam hujus febris magis in humorum vitio, eorumque viſcoſitate & acrimonia fuiſſe poſitam, quam in labe, corruptione, aut exulceratione viſceris. Patet igitur, in heſtica febre non ſemper ſpem eſſe abjiciendam, ſi in juvenili ætate, ſubito, ex prægreſſa mala diætâ incidit, uti quidem heic factum eſt.

Cæterum de febribus lentis & heſticis plures jam prodidi obſervationes in *Medicina conſultatoria* Tom. II. Seſſ. IV. caſ. CLXXXII. uſque ad CXC. quas evolvendas commendo.

C A P U T XIV.

De Febribus Symptomaticis .

§. I.

Symptomaticæ febres dicuntur ^{Symptomaticæ febres quæ dicuntur} quæ aliis morbis primariis, vel ſonticis externis læſionibus, ceu ſymptomata, ob ſyſtema nervorum inde male affectum & gravius irritatum, accedunt, nec typum exquiſitum ſervant. Sicut enim omnis generis febres nervoſi maxime generis affectiones ſunt, & a variis generis cauſis, hoc impenſius affligentibus, ſtimulantibus & commoventibus, originem ducunt, ſic etiam eodem ex fonte derivandæ ſymptomaticæ, quibus inducendis cauſæ velificantur pariter multæ.

§. II.

Ex iis, quæ aliis morbis adjunguntur, notabilis maxime illa ſymptomatica, ſeu ſecundaria febris, quæ in variolis obſervatur. Nimirum quando poſt quartum diem primaria febris, expulſa ad corporis habitum exanthematica materia, deſeruit, nono ut plurimum die, quo puſtulæ ſuppurari & matureſcere incipiunt, ob impenſum qui inde ſuſcitatur ardorem atque dolorem, nova accenditur febris, cum pulſuum celeritate, æſtu interno, ſiti, vigilia, inquietudine, quin delirio, quæ undecimo die haud raro laborantes necat, præſertim ſi adultioreſ & confluentibus obſeſſi. Dein dolores arthritici, rheumatici, podagra, chira, iſchiatis, nec non eryſipelas inprimis capitis, ſemper incipiunt cum inſultu febrili, frigore & æſtu, ſub quo ad cutim & articulos agitur ex interaneis acris recrementitia materia, ibique acerbos ſuſcitatur dolores, qui novam cient febrem, eo graviorem, quo gravioreſ ipſi. Indentium quoque gravi dolore, maximeque difficili infantum dentitione, jungitur, ob cruciatum, frequen-

tissime febris symptomatica, quæ periculi non expers, quin in teneris sæpe epileptica convulsiones sequuntur. Hæmorrhoidibus porro cæcis impenitus dolentibus, sæpe febris, cum horripilatione, vigilia & tremore partium complicatur. Neque minus glandulis induratis, tumentibus & dolentibus febrile symptoma accedere solet. Nullum etiam dubium, quin in pestilentia, si anthrax, seu carbunculus, qui tumor est ardens & acutissime dolens in musculosis partibus, febris accendatur, majusque intentet periculum.

§. III.

*Vel exter-
nis læ-
sionibus.*

In puerperis præterea, tertio ut plurimum a partu die, febris supervenit symptomatica, lactea dicta, cujus origo nulla alia, quam quod ob uterum, enixo partu, iterum contractum, magnus sanguinis ad mammas fit appulsus, quo corporibus glandulosis & fibris nerveis male affectis, dolor inducitur tensivus, febrilem insultum ciens. Si abscessus & apostemata fiunt in partibus, præsertim nervosis & glandulosis, in inguine bubones, aut in axillaribus & mammariis tumores apostematodes, complicantur febres, sæpe gravissimæ, & cum dolore junctæ. Idem accidit, quando pars exquisitoris sensus ambulationem graviolem & ampliorem patitur. Neque minus ex symptomaticis febribus sunt illæ sic dictæ vulnerariæ, quæ læsionibus ac vulneribus, manuum præsertim & pedum, nec non aliarum nervosarum partium, pericranii potissimum & meningum, accedunt, quæ etiam fiunt, quando tendines, vel nervi, sub venæ sectione improvide punguntur, vel aliis acutis instrumentis læduntur, eodem modo ac evenire solet, si pleura, peritonæum, aut intestina laedantur. Quin si vulnera & læsiones partium acutius sentientium, acris & causticis medicamentis, injectis aut inpersis, tractantur, intenduntur non modo dolores, sed & haud

raro febres ardentes & continuæ incognuntur. Tanto certius autem tantoque majori cum periculo hoc accidit, quando nervosis partibus communicatur plane venenum, uti fit in morsu canis rabidi, nec non quando mercurius sublimatus, aut arsenicum, carcinomatibus induntur. Demum non prætereunda illa febris, supra omissa, quæ vermibus & calculo accedit. Non enim adeo insolens in verminantibus febris, putrida dicenda merito, quæ irregularis admodum, cum nausea, abdominis torminibus, urina limosa, alvo ut plurimum laxa. Quæ autem calculo jungitur, oritur a doloribus acutis, tum maxime, quando per urethras nervosas molitur transitum.

§. IV.

Ita autem omnes hæ symptomaticæ & continuæ febres sunt comparatæ, ut universam œconomiam functionum, vitalium imprimis & naturalium, pervertant, vires frangant, multaque exitialia symptomata, deliria, convulsiones & epilepsias, inducere possint. Plane omni tamen destituuntur utilitate, nec sicuti aliæ febres, removendæ & vincendæ causæ serviunt, multo minus sufficiunt. Hinc utique peritus Medicus eo dirigere debet in earum curatione medicationem, ut cito anomalos hos febriles motus compescat, eorumque vehementiam ocysime retundat. Longe facilius enim & melius hoc in symptomaticis hisce perfici potest febribus, quam quidem primariis, eo quod illæ tantummodo a tensione & ipsastica strictura nervosarum partium, tanquam a causa immediata, proficiuntur; hæ vero a causa materiali, non cito transeunte, sed permanente, ortum ducunt.

§. V.

Curatio ipsa sic instituenda, ut causæ amoliendis sit opposita. Quod si igitur a læsione, aut vulneratione partium nervosarum & tendinosarum, tam internarum, quam externarum, *Quid att-
se si a læ-
sione par-
tis ner-
vosæ ex-
terna.*

maximeque ipsius capitis, insultus accidit febrilis, nullum praesentius & securius auxilium, sanguinis missione, & quidem in parte propinqua instituta. Vulnerariae enim haec sic dictae febres, oriuntur potissimum a sanguine effuso, in partibus sauciatis decumbente. Expedit vero, ut mature id fiat, praesertim in iis, qui sanguine abundant. Post venam sectam, discutientium, resolventium & diaphoreticorum usus longe efficacior, quam hac neglecta. Nos commendamus potiones ex aqua scordii, cardui benedicti, chærefolii, scabiosæ, aceto destillato, aqua theriacali, lapidibus cancerorum, antimonio diaphoretico, mixtura simplici cum syrupo acetositis citri, adjecto interdum pulvere lumbricorum terrestrium, interdum sanguine hirci. Melius adhuc vinum bonæ notæ Rhenanum, cum succo cancerorum fluviatilium mixtum, addita lapidum cancerorum drachma & theriacæ drachma dimidia. Sic enim constat potio, ad inflammationem & sphacelationem arcendam, virtutis praestantissimæ.

§. VI.

Quando symptomatica febris ab atroci dolore, partium praesertim nervosarum & sensibilium, accidit; omnia, quæ sine noxa dolorem levant & sedant, ex usu sunt, id est, ea, quæ blanda virtute vaporosa anodyna pollent. Horum classem ducunt flores aquarum fragrantium, uti tilia, primula veris, acacia, liliorum convallium, alborum, sambuci, rosarum, papaveris rhæados, pœonia, nymphaea, nec non blanda papaveracea, emulsio scilicet ex feminibus quatuor frigidis majoribus, cum semine & syrupo papaveris albi, & maxime omnium liquor noster anodynus mineralis. Laudatissimi enim hæc in dentitione difficili, calculo & colica cum febre sunt usus. Neque etiam, nisi irritis his, si necessitas urget, confugien-

dum ad opiata & narcotica, masam pilularum de cynoglossa, diacodion montanum, laudanum cydoniatum *Helmontii*, *Sydenhami* & quæ plures hujus farinae compositiones. Quando dolori ex inflammatione supervenit symptoma febris; interne diaphoretica cum nitrosis mixta, omnia fere reliqua virtute antecellunt, quia nihil magis inflammationem discutit, quam nitrum, praesertim cum fixis diaphoreticis & camphora mixtum, & qua discussa, & dolor cessat, & febris.

§. VII.

Quæ a causa externorum topicorum usum admittente, inducitur symptomatica febris, præter interna, exterius etiam poscit demulcentia, dolorem mitigantia & fibras duras strictas mollientia & relaxantia. Sunt hæc maxime necessaria in tumoribus venarum hæmorrhoidalium, in tumoribus & doloribus artuum, glandularum inguinalium tumore venereo, in tumentibus mammis, colli glandulis, nec non si sub infelici venæ sectione punctus nervus aut tendo, si animal rabidum, aut insectum intulit læsionem. His in pathematibus eximie conducunt cataplasmata ex ficubus, radice & foliis liliorum alborum, melle, farina scœnu græci, cepis tostis, vitello ovi, lacte & cremore lactis, cum croco; deinde nobili pollet virtute emplastrum diachylon simplex, mixtum cum sufficienti quantitate croci, vel cum spermate ceti & oleo hyoscyami; porro dolores egregie mulcent & spasmus laxant vesicæ, decocto emolliente plenæ, & parti afflictae crebrius calide impositæ; neque ad temperandum ardorem & stricturam remittendam inutilis est mucilago seminis psyllii, cydoniorum, aut lini, cum aqua rosarum facta & crebrius illita.

Et inflammationem stipantibus.

Externa etiam profunt.

Si a doloribus partium sensibilium.

ENARRATIONES
MORBORUM.

OBSERVATIO I.

Febris
vermi-
nosa.

Virgo tenerioris constitutionis, quatuordecim annorum mensium fluxum parvissime experta, incidit in febrem, continuo, lento calore per duas hebdomades affligentem, cum tussis sicca, & alvi fluxu, quo multa foetida cinericei coloris excernebat, languor occupabat totum corpus, & facies pallido foedabatur colore, accedebant quoque crebrius dolores acuti circa spurias costas, urina erat pauca, & crassum sedimentum deponebat. Indicabatur lenta febris a mensium obstructione prognata; ideoque ad emovendos hos varia a mulierculis ingerebantur. Vocatus ego, quæsi: num forsan antea vermicibus laboravit? dixerunt: ipsam dulcibus & placentis admodum oblectari, atque etiam ante aliquot menses lumbricos quosdam per alvum excrevisse. Exhibui igitur potionem ex rhabarbari drachma, seminis fantonici drachma dimidia, salis tartari scrupulo, aquæ florum acaciæ uncias sex, spiritus vitrioli guttis xx. infusus in calido loco, de qua dimidiam partem pro dosi sumsit. Expurgatis sic leniter primis viis, ptisanam pro potu ordinario dedi hanc: recipe hordei mundi manipulos duos, radices scorzonæ, rasuræ cornu cervi, radices cichorii ana unciam, herbæ scordii manipulum unum, coque in aquæ fontanæ mensuris quatuor per horam, colaturæ adde syrupi acetositaris citri uncias duas. M. Interpositus quoque interdum fuit usus pulveris, ex pulvere seminis fantonici, cornu cervi usti, rhabarbari ana drachma una, nitri purificati, salis polychresti ana scrupulis duobus, qui ad scrupulum una vice sumtus. His per mensem & ultra usurpatis, egregie convaleuit,

licet nulla amplius lumbricorum succederet excretio.

Epicrisis.

Febres verminosæ a lentis & hæticis differunt in eo, quod hæc post cibum sumtum & vespere ingravescent, in illis vero hoc non observatum. Deinde quoque febre ex vermicibus junctum plerumque habent alvi fluxum, quo foetida & cinerea recrementa secedunt, urina turbida cum limoso sedimento mingitur, in lentis autem & hæticis hæc non præsto sunt. Discerni tamen hæc febres inter se debent ex causis antecedentibus, victu maxime, ex dulcibus, lacticiiniis, alijs viscosis & fermentescentibus, optime vero si jam ante secesserunt lumbrici. In medicatione autem, si febris complicatur cum alvi fluxu, abstinendum ab anthelminticis, validioribus purgantibus, a mercurialibus, a sagapeno, a foetida, tanacetis, quæ alias specifica adversus vermes, sed utendum acidulis cum amaris mixtis. Acida enim non modo calori, sed & putredini verminosæ egregie resistunt. Plerumque tamen vermes non excernuntur, si febris juncta, quia æstu febrili dissolvuntur in putridum magma. Ego etiam tali in casu cum fructu usus sum potu acidularum Selteranarum, correctarum prius spiritu vitrioli, instillatis mensuræ triginta ipsius guttis, quo laxantem acquirunt virtutem. Quæ pro diversa ratione ætatis & corporis, majori, vel minori dosi quotidie offerri possunt.

OBSERVATIO II.

Juveni 20. circiter annorum, macilentis & sensus exquisitoris, forte Febris ex punctura tendinosæ pedis - scalpellam librarium e manu exciderat in pedis dorsum, partemque hanc tendinosam cuspe acuta pupugerat & sauciarat. Postero die, antea perfecte sanus, incurrit acutum partis læsæ dolorem, cum febre, siti, præ-

cor-

cordiorum anxietate, vigilia, quin mentis quadam alienatione. Miſſum, quia plethoricus erat, illico ſanguis e brachii vena, & data emulſio ex amygdalis dulcibus & ſemine papaveris albi, cum aqua ſorum ſambuci, tilie & acacie parata, quam tam ſolam, quam cum pulvere ex matre perlarum, lapidibus cancrorum & nitro ſumſit. Oblata etiam mixtura diaphoretica & diſcutiens, cum diſcordio *Fraccaſtorii*. Et exterius vulnuſculo partique dolenti impoſitum emplaſtrum noſtrum diſcutiens & anodynum. Quibus per aliquot dies uſurpatis, febris cum omnibus ſymptomatibus diſceſſit.

Epicriſis.

Quotidiana teſtatur experientia, quam periculofa ſint nervoſarum partium læſiones, & quam pernicioſa invēhant ſymptomata. Nulla autem alia horum omnium reddi poteſt ratio, quam quod univerſa nervorum compages, una tantum nervoſa parte gravius læſa, conſentiat, & motus inordinati vehementes in hac excitati, per totum nervorum ſyſtema facile propagentur, uti ſuſius deduxi in *tom. 3. Medic. ration. ſyſtemat. Seſt. 1. pag. 5.* Diſcimus vero etiam ex hac obſervatione, morborum cauſas, non tantum in materiæ nocentis quantitate, aut qualitate, conſiſtere, verum ſapius etiam motu vitioſo & inordinato niti. Atque adeo perperam agunt medici, qui in ejuſmodi morbis ad humorum correctionem, aut evacuationem, animum & medicationem dirigunt. Præcipuum potius tum in curando ſibi vindicant locum, quæ motibus hiſce turbulentis complacendis ſerviunt, quorum in numero cum reliquis anodynis ſunt potiſſimum opiata correpta, quæ alias minus quadrant, ubi pernicioſa quantitas ſola, vel qualitati noxiæ nupta, in cauſa eſt.

OBSERVATIO III.

Juvenis viginti aliquot annorum, *Febris buboni accedens.* ſanguineo-cholericus, in Academia ſolertius Veneri & Baccho, quam Muſis litarat, & ante biennium ſub conſictu cum ſodali vulnus acceperat in thorace, quod conſolidatum, peſtoris quandam gravitatem & difficilem ſub aſcenſu acclivium, aut ambulatione incitatioſe, ſpirationem reliquerat. Hic vere initiantē conqueri cœpit de virium languore, capitis dolore, inappetentia, ſomni defectu, calore febrili, modo vesp̄ri, modo noctu, poſt levem horripilationem, ipſum inſeſtante, ſubſequentē mane ſudore largo, admodum debilitante, cum majori reſpirationis difficultate & dolore in loco veteris circa mammillam vulneris. Medicum igitur in conſilium vocavit, qui mixturis diſcutientibus & diaphoreticis, emulſionibus demulcentibus & refrigerantibus, pulveribus quoque temperantibus cum ſucco citri, febrē oppugnavit, interpoſitis ſubinde laxantibus blandis mannatīs & rhabbarinis & data pro potu priſana. Sed fruſtra. Licet enim & capitis dolor evaneſceret, ſudores matutini & febris vehementia tantisper minuerentur, reſpiratio quoque liberior redderetur & appetitus melior, inſultus tamen febrilis perſiſtit ſemper, poſt mediam noctem accedens & ſudore diſcedens, relicto miro corporis languore & debilitate, ut leſto etiam affligeretur. Hinc Medicus, diſſolutionis ægri vitæ rationis non ignarus, forſan occultatam cauſam ſubefſe ſuſpicari cœpit, & in eam ſerio inquirere. Confeſſus igitur tandem eſt æger, in inguine dextro, durum quid protuberare, ſed levem admodum ex eo ſe ſentire dolorem, & credere, eſſe forſan ejuſmodi tumorem, quem dicunt *eine Wachs-Beule*. Erat autem *venc-*

venereus bubo, qui impositis emollientibus, maturuit, & apertus magnam fudit puris copiam, quo evacuato, febris sensim magis magisque remisit, omniaque symptomata discesserunt, donec æger, traducto intra tres hebdomades ad consolidationem abscessu, penitus ad sanitatem redibat.

Epicrisis.

Ex hac historia id tantum occurrit notandum, quod febres ex glandularum tumoribus ortæ, teste ipso Hippocrate, perniciosæ sint, maxi-

me omnium autem, quando causa tumoris materia virulentæ indolis, uti in bubonibus venereis, ubi in curando, non modo ad febris impetum compescendum, sed & ad venenum e corpore eliminandum, respicere decet medicum. Dein meretur & illud notari, quod partes olim a vulnere quodam læsæ internæ, a contracto postea morbo, vel febre, rursus præ aliis pejus afficiantur, & pathemata ibi affligere soleant extraordinaria, manifesto indicio, diu latitare posse partis imbecillitatem & labem, facile exacerbendam.

Partis I. Tomi IV. F I N I S.